18

CHRISTIANI THEOPHILI SELLE,

Medicinae Doctoris et Profeſſoris, Charitatis Noſocomii Berolinenſis Medici, et Regiae Academiae Boruſſicae Membri,

MEDICINA CLINICA,

SEU

MANUALE PRAXEOS MEDICAE.

Ex

EDITIONE ULTIMA AUCTA GERMANICA

IN LATINUM TRANSLATUM

CUM APPROBATIONE AUCTORIS.

BEROLINI,

apud CHRISTIANUM FRIDERICUM HIMBURG.

M. DCC. LXXXVIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

In immenſa compendiorum medicinae practicae quantitate, numerum eorum novo quodam aucturo, graves adſint, neceſſe eſt, rationes.

Quodſi mihi hoc in libro, ſuper natura et methodo morborum medendi, novam lucem propagare licuiſſet, nulla a me amplius editionis ejusdem deſideraretur excuſatio.

Hoc vero mihi nec propoſitum, nec praeſtandum erat. Cujus rei rationes, tam in ipſa ſcientiae natura, quam in virium mearum defectu ſunt quaerendae.

Conditio inſtituti noſtri localis, pro curandis aegrotis, in noſocomio charitatis, eſt id, quod mihi officium et neceſſitatem imponit, ut privatis meis inſtitutionibus, atque ordinationibus coram factis, publicam ſcripto comprehenſam praefigerem, per quam illae

praeparari, explicari, magis conſtitui, melius intelligi, atque accuratius applicari poſſint.

Atque hoc reſpectu operam dedi, omne id in illa, qua fieri poteſt, brevitate colligere, quo ipſe utor atque uſus ſum. Unde intervalla et mancae, quae potius nuda in medium proferre, quam cum hypotheſibus precarie adſecutis implere malui.

Ceterum haec editio quarta permulta et graviora additamenta atque emendationes accepit. Atque etiamſi hoc poſſeſſoribus editionum priorum ingratum eſſe debet, attamen vero hoc intuitu cujusdam libri hujus generis evitari non poteſt. Unaquaeque enim emendatio, quodſi ea quoque tantum negativa eſſet, in praxi medica praebet lucrum. Et quando medicus in emendando finem facere poteſt?

CONSPECTUS.

MEDICINA CLINICA. Pag. 1

Conſtitutio morborum pathologica & therapeutica . . . . — 5

De Febribus . . . . — 7

De Febribus continuis . . . . — 16

Febris ſimplex inflammatoria . . . . — 18

Febris putrida . . . . — 23

De Febribus remittentibus . . . . — 26

De Febribus bilioſis . . . . — 27

Febris inflammatoria bilioſa . . . . . — 29

Febris putrida bilioſa . . . . — 30

De Febribus pituitoſis . . . . — 31

De Febribus irregularibus . . . . — 33

Febris nervoſa acuta . . . . — 35

Febris nervoſa lenta . . . . — 36

De Febribus intermittentibus . . . . . . — 38

Febris intermittens ex ſola irritabilitate . — 42

Febris intermittens bilioſa . . . . . . — ib.

Febris intermittens bilioſo-inflammatoria — ib.

Febris intermittens bilioſo-putrida . . — 43

Febris intermittens maligna . . . . . . Pag. 43
Febris intermittens diuturna . . . . . . — 44

De Febrium ſymptomatibus . . . . — 45

Calor . . . . — ib.
Frigus . . . . — 47
Sitis . . . . — ib.
Inappetentia . . . . — 50
Nauſea et vomitus . . . . — ib.
Flatus . . . . — 51
Obſtructio alui . . . . — 53
Diarrhoea . . . . — 54
Haemorrhagia . . . . — 55
Sudor . . . . — ib.
Debilitas febrilis . . . . — 56
Pervigilium . . . . — 58
Stupor . . . . — 59
Delirium . . . . — ib.
Sopor . . . . — 62
Convulſiones . . . . — 63
Anxietates . . . . — 65
Dolor . . . . — 66

De inflammationibus . . . . — ib.

Angina . . . . — 72
Peripneumonia . . . . — 75
Pleuritis . . . . — 80
Pleuroperipneumonia . . . . — 81
Inflammatio diaphragmatis . . . . . . — 82
Hepatitis . . . . — 83
Gaſtritis . . . . — 86
Enteritis . . . . — 88

Nephritis . . . . Pag. 90
Cyſtitis . . . . — 92
Metritis . . . . — 93
Febris eryſipelacea . . . . — ib.
Carbunculus . . . . — 94

De exanthematibus . . . . — 95

Peſtis . . . . — 96
Variolae . . . . — 98
Variolae ſpuriae . . . . — 111
Morbilli . . . . — 112
Rubeolae . . . . — 115
Febris ſcarlatina . . . . — ib.
—— urticata . . . . — 116
—— miliaris . . . . — 117
—— bulloſa . . . . — 120
Aphthae . . . . — 121
Petechiae . . . . — 122

De rheumatismis . . . . — 123

Rheumatismus acutus . . . . — 124
Rheumatismus chronicus . . . . . . — 125

De morbis arthriticis . . . . — 128

Arthritis . . . . — 130
Podagra . . . . — 131

De catarrhis . . . . — 133

Coryza . . . . — 135
Angina catarrhalis . . . . — 137
Tuſſis catarrhalis . . . . — ib.
Peripneumonia notha . . . . — ib.

De dyſenteria . . . . Pag. 138
De cholera . . . . — 147
De haemorrhagiis . . . . — 148
Stomacace . . . . — 152
Haemorrhagia narium . . . . — 153
Haemoptyſis . . . . — ib.
Vomitus cruentus . . . . — 158
De fluxu menſtruo vitioſo ſ. ataxia menſium — 159
Defectus fluxus menſtrui . . . . . . — 160
Fluxus ſanguinis praeternaturalis ex pudendis muliebribus . . . . — 164
De gravaminibus haemorrhoidalibus . . — 166
Haemorrhoides ſanguineae fluentes . . — 167
———— mucoſae fluentes . . . — 169
———— urethrae . . . . — ib.
———— coecae . . . . — 170
De vermibus . . . . — 171
Aſcarides et trichurides . . . . — 174
Lumbrici . . . . — 175
Taenia . . . . — 177
De ictero . . . . — 180
De morbis venereis . . . . — 185
Lues venerea . . . . — 194
Cancer venereus (Chancre) . . . . . — 196
Gonorrhoea venerea . . . . — 197
Fluor albus venereus . . . . — 208

Bubo . . . . Pag. 209
Teſticulus venereus . . . . — 211
Phimoſis et paraphimoſis . . . . . . — 212
Proſtata venerea . . . . — ib.
Condylomata . . . . — 213
Maculae et verrucae venereae . . . . — ib.
Morbi oſſium venerei . . . . — 214

De ſcorbuto . . . . — 215

De ſcrophulis . . . . — 219

De morbo anglico . . . . — 222

Rachitis . . . . — ib.
Paedarthrocace . . . . — 224

De exanthematibus chronicis . . . . . — 226

Cruſta lactea . . . . — ib.
Achores . . . . — 228
Favus . . . . — ib.
Tinea capitis . . . . — 229
Plica polonica . . . . — 230
Herpes . . . . — 231
Scabies . . . . — 233
Lepra . . . . — 235
Elephantiaſis . . . . — 236

De ulceribus chronicis . . . . Pag. 237

Ulcus topicum benignum . . . . . . — 240
Ulcus topicum corruptum . . . . . . — 241
Ulcera ex acrimonia bilioſa . . . . . . — 245
Ulcera venerea . . . . — 246
Ulcera ſcorbutica . . . . — ib.

Ulcera ſcrophuloſa . . . . Pag. 247
Herpes excedens . . . . — ib.

De cancro . . . . — 248

De carie oſſium . . . . — 252

De gangraena, ſphacelo et necroſi . . . — 253

De tumoribus . . . . — 256

De tumoribus albis . . . . — 257

Tumor articulorum rheumaticus . . . — ib.
Tumor articulorum ſcrophuloſus . . . — 258
Caries vertebrarum . . . . — 259

De tumoribus aqueis . . . . — 260

Oedema pedum . . . . — 266
Hydrops anaſarca et leucophlegmatia . . — ib.
——— aſcites . . . . — 267
——— pectoris . . . . — 268
——— peritonaei . . . . — 269
——— ovarii . . . . — ib.
——— uteri . . . . — 270
——— ſcroti . . . . — ib.
Hydrocele . . . . — 271
Hydrocephalus . . . . — ib.
——————— externus . . . . . . — ib.
——————— internus . . . . — 272
Hydrops cerebri . . . . — 273
Spina bifida . . . . — 275
Hydrops articulorum . . . . — ib.

De tumoribus aëreis . . . . Pag. 276

Emphyſema . . . . — 276
Tympanitis . . . . — 277

De morbis tabidis . . . . — 280

De atrophiis . . . . — 281

Atrophia infantum . . . . — 281
Phthiſis nervoſa . . . . — 283
Tabes dorſalis . . . . — 284
Marasmus ſenilis . . . . — ib.

De Febribus hecticis . . . . — 285

De Febribus phthiſicis . . . . — 290

Phthiſis pulmonalis . . . . — 298
——— hepatica . . . . — 304
——— lienalis . . . . — 305
——— renalis . . . . — ib.
——— uterina . . . . — 306
——— meſenterica . . . . — ib.
——— inteſtinalis . . . . — ib.

De morbis nervorum . . . . — 307

Antipathia . . . . — 308
Malum hypochondriacum & hyſtericum — 309

De morbis animi . . . . — 313

Amneſia . . . . — ib.
Amentia partialis . . . . — 314
Melancholia et Mania . . . . — 315

De convulſionibus . . . . — 319

Crampus . . . . — ib.

Convulſiones . . . . Pag. 319

Triſmus . . . . — ib.

Riſus ſardonius . . . . — 320

Spasmus cynicus . . . . — ib.

Chorea Sancti Viti . . . . — ib.

Epilepſia . . . . — 321

Eclampſia . . . . — 325

Raphania . . . . — 326

Tetanus . . . . — 327

Tremor . . . . — 330

Contractura . . . . — 331

De reliquis morbis nervoſis . . . . — 332

Vertigo . . . . — ib.

Lipothymiae . . . . — 334

Agrypnia . . . . — 339

Sopor . . . . — 340

Paralyſis . . . . — 342

Apoplexia . . . . — 346

Ecſtaſis . . . . — 355

Catalepſis . . . . — ib.

Catochus . . . . — 356

Somnambulismus . . . . — ib.

Hydrophobia . . . . — 358

De morbis partium ſingularum . . . . . — 366

De morbis cutaneis . . . . — 367

Ephelis et Lentigo . . . . — 367

Gutta roſacea . . . . — 368

Erythema . . . . — ib.

Lichen . . . . — ib.

Naevus maternus	Pag. 369
Therminthus	— ib.
Epinyctis	— ib.
Varus	— 370
Malum mortuum	— ib.
Intertrigo	— 370
Comedones	— 371
Phthiriaſis	— ib.
De morbis capitis	— 372
Cephalalgia	— ib.
Inflammatio membranarum cerebri . .	— 375
De morbis oculorum	— 383
Ophthalmia	— ib.
Maculae corneae	— 387
Pterygium	— 387
Staphyloma	— 388
Ophthalmoptoſis	— ib.
Hydrophthalmia	— 389
Trichiaſis et Diſtichiaſis	— 390
Ectropium et Entropium	— ib.
Blepharoptoſis	— 391
Lagophthalmus	— ib.
Epiphora et Lippitudo	— 392
Cataracta	— 393
Glaucoma	— 394
Mydriaſis	— 395
Amauroſis	— ib.
Amblyopia	— 396
Hemeralopia et Nyctalopia	— 397
Diplopia	— ib.

De morbis aurium . . . . Pag. 398
Otalgia . . . . — ib.
Tinnitus et Suſurrus aurium . . . . . — 399
Surditas . . . . — 400
De morbis dentium . . . . — 401
Dentitio . . . . — ib.
Odontalgia . . . . — 403
De morbis colli . . . . — 405
Bronchocele . . . . — ib.
Raucedo . . . . — 406
De morbis pectoris . . . . — 407
Tuſſis . . . . — ib.
Aſthma . . . . — 410
Sternutatio . . . . — 415
Singultus . . . . — ib.
Incubus . . . . — 416
Palpitatio cordis . . . . — 417
De morbis primarum viarum . . . . . . — 419
Deglutitio difficilis . . . . — ib.
Anorexia . . . . — 421
Appetitus morboſus . . . . — 422
Ardor ventriculi . . . . — 423
Cardialgia . . . . — 424
Colica . . . . — 425
Nauſea et vomitus . . . . — 436
Diarrhoea . . . . — 438
Fluxus coeliacus . . . . — 441
Lienteria . . . . — 442
Fluxus hepaticus . . . . — ib.
Morbus niger . . . . — 444

De morbis viarum urinariarum . . . . Pag. 445
Dolores e calculis . . . . — ib.
Mictio impedita . . . . — 450
Mictus cruentus . . . . — 454
Incontinentia urinae . . . . — ib.
Diabetes . . . . — 455
De morbis partium genitalium . . . . — 456
Gonorrhoea benigna et fluor albus . . — ib.
Satyriaſis et priapismus . . . . — 458
Nymphomania . . . . — ib.
Excreſcentiae uterinae . . . . — 459
Uterus ſcirrhoſus . . . . — 460
De morbis gravidarum . . . . — ib.
Symptomata ſyſtematis nervoſi . . . — ib.
Plethora . . . . — 461
Obſtructio alvi et mictus difficilis . . . — 462
Oedema pedum et anaſarca . . . . . — 463
Hydatides . . . . — ib.
Haemorrhagiae . . . . — 464
Abortus . . . . — 465
Complicatio graviditatis cum aliis morbis — 467
De morbis parturientium, lactantium et puerperarum . . . . — 468
Dolores ſpurii . . . . — ib.
Partus difficilis . . . . — 469
Dolores poſt partum . . . . — 471
Fluxus lochiorum . . . . — 472
Secretio lactis . . . . — 475

Metaſtaſes lactis	Pag. 477
Febris puerperarum	— 483
Inflammatio uteri	— 492
———— pulmonum	— 494
Febris eryſipelacea	— 495
Eclampſia	— 496
Melancholia & Mania	— 497
Selectus et deſtinatio medicamentorum accuratior	— 499

MEDI-

MEDICINA CLINICA.

Medicina clinica ſingularium morborum cognitionem, dijudicationem et medendi rationem nos docet. Haec igitur in omnibus ſcientiis tam pathologicis, quam therapeuticis aegrotantium lecto adhibendis conſtat.

Morborum cognitio vocatur *diagnoſis*. Quae exactam ſyſtematicam atque aetiologicam determinationem requirit; hoc eſt, morbi non ſolum ab omnibus reliquis morbis differentiam, ſed etiam cauſarum ejusdem harumque cauſarum nexus cum morbo ipſo determinationem ſcire debemus. Tali quidem modo haec ars eſt comparata, hanc autem ejusdem conditionem non ſemper attingere licet, attamen vero ad hanc ſemper reſpiciendum eſt.

Dijudicatio cujusdam morbi ratione ejusdem eventus appellatur *prognoſis*. Vera ſemiotica, acutis

A

ſienſibus, et penetranti judicio apti ad eam reddendi ſumus.

Applicatio medicamentorum arti adaequata conſtituit tertiam atque ultimam hujus ſcientiae partem, *medendi rationem.*

Objecta medicinae clinicae ſunt morbi ſimplices, prout illi in natura occurrunt. Quum autem nullum individuum ratione alteri perfecta gaudet ſimilitudine, morbi quoque inter ſe ſimiles eſſe non poſſunt, qui ſemper a natura individuali et ſtatu aegroti formam accipiunt peculiarem. Quum porro haec differentia aeque late pateat, quam genus humanum ipſum, et ſaepe ſit tam ſubtilis, ut ea nullo modo deſcribi et percipi poſſit, tunc quoque fieri non poteſt, hanc in ſcientiam omnes caſus recipere individuales. Cum ſpecierum determinatione igitur hic contenti eſſe debemus, et varietates vel caſus individuales coram aegrorum lecto ſolummodo ſcrutaturi. Qua in re differentia inter theoriam et praxin latet. Abſtractum theoriae ac ſcientiae praebet objectum; individuale autem eſt praxeos artisque objectum.

Cognitio individualis praecipue in ſenſatione quadam eſt ſita, de qua difficile notiones formare et communicare poſſumus. Hac in re res arti conveniens et practica ſcientiae medicae conſiſtit. E ſignis obſcuris et non ſatis determinatis naturam et curſum cujusdam morbi per ſenſationem agnoſcere, ſemio-

logiae pathologicae objectum eſt, ac virtus medici experientiſſimi praecipua.

Quodſi in morborum ſingulorum diviſione affinitatem naturalem ſequi vellemus, tunc quoque claſſes morborum naturales hic nobis fundamenti loco inſervire deberent, quas alio loco in medium contuli *a*). Talis autem ordo, in quo omnes morbi diſtribui liceret, uſque adhuc ſemper in arte medica problema, et tantum quoad febres poſſibilitatem ſyſtematis talis nos delineavimus *b*). Copia morborum inter chronicos datur, de quorum cauſis nullas notiones diſtinctas habemus, quorumque ordinem igitur naturalem conſtituere non poſſumus. Diviſionem igitur artificialem hic adhibere debebimus, quae tantum in differentia morborum externa eſt ſita, verumtamen certos et in oculos incurrentes exhibet characteres, quibus morbi agnoſci et differri queant.

In medendi rationis determinatione ſemper duo requiruntur momenta:

1) Indicantia, quae nobis in medendi ratione viam monſtrant, rite determinare debemus, ut per haec tunc tam ſecure, quam fieri poteſt, methodum medendi generalem conſtituere poſſimus.

a) *Vid.* Einleitung in das Studium der Natur- und Arzeneywiſſenſchaft. S. 163.

b) Rudimenta pyretologiae methodicae.

2) Inter remedia indicata ſolummodo talia ſunt eligenda, quae circumſtantiis ſingularibus aegroti ſunt conformia.

Hoc ulteriori dictum quoque cognitionem peculiarem medicamentorum, mixtionis eorum congruae ac differentiae eorum effectuum una cum differentia doſium, in quibus illa ſunt exhibenda, praeſupponit. Hoc in unoquoque caſu ſingulari in medium proferre, nimium eſſet longum. Hunc librum igitur in duas divido partes, in quarum priori ea ſum conſtituturus, quae ad cognitionem pathologicam et therapeuticam generatim reſpiciunt. Pars poſterior tunc deſtinationem medicamentorum propriam atque accuratiorem in ſe continebit.

CONSTITUTIO

MORBORUM

PATHOLOGICA ET THERAPEUTICA.

De Febribus.

Morbus, in quo frigus, calor praeternaturalis, pulſus praeternaturaliter mutatus, et ſymptomata perſeverantia, nec mere tranſitoria, huic aegritudini autem ſemper propria obſervantur, *febris* nuncupatur.

Hi morbi nequaquam claſſem quampiam naturalem conſtituunt; dantur enim morbi, characteribus memoratis deſtituti, tamen tam quoad cauſas, quam quoad methodum medendi cum illis perfecte convenientes. Sic morbi dantur periodici, e. g. epilepſiae, quae perfecta cum febribus intermittentibus reſpectu cauſarum et curationis gaudent ſimilitudine.

Perplurimi motus febriles tendunt, ad materiam quandam heterogeneam e corpore eliminandam. Aut potius, partes quaedam alienae tales producunt motus, per quos natura illis ſeſe exonerare nititur. Ea autem non ſemper gaudet viribus, ad hanc ejectionem perficiendam, ſufficientibus.

Quodſi haec excretio re vera contingit, et morbus per eam aut tollitur, aut imminuitur, tunc ea eſt critica, indeque vocatur *criſis.* Materia ipſa hoc in caſu appellatur *materia cocta.*

Quodſi materia egeſta nullum adfert levamen, ſignum eſt, eam, aut in nimia adeſſe exſuperantia, aut evacuationi nondum eſſe aptam. In utroque caſu ea nuncupatur *materies cruda.* Evacuationes tunc ſalutantur ſymptomaticae.

Inſenſibilis materiae febrilis ejectio dicitur *lyſis.*

Quodſi materia cocta e ſanguine quidem exoneratur, e corpore autem non eliminarur, ſed in alias ejusdem partes, cum morbi levamine, tamen deponitur, nominatur *metaſtaſis critica.*

Quodſi vero haec depoſitio ſine levamine atque in locum, ubi ea alium morbum producere poteſt, contingit, appellatur ea *metaſtaſis mala.*

Nonnumquam propter vires deficientes nulla fit evacuatio.

Evacuationes eveniunt inprimis per ſudorem atque urinam, nonnumquam per vomitum et diarrhoeam, rarius per haemorrhagias, et longe rariſſime per exanthemata.

In variolis et febribus bilioſis, ubi ſimul qualitas humorum adeſt ſcorbutica, comparet ſubinde ſalivatio, quae quidem proprie non eſt critica, neque tamen eſt impedienda.

In omnibus febribus aut pulſus celer, aut calor praeternaturalis, aut utrumque obſervatur. Id igitur, quod omnibus febribus convenit, eſt motus ſanguinis auctus.

Cauſa febrium proxima materia quaedam in ſanguine contenta, indeque nervos irritans eſſe videtur.

Materiam febrilem ſuam ſedem in ſanguine habere, evacuationes reddunt maxime veroſimile.

Irritabilitatem nervorum ſingularem autem quoque ad producendam febrem ſuas partes conferre, clarum eſt inde, quoniam ſaepe in caſibus, ubi certe materia febrilis non deeſt, nulla tamen febris oritur, atque e contrario omnes cauſae debilitantes atque irritantes facile febrem producunt, e. g. vulnera, animi pathemata, purgantia acria.

Materia ipſa febrilis in putredinem proclivis eſſe videtur. Rationes ſequentes hoc faciunt veroſimile:

1) Omnia remedia in febribus utiliter adhiberi ſolita, ſunt antiſeptica; e. g. ſalia imprimis acida, camphora et cortex chinae.

2) Victus animalis ſemper fere eſt noxius.

3) Materia ejecta ſemper fere eſt indolis putredinoſae.

4) Omnes materiae putridae facile febrem excitant, e. g. exhalationes putridae, ulcera.

5) Calor in febribus putridis eſt quam vehementiſſimus, qui etiam poſt mortem ipſam perdurat.

Omnes febrium cauſae interim in ſyſtema nervoſum ſimul agunt, et vel hoc nomine motus febriles producere poſſunt. Semper tamen veroſimile manet, partes heterogeneas acres, inque reſolutionem putri-

dam pronas, materiam conſtituere febrilem, ac diſpoſitione etiam partium ſolidarum praeſenti, non prius excitari febrim, quam certa quaedam acrimonia in humoribus fuerit prognata.

Cauſae febrium remotae producuntur aut per ineptum rerum ſex non naturalium uſum, aut nituntur quibusdam generalibus cauſis, uti: inedia, conditio nutrimentorum generalis mala atque inconſueta et. praeternaturalis aëris conſtitutio. In priori caſu producuntur *febres ſporadicae*, in ulteriori autem *febres epidemicae.*

Quod ad febrium prognoſin attinet, ſpem felicis eventus concipere licet, quodſi vires naturae ad coctionem et criſin perficiendam ſufficiant. Ubi e contrario vires deficiunt, aut cauſa eſt nimium ingens, verendum eſt, ne illa in ſuo molimine ſuperetur.

Prognoſi febrium ſigna inſerviunt ſequentia ;

1) Bonum eſt ſignum, quodſi vires adſint integrae, nec evacuatio prius contingat, quam materia fuerit cocta, quod raro ante diem quartum, plerumque 5. 7. 9. 11. 13. 15. 17. 21. 27 et 31. contingere ſolet. Hi dies appellantur *dies critici*, et ſi hic ordo naturae noſtro aevo non amplius tam frequenter occurrat, quam olim, ratio hujus rei ſane in morborum complicatione continetur, quae noſtra aetate eſt

multo major, magisque varia, quam olim fuit, victu tum exiſtente ſimpliciori.

Coctionem eſſe factam, perſpici poteſt, quodſi ſtatus ſpaſticus remittit, et res ſe-atque excretae incipiunt, ad naturalem earum conditionem accedere. Quodſi e. g. loco congeſtionum, pulſus contracti, cutis ſiccae, urinae tenuis, circulatio magis adaequata, pulſus mollior et major, urina craſſior et magis oleoſa fit, et ſedes non ſunt virides aut nimis tenues, tunc criſis cum proxima die critica poteſt exſpectari.

2) Ubi vires materiae febrili omnino non ſunt pares, ſymptomata ante evacuationem increſcere conſueverunt. Qui ſtatus vocatur *perturbatio critica*, nec quidquam ab ea metuendum eſt, niſi ratio virium ad cauſam febrilem maxime ſit inaequalis, nec cauſa deſit, cur materiam credamus eſſe coctam.

Sic ſaepe pulſus intermittens, haemorrhagiae, vomitus, vertigo et ſ. p. ſunt criſeos praecurſores, atque haud raro in febribus intermittentibus, exacerbatio ultima eſt vehementiſſima; ut et in febribus continuis, durante ultima et morbum claudente exacerbatione, ſaepe aegroti extremos agere ſpiritus videntur.

Evacuationem fuiſſe criticam, cognoſcitur, quodſi poſt eam ſymptomata mitigantur, pulſus

ſit naturalis, viribusque praeſentibus conformis, reſpiratio eſt libera, et ſomnus comparet placidus. Ubi haec tantum e parte eveniunt, criſis facta eſt imperfecta, cujus exitus felix a viribus naturae ſuperantibus pendet.

3) Quodſi e contrario cutis ſemper manet ſicca, reſpiratio brevis atque interrupta, pulſus fiat continuo celerior, evacuationes incipiant foetorem ſpargere cadaveroſum, infelix exitus eſt extimeſcendus. Periculoſum pariter eſt, quodſi ſymptomata ſibi invicem non reſpondent. E. g. abſentia ſitis lingua exiſtente arida, averſatio acidorum in febribus putridis, pulſus, in ardore magno et circulatione ſanguinis aucta, debilis.

In febrium medendi ratione res tota pendet a ſequentibus tribus momentis:

1) Coctio promovenda omni, quo fieri poteſt, modo eſt inveſtiganda. Omnia igitur, quae cauſam febris proximam augere poſſunt, e medio ſunt tollenda, uti nec ea ſunt negligenda, quae ad minuendam vel tollendam ipſam cauſam proximam conferre poſſunt. Vel uno verbo, enitendum eſt, ut veſtigia naturae febris deprehendantur, atque omnibus indicationibus ſatisfiat. Ubi e. g. irritatio adeſt externa, agendum eſt, ut ea tollatur, ubi colluvies adeſt bi-

lioſa, ea per vomitum eſt educenda. Ubi plethora adeſt, venaeſectio eſt inſtituenda. Ubi materia eſt acris, potus dantur attenuantes atque emollientes. Ubi proclivitas ad ſtaſes inflammatorias adeſt, ſalia media reſolventia ſunt adhibenda. Quaeque omnia cum adaequato reſpectu virium ad coctionem requirentium, neceſſe eſt, fiant.

2) Enitendum eſt, ut criſis promoveatur, aut ſaltem illi nulla impedimenta opponantur. Criſis ſolummodo tunc promovetur, quodſi natura viribus ad hoc requirentibus deficit, atque e certis ſignis ſcire poſſumus, qualem viam ea eliget, aut quae ſit aptiſſima. Quodſi e. g. pulſus incipit, mollior et major fieri, remedia diaphoretica applicare poſſumus. E contrario nihil magis, quam ſuperfluus et non adaequatus medicamentorum uſus, naturam perturbare poteſt. Res praecipua perplurimum ad regimen bonum reſpicit, quocum veteres fere omnia fecerunt. Aër ſit purus, minime perflans, et vix ultra ſeptuageſimum thermometri Fahrenheitiani gradum. Victus ordinandus eſt tenuis, refrigerans, minime nutriens.

3) Quodſi criſis contigit, et febris eſt ſublata, viribus per remedia nutrientia ac roborantia ſubveniendum eſt, ut recidivae obviam eatur.

4) Ubi metaſtaſis eſt facta, febris quidem perdurat, plerumque autem nunc naturam ſuam mutat, et methodum medendi ſingularem requirit. Tali modo e. g. febris maligna per metaſtaſin in febrem inflammatoriam permutari poteſt.

Febres vario modo pro characterum ratione, ad quos reſpicitur, dividi poſſunt.

Illae primum ſecundum earum decurſus durationem dividuntur. Febris, quae ſeptem diebus judicatur, *febris* vocatur *acutiſſima;* febris quatuordecim dierum nuncupatur *peracuta*; dierum viginti ad triginta *acuta*, atque illae febres, quae ultra quatuor ſeptimanas excurrunt, nec ſunt intermittentes, *febres* ſalutantur *lentae.*

Pro temporis et loci diverſitate, quibus oriuntur, dividuntur:

1) In *febres epidemicas*, ubi locus integer, aut regio regni alicujus integra, ſemel ac ſimul a morbo uno eodemque invaditur.

2) In *febres ſporadicas*, quae tantum ſingulatim et paſſim oriuntur.

3) In *febres endemicas*, quodſi illae tantum in regionibus et locis certis prodeunt, e. g. uti febris yellowica in India occidentali.

4) In *febres ſtationarias* atque *intercurrentes.* Sic e. g. pleuritis epidemice graſſari et febris indolis bilioſae eſſe poteſt. Paſſim variolae quo-

que prodire poſſunt, quae tum plerumque etiam cum febri biliosa ſunt conjunctae. Quo in caſu pleuritis eſt febris ſtationaria, variolae, febris intercurrens. Natura poſterioris, generatim loquendo, naturae prioris ſe accommodat.

Dividuntur porro e ſymptomatum praecipuorum diverſitate. Sic febres vehementi cum ſudore conjunctae vocantur *febres helodes*.

Diſtinguuntur porro in *benignas* et *malignas*, prout illae majori aut minori periculo ſunt ſtipatae.

Ordinantur quoque e cauſarum ſpecificarum diverſitate: 1) inter *febres inflammatorias*, quae cum inflammatione topica ſunt conjunctae, 2) inter *febres exanthematicas*, quas exanthemata comitantur, 3) inter *febres catarrhales*, quae cum ſtaſibus ſeroſis oriuntur.

Denique dividuntur:

1) In *febres continentes*, quae, ita loquendo, una tantum acceſſione abſolvuntur, ubi nulla adeſt remiſſio, nec exacerbatio.

2) In *febres remittentes*, ubi motus febriles certis temporibus remittunt, ſed numquam penitus ceſſant.

3) In *febres irregulares*, ubi remiſſionibus exacerbationibusque locus eſt, typum tamen illis haud obſervantibus.

4) In *febres intermittentes*, ubi intervalla occurrunt, in quibus aeger ab omni motu febrili liber eſt.

Haec ultima diviſio neutiquam in naturae horum morborum jura involat, ſed potius tanquam ſumma comparationis febrium naturali nexu inter ſe junctarum univerſalis prodit. Nos proinde hanc ſequemur diviſionem. Eos tamen tantum morbos febriles huc relaturi, qui nullo cum malo topico ſunt conjuncti, et qui vulgo *febres ſimplices* vocari ſolent.

Ceterum in memoriam reduco, quod, quum e ſupra in medium relatis cauſis naturalem methodum non ſequor, perplurimi indicati morbi intuitu nominum explicationis ſpecies non ſint naturales.

De Febribus continentibus.

Experientia docuit, febres eo proniores eſſe, uno tenore ac ſine intermiſſione adſcendere et judicari, quo magis cauſa proxima in ſanguine ipſo continetur. In omnibus illis caſibus, in quibus materia febrilis non in ipſo ſanguine nata eſt, ſed ſemper demum in vaſorum ſyſtema infertur, febres in remiſſiones atque exacerbationes ſunt proclives. Febres ex humoribus acribus in primis viis, aut ex ulcere, aut ex obſtructionibus oriundae numquam ſunt indolis continentis.

Hae

Hae febres noſtro aevo ſunt multo rariores, quam priſtinis temporibus fuiſſe dicuntur, quia noſtra vivendi ratione primae viae tantopere debilitantur, ut hae ſemper fere officina materiae febrilis ſint, aut ſaltem naturam febrium immutent. Verum tamen hae manent ideale, quod theoria neceſſarie determinare debet, et ſine illo praxis longe vaga eſſet.

Felix in his febribus exitus a viribus unice pendet. Criſis ſemper fere contingit per ſudorem atque urinam. Raro materia febrilis e ſanguine in primas vias deponitur, raroque inde per vomitum aut alvum evacuatur.

Noxia igitur in his febribus ſunt omnia medicamina evacuationem primarum viarum perficientia. Atque eſt princeps canon practicus: tanto in febribus cum remediis evacuantibus cautiores eſſe debere, quanto magis illae indolis ſunt continentis.

Dantur quidem febres continentes e remittentibus oriundae, colluvie in primis viis contenta in ſanguinem migrante, materiamque febris continenter agentem praebente. Hic autem quoque evacuationes primarum viarum raro ſunt adhibendae, in his enim caſibus vires ita fere ſunt debilitatae, ut illae talibus evacuationibus minime ſufficiant.

Duae ſunt ſpecies hujus febris naturales, febris *inflammatoria* et *putrida*.

Febris inflammatoria ſimplex.

Haec febris ab auctoribus nuncupatur *ſynochus imputris* ſeu *ſimplex.* Melius et ſignificantius vocatur ea *febris inflammatoria ſimplex.*

Haec febris praeſertim ſubjecta robuſta ac ſenſibilia, tempeſtate imprimis exiſtente frigida, tempore hiberno invadit. Ea plerumque e refrigerio naſcitur, nonnumquam etiam ex irritationibus externis, e. g. e vulneribus, ſubinde e miſſione ſanguinis neglecta, aut haemorrhagiis conſuetis ſuppreſſis. Ea ſubito ſine multis nunciis praecurrentibus invadit. Pulſus eſt durus, plenus, celer et regularis. Lingua eſt pura, et muco tenui duntaxat albo obducta, guſtus eſt naturalis, urina ruberrima. Signa putredinis et ſaburrae primarum viarum deſunt. Oritur quidem ſubinde vomitus, aut diarrhoea, cui tamen aut irritatio prima, aut vero materia e ſanguine depoſita occaſionem praebet. Sanguis e vena miſſus eſt ſpiſſus, et plerumque cruſta alba, viſcida obductus, quae etiam propterea *cruſta inflammatoria* vocatur. Symptomata hujus febris ſibi invicem reſpondent. Sitis e. g. conditioni linguae, calor pulſui eſt proportionatus.

Methodo medendi exiſtente apta, raro haec febris eſt periculoſa. Criſis praeter ſudorem atque urinam fit nonnumquam per haemorrhagias, exſcreationem, raro per diarrhoeam. Sudorem imminere cri-

ticum animadvertitur e ſecretione urinae parciori, e cute pruriente ſed molli, e pulſu molli atque undulatorio. Haemorrhagiam narium criticam imminentem praenunciant rubor oculorum, gravitas in temporibus et dolores capitis. Exitu infelici fit quaedam ſpecies ſuppurationis univerſalis. Poſt mortem demum hoc in caſu deprehenditur, omnia inteſtina materia purulenta eſſe obducta, quae e vaſis ſanguiferis expulſa atque illuc eſt depoſita.

Methodus medendi hujus febris requirit:

1) Ut humores, quantum fieri poteſt, ſolvantur atque attenuentur.

2) Enitendum eſt, ut irritabilitas partium ſolidarum imminuatur.

3) Opera eſt danda, ut transpiratio atque urina propellantur.

Ut his requiſitis ſatisfiat, prima cura medici eſſe debet, ut maſſa ſanguinis imminuatur, ut deinde reſtans eo facilius reſolvi atque attenuari poſſit, et generatim ut efficaciae remediorum adhibendorum locum faciat, ſequelisque eorum noxiis occurratur. Miſſio ſanguinis proinde primum et princeps eſt remedium in hujus febris medendi ratione. Quae vero vehementiae febris et viribus aegri debet eſſe conformis.

Nonnumquam ſenſationis aegroti et pulſus ratione debilitas adeſſe, et venaeſectioni contraindicare vi-

detur. Quodſi autem conſtitutio corporis aliter bona et robuſta eſt, quodſi nullae imprimis debilitantes cauſae ſunt praegreſſae, et conſtitutio epidemica eſt indolis inflammatoriae, tunc credere poſſumus, quod vires non revera deſint, ſed tantum ſint ſuppreſſae, atque hoc in caſu venaeſectio elevat pulſum et vires.

Omnibus reliquis requiſitis potus duntaxat decocti avenacei cum oxymelle ſimplici permixti ſufficiens ſaepe reſpondet, quo humores attenuantur, corpus refrigeratur, transpiratioque promovetur. Victus debet eſſe tenuis, aër purus, et calor tam aëris, quam cubiculi aegroti quam temperatiſſimus.

Ubi hoc non ſufficit, nitrum quotidie a drachmis duabus ad unciam unam in auxilium adhibetur, quod in potu ſolvitur, atque in forma diluta propinatur. Vide *Mixtura temperans.*

Quodſi autem irritatio ſit nimia, nec cutis facile reddatur humida, ſimulque congeſtiones verſus caput obſerventur, anquiritur num adhuc miſſio ſanguinis ſit iteranda. Quodſi pulſus adhuc valde plenus, fortis et durus eſt, vena iterum aperitur, ac mixtura diaphoretica exhibetur. Si neque per hoc diaphoreſis benigna effici poſſit, his remediis camphora quotidie ad grana aliquot additur, fomentationesque calidae circa extremitates et truncum fiunt.

Quodſi denique neque hac ratione pulſus fiat mollis, nec ullus ſequatur ſudor, veſicatoria ad ſuras

applicantur, atque ita aut natura febris immutatur, aliamque penitus requirit curationem; aut ſuppuratio oritur univerſalis, aut evacuationes criticae et cum illis ſanitas ſubſequuntur.

Opera dedita hoc de morbo aetiologice prius agere nolui, quam rationem ejus medendi indicaſſem, quoniam ex hac ſaepe plurimum de cauſarum natura colligi poteſt.

Quaeritur ſcilicet, num cauſa hujus febris nimia humorum ſpiſſitudo ſit. Hoc cum quadam veri ſpecie e cruſta ſanguinis inflammatoria, ſecretionibusque ſuppreſſis deducere voluerunt. Quodſi interim conſideres, ſecretiones aeque per irritationem poſſe ſupprimi, ſanguinem, quamdiu is in corpore hoſpitatur, nulla inertiae veſtigia oſtendere, neque generatim circulationem ſanguinis impeditam eſſe videri, phaenomenon cruſtae ſaepe a circumſtantiis accidentalibus pendere, ſaepe eam deeſſe, et ſemper fere in morbi vigore animadverti, et frequenter non tantum in ſanis, ſed etiam in aliis morbis deprehendi, qui methodo antiphlogiſticae toto coelo oppoſitam requirant medendi rationem, plurimum haec opinio de veriſimilitudine ſua, quam prima fronte habere videbatur, amittit. Ut experimenta recentiora taceam, ſecundum quae cruſta inde plane oriri dicitur, quod ſanguis nimium ſit tenuis, atque hinc globuli ſanguinei eo citius fundum petant, lymphamque coagu-

labilem in ſuperficie relinquant. Cruſtam inflammatoriam e lympha coagulabili conſtare, quae in febribus inflammatoriis majori in copia adeſſe videtur, atque a cruore et ſero ſeparata in aëre coaleſcit, per experimenta recentiora evictum eſt. Haec lympha tamen ſemper cauſa febris eſſe poteſt, quum ea potius ut ejusdem ſequela paulatim naſcatur, atque in corpore ipſo quam maxima gaudeat fluiditate.

Semper quoque hanc ſanguinis conſtitutionem inflammatoriam obſervaremus, quodſi ea ſequela ſpiſſitudinis ejusdem eſſet, in talibus ſubjectis, quae frequentibus tenuiorum humorum ſpiſſitudinibus laborant, quod tamen experientiae non reſpondet.

Cauſa hujus febris igitur veriſimiliter in acrimonia humorum peculiari eſt ſita, quae ſtimulo ſuo circulationem ſanguinis adauget, ſecretiones moratur, atque earum loco majori lymphae coagulabilis ſecretioni anſam praebet, unde iterum iterumque fit credibile, hanc acrimoniam ſedem ſuam in ſyſtemate vaſorum lymphaticorum habere, aut certe inprimis in illud agere.

Ceterum haec febris tam ſincera, ſicuti eam hoc loco deſcripſi, rariſſime contingit. Plerumque ea plus minusve ad febrem billoſam accedit. Frequentiſſime ea exiſtit in nexu cum inflammationibus topicis, rheumatiſmis, catarrhis, dyſenteriis atque exanthematibus.

Febris putrida.

Haec febris ab auctoribus nuncupatur *ſynochus putris*, a recentioribus plerumque *ſynochus putrida*; a quibusdam ea febris maligna quamvis perperam ſalutatur. Plurimi auctorum febres cum impuritatibus putridis in primis viis, reſolutione ſanguinis putrida, vehementi intemperie in ſyſtemate nervoſo ſtipatas combinant, et febrem vocant putridam. Hic nunc de ea tantum febre eſt ſermo, in qua putredo in ſecundis viis generatur, cui tamen minime colluvies primarum viarum occaſionem dedit, aut ſaltem nunc jam non ab ea pendet.

Haec febris facillime naſcitur, ubi partes ſolidae nimium ſunt debilitatae, humoresque ſunt acres et reſoluti. Exhalationes putridae tempeſtate exiſtente calida et ſicca, victu animali pravo, eam crebro producunt. Dantur etiam contagia reſolutionem humorum putrilaginoſam, diſpoſitione corporis praeſenti, parientia. Denique methodo medendi minus recta ea ſequela alterius febris eſſe poteſt. Hac febri faſtigium ſuum pertingente, pulſus eſt celer et ſpasmodico-durus, calorque tam ingens, ut is contingentibus mordens eſſe videatur; lingua eſt pura, ſed in ſiccitatem prona; ſanguis forte e vena miſſus non facile coaleſcit, ſaepe cuticula variis coloribus ludente eſt tectus, humores excreti odorem emittunt acido-cada-

veroſum; facile haemorrhagiae ſymptomaticae et petechiae naſcuntur. Poſtremo oculi obfuſcantur redduntur que impuri, lingua fit nigra et dura, pulſus et vires labaſcunt, ſymptomata oriuntur nervoſa, et non multo poſt ſequitur mors.

Cauſa hujus febris proxima acrimonia humorum ad reſolutionem putrilaginoſam diſponens eſſe videtur, quae autem a ſcorbutica eſſentialiter differt.

Ea plerumque per ſudorem et urinam ſolvitur. Petechiae rariſſime ſunt criticae, inprimis ſi illae non ſunt rubrae, ſed lividae, ubi illae magis reſolutionem humorum univerſalem indicant. Quamprimum pulſus atque vires labaſcunt, ſtatus eſt periculoſiſſimus.

Quum cauſa hujus febris proxima in ipſo ſanguine ſita ſit, non magis hic evacuantia locum habent, quam in febri prius dicta inflammatoria continenti. Caſus etiam ipſe, quod in hac febre diarrhoea critica locum habere poſſit, non nobis jus dat ad eam arte producendam, quandoquidem hac in febre praeſertim conſervatio virium prae oculis ſit habenda.

Miſſio ſanguinis etiam in initio tantum febris locum habet, et quidem ſolummodo, ubi plethora adeſt manifeſta.

Emetica principio poſſunt eſſe utilia, partim ad cruditates tollendas, partim ad impetum verſus cu-

tem promovendum. Nonnumquam hoc natura facit ipſa, praeſertim ubi contagium evenit.

Initio diaphoretica duntaxat lenia acidula propinanda ſunt. Quem in finem oxymel ſaepe ſufficit. Ratio autem ad contagium ſuſpicandum adeſt, quod nervos facile invadere poſſet, emetico adhibito ſubito enitendum eſt, ut tranſpiratio per camphorata conſervetur.

In febris vigore acida exibenda ſunt mineralia, et ſimul enitendum, ut diaphoreſis ſemper conſervetur.

Quamprimum obſervatur, pulſum et vires labaſcere, ante meridiem cortex peruvianus cum vino praebetur, poſt meridiem exhibentur alexipharmaca, inter quae inprimis valeriana atque angelica inſignia ſunt. Vide *Potio alexipharmaca.*

Veſicatoria non prius, quam hoc in ultimo morbi ſtadio locum habent, quia illa irritatione ſua utilia eſſe poſſunt, quae in primo ſtadio adhuc evitanda erant, ubi iſta ſimul proclivitatem ad reſolutionem augent; quod quidem etiam in ultimo ſtadio contingit, tamen propter vim irritantem ſuperantem minus eſt noxium.

Ceterum evenit haec febris, uti inflammatoria, cum aliis praecipuis atque eminentibus ſymptomatibus, quae poſtea tanquam genera ſingularia in medium proferam.

De Febribus remittentibus.

Auctores has febres quoque vocant *ſynochas* ſeu *febres continuas remittentes.* Illae remiſſionibus atque exacerbationibus gaudent. Priores poſt evacuationes quasdam criticas naſcuntur, et poſteriores ſubinde rurſus cum frigore, ſubinde ſtatim cum calore aucto incipiunt. Haec exacerbationes nonnumquam ſunt typicae, ſed non ſemper, quamvis eae ſemper ſint regulares, atque aut quotidie aut tertio aut quarto die fiunt. Quaedam inter febres acutas, aliae inter febres lentas referuntur. Nobis hic tantum de febribus prioris generis ſermo eſt.

Cauſa hujus febris non in ipſo ſanguine prognata, ſed e primis viis illuc delata eſſe videtur. Suſpicio, quae e phaenomenis et methodo medendi confirmatur. Ex hac ratione a variis ſcriptoribus illae etiam *febres gaſtricae* ſunt appellatae.

Quo magis materia morbi in primis viis contenta humoribus admiſcetur, eo magis remiſſiones atque exacerbationes fiunt incertae, et febres tum indolis continuae eſſe videntur. Hic caſus in ultimis febrium putrido-bilioſarum ſtadiis, ubi initio remedia evacuantia neglecta fuere, obtinet.

In his febribus obſervatur in primis viis aut colluvies *bilioſarum* aut abundantia *mucoſarum* impuri-

tatum, atque hoc in reſpectu quoque has febres conſideremus.

De Febribus biliosſis.

Omnes febres remittentes, in quibus abundantia bilis, tanquam perpetuum atque eſſentiale ſymptoma obſervatur, appellantur *febres bilioſae.* Haec bilis abundàntia pro ſedis illius differentia duplici modo ſeſe prodit. Bilis per varias cauſas humoribus noſtri corporis immiſceri poteſt, ſine effuſione in inteſtinis.

Quo in caſu ea, lingua pura exiſtente, per guſtum amarum, per urinam rubicundo-flavam, per ſerum ex vena miſſi ſanguinis flavum atque amarum, et interdum per colorem cutis flavum, ſeſe prodit.

Colluvies impuritatum bilioſarum in inteſtinis ſeſe prodit per guſtum amarum, per linguam muco flàvo obductam, defectum appetitus, urinam craſſam et turbidam, atque excretionem alvinam praeternaturalem. In utroque caſu oriuntur ſymptomata nervoſa, neque inflammationi verae, neque putredini, neque debilitati adſcribenda.

Haec acrimonia bilioſa, diſpoſitione exiſtente cholerica, facile naſcitur poſt motus animi praegreſſos. At inprimis miaſmata et contagia varia in bilem ejusque organa ſecretoria agere videntur, ſicuti omne id, quod ſpasmum in abdominis viſceribus

producit, ad cauſas febrium bilioſarum occaſionales pertinet.

Certum eſt, has febres, haud alia ratione, quam bile corrupta evacuata, tolli; dubium tamen eſſe videtur, utrum haec bilis effectus potius, an cauſa febris ſit. Uterque caſus veriſimilis eſt, quod vero in curatione nihil mutat. Adeſt forſitan cauſa tertia, quae tamen haud alia ratione, quam etiamſi non per ſublatam bilem, ſed poſt eam evacuatam a natura ſuperari poteſt.

Curatione exiſtente apta, non ſemper hae febres ſunt periculoſae. Quodſi autem illae non rite cognoſcuntur, facile malignae fieri poſſunt. Criſis praecipue per vomitum et dejectiones alvi contingit. Quemadmodum in aliis febribus criſi imminente materia appellatur cocta, ita hic dicitur ea *turgeſcere*, hoc eſt: in ventriculo atque inteſtinis depoſita mobilis evacuationique apta eſſe. Haec *turgeſcentia* proinde aut fit verſus ſuperiora, aut verſus inferiora. Materiam verſus ſuperiora turgeſcere cognoſcitur, ſi mucus ſuper lingua incipit ſolvi, minusque firmiter adhaereſcere; anima fit olida, nauſea, inclinatio in vomitum oritur; in ſcrobiculo cordis ſenſus preſſionis; extremitates algent; cephalalgia, tinnitus aurium, vertigo atque anxietates oriuntur. Turgeſcentia verſus inferiora ſe prodit per gravitatem in lumbis et genubus, per diſtenſionem abdominis, flatus et

dolores abdominis, moliminaque ad dejectiones alvinas.

Methodus medendi inſtituitur hic e naturae praeſcripto. Enitimur materiam ex humoribus ad primas vias ducere, ac turgeſcentem reddere, et tum promovemus ejusdem evacuationem. Prius fit per remedia reſolventia, antiſpasmodica atque attenuantia. Sal mirabile atque oxymel ſimplex, atque emetica in tam parvis doſibus, ut ea nullum excitent vomitum, ſunt hunc in finem utiliſſima. (Vid. *Mixtura ſolvens.*) In ſpasmis pertinacibus, quibus bilis in ſanguinem ducitur, dantur ſenſim ſenſimque opiata lenia, quae ſemper cum remediis derivantibus conjungi debent. Quamprimum ſigna turgeſcentiae comparent, exhibetur aut emeticum, aut ducitur alvus per pulpam tamarindorum aut per cremorem tartari, prouti natura et circumſtantiae requirunt. Vid. *Potio laxans.*

Febres bilioſae in ſyſtemate naturali conficiunt genus, quod ex duabus conſtat ſpeciebus, pro indole humorum cum ea conjunctorum. Sunt ſcilicet illae qualitatis vel *inflammatoriae* vel *putridae*.

Febris bilioſa inflammatoria.

Hae febres plerumque tempore verno epidemice graſſantur, quamvis eae ſaepe ſporadice etiam occurrant. Per ſigna diatheſeos phlogiſticae, et colluviei bilioſae ſeſe produnt, atque ex hac ratione pejores

ſunt hae, quam illae, in quibus aut ſola adeſt indoles ſanguinis inflammatoria, aut ſola corruptio bilis, ſine inſigni mutatione, atque cooperatione ſanguinis.

Methodus igitur eas medendi ex utraque eſt compoſita.

Primum, quod ſuſcipiendum eſt, eſt miſſio ſanguinis, tam propter conſtitutionem inflammatoriam, quam etiam, ut hoc ipſo materia ad turgeſcentiam aptior reddatur, atque obex ponatur, ne remedia reſolventia atque evacuantia aut inflammationibus aut congeſtionibus anſam praebeant. Mox adhibentur medicamina jam laudata reſolventia atque attenuantia, tum evacuantia, ac denique diaphoretica lenia.

Febris bilioſa putrida.

Haec febris ab auctoribus maxime confunditur, et modo febris continens putrida, modo febris maligna, modo utraque, una eademque ſpecies febris vocatur. Sed diſtinguitur a priori per colluviem bilioſam, atque a poſteriori, quod ſymptomata nervoſa plerumque ex irritatione acrimoniae bilioſae naſcantur, et cum evacuatione ejusdem tollantur. Tempore aeſtivo atque autumnali fere oritur, praeſertim ſi exhalationes putridae, aëre calido, humido, aut etiam miaſma vel contagium ſingulare in corpus agant. Hic ſigna *bilis* et *putredinis* deprehenduntur,

hincque febris eſt periculoſior febri inflammatoria bilioſa. Miſſio ſanguinis raro hic aut numquam habet locum, niſi magna adeſſet plethora, nec putredo adhuc nimium eſſet extimeſcenda, quod vero tantum prioribus diebus locum habere poteſt.

Ut reſolventia atque evacuantia adhibentur hic acida vegetabilia, inprimis pulpa tamarindorum aut cremor tartari. (Vid. *Potio laxans.*) Acida mineralia initio ſupprimerent reſolutionem atque evacuationem. In ultima morbi periodo tamen omnino locum habent.

Veſicatoria tum demum applicari poſſunt, quodſi propter nimiam evacuationem inflammatio inteſtinorum eſt extimeſcenda, aut etiam inteſtina nimium ſunt laxa. In utroque caſu ea utiliter abdomini imponuntur.

Evacuatione peracta, enitimur tranſpirationem per camphorata promovere.

In ultima morbi periodo, ubi nulla amplius inſtitui poteſt evacuatio, agitur ut in febri continenti putrida.

De Febribus pituitoſis.

Hae febres diſcernuntur a prioribus, quod non tam *colluvies bilioſa*, quam *pituitoſa* in primis viis, et ſemper fere proclivitas humorum ad putredinem, aut etiam debilitas ſyſtematis nervoſi ſingularis obſervetur.

Inter auctores *Sarcone* priorem ſpeciem imprimis bene et proprie primum conſtituit. Ubi non tam reſolutio humorum, quam potius debilitas nervorum adeſt; febris a quibusdam febris lenta nervoſa nuncupatur. Ubi autem pituita tam manifeſta eſt ut hic, hoc nomen eſt inane. In febri, quae proprie nomen febris lentae nervoſae meretur, conſtitutio pituitoſa quidem etiam adeſſe poteſt, ea autem minime, uti hic, eſſentiam febris principem conſtituit. Non enim tantum liquores gaſtrici, ſed etiam ſanguis ipſe in febri pituitoſa tantopere ſcatet pituita, ut vel veſicatoria ipſa gluten ſecernant, omniaque viſcera poſt mortem pituita fuerint obducta reperta. Ea in aëre frigido atque humido, diaeta minus ſalubri, atque caritate annonae oritur.

Lingua muco viſcido eſt obducta. Cruor ſanguinis e vena miſſi eſt reſolutus atque cuticula tenaci mucoſa obductus. Urina eſt tenuis et pellucida, febris non magna, et pulſus debilis atque intermittens.

Hae febres multo ſunt periculoſiores, quam febres reliquae putridae, quia hic activitas naturae deficit.

Miſſio ſanguinis fere locum non habet. Ad reſolutionem pituitae neque ſatis temporis, neque auxilii quidquam a natura habetur, ſtatim proinde cum evacuatione incipiendum eſt, quae optime fit per vomitum. Ubi hoc contraindicatur, rhabarbarina cum

ſale

ſale ammoniaco ſunt adhibenda, quia priora non debilitant, ſed e contrario augent tonum, et poſterius non tantum eſt remedium reſolvens, ſed ſimul etiam antiſepticum. Vid. *Mixtura reſolvens.*

Veſicatoria ad vires naturae ſtimulandas ſunt neceſſaria.

Quamprimum redundantia muci eſt ſublata, enitendum eſt, ut tranſpiratio per alexipharmaca promoveatur. Vid. *Potio alexipharmaca.*

Praeterea victus aliquantum nutriens et roborans ordinatur, juſcula carnis cum acido citri et vino praebentur.

De Febribus irregularibus.

Haec febrium claſſis, ut nos eam hic accipimus, non omnes complectitur febres, quae ab auctoribus febres erraticae appellantur. Nos intelligimus ſub hac tales, in quibus remiſſiones atque exacerbationes admodum ſunt obſcurae atque irregulares, nec ullum ſervant typum, eoque minus faciunt intermiſſiones. Quo ipſo omnes jam febres intermittentes irregulares ex hac claſſe excludimus. Praeterea hae febres ab omnibus reliquis in eo diſtinguuntur, quod in his debilitas atque irritabilitas ſyſtematis nervoſi ſingularis obſervetur, et quod phaenomena neque inter ſe, neque cum cauſis ſeſe manifeſtantibus conſentiant.

Aegri ſunt aut longe timidi et parvi animi, mutationibusque morbi ipſius minutiſſimis mortem metuunt, aut credunt, ſe in ſtatu periculoſiſſimo male non habere. Dormire non poſſunt, tametſi neque doloribus, neque calore gaudent. Pulſus prouti circumſtantiae eſt aut nimis bonus, aut nimis malus. Siti lingua in ſicca non gaudent, aut ore humido permultum bibunt. Remedia veriſimiliter indicata inverſo agunt modo. Signa criſeos ante coctionem prodeunt et ſic porro.

Quodſi nomen febris malignae retinendum foret, hae febres, propter indolem ſuam occultam, periculumque praecipue malignae appellari mererentur. Aptius et ſignificantius appellamus eas *febres nervoſas.*

Cauſa princeps ſita eſt aut in miaſmate ſingulariter acri, contagioſo, quod inprimis in ſyſtema agit nervoſum, aut in tanta debilitate atque irritabilitate nervorum, ut etiam parvae atque inobſervabiles cauſae talem febrem producere queant. Diatheſis inflammatoria, putredo, ſordes bilioſae et mucoſae quidem eodem tempore adeſſe poſſunt, ſed eae in ſe non continent rationem morbi ſufficientem, quoniam ſublatio harum cauſarum febrem non tollit, ſaepe non mitigat, atque haud raro pejorem reddit.

In his febribus omnia a viribus dependent, quae igitur in methodo medendi tanto, quanto fieri poteſt, ſunt parcendae. Quo magis ſymptomata ſolum-

modo e debilitate et minime ex efficacitate febris oriuntur, eo magis morbus nomen febris lentae meretur.

Pro diverſitate cauſarum indicatarum diſtinguitur ea in *febrem nervoſam acutam* et *lentam*.

Febris nervoſa acuta.

Haec febris plerumque aut cum proclivitate ad ſomnum, aut omnino cum inſomnio incipit, atque in remiſſione obſervatur ſingularis animi dejectio, aut etiam intempeſtiva alacritas. Pulſus eſt parvus, duriuſculus atque inaequalis. Lingua eſt alba, ſicca, aſpera et tremula. Inclinatio adeſt ad vomitum, ſine ſignis materiae turgeſcentis. Vomitus bilis viridis aut atrae. Conatus adeſt mingendi. Urina aut eſt nimis craſſa, fuſca et foetida, aut nimium clara et tenuis. Oculi ſunt rigidi aut nitentes aut inſolite acuti. Facile oriuntur deliria et convulſiones. Inprimis hujus febris indoles ex jam ſupra conſtituta ſymptomatum contradictione cognoſcitur.

Cauſa hujus febris ſemper fere eſt contagium, quamvis nonnunquam etiam ſporadice occurrant.

Illae ſunt quam periculoſiſſimae, atque in methodo medendi maximam requirunt attentionem.

Statim in initio omnia illa ſunt evitanda, quae quoquo modo vires debilitare poſſunt. Miſſio ſanguinis a principio in corporibus duntaxat ſumme pletho-

ricis, atque huic evacuationi admodum adſuetis, in progreſſu morbi numquam, locum habet.

Purgantia prorſus ſunt evitanda, ſed e contrario ſtatim in initio emeticum eſt propinandum, non ſolum ad cruditates forte praeſentes ſordesque bilioſas exturbandas, ſed etiam ad effectus contagii minuendos, ad tranſpirationemque praeparandam, quam ſtatim per alexipharmaca promovere enitendum eſt. Vid. *Potio alexipharmaca prima.*

Ad irritationem internam imminuendam, viresque intendendas neque veſicatoria ſunt hic negligenda.

Ubi evacuationes ſunt nimiae, et tamen ſpasmus atque inſomnium adſunt, uſus opii cautus locus habet.

Ubi ſpasmus omnes impedit evacuationes, et cutis eſt ſicca, balnea calida, aut, ubi hoc fieri non poteſt, fomentationes circa extremitates proſunt.

In inſigni virium proſtratione inſerviunt vinum et cortex peruvianus. Diaeta aliquantum nutriens, et regimen aliquantum calidum eſſe poſſunt.

Febris nervoſa lenta.

Ea in conſtitutione hyſterica atque hypochondriaca, poſt multas animi paſſiones, aliasque cauſas ſyſtema nervoſum debilitantes, antegreſſas, e. g. Onaniam, oritur. Statim ab initio in remiſſionibus dejectio animi ſingularis, defectus virium, pulſus parvus, irregularis obſervantur. Calor ad tactum externum eſt

naturalis, ad ſenſum aegroti ardens. Subinde ſentit aegrotus in capite calorem, pedibus alget. Atque ita paulatim plura comparent ſymptomata, quae fere omnia ſibi invicem contradicunt. Denique ſubito delirium placidum oritur, quod fere cum ſomno ſoporoſo, atque hic cum morte finitur apoplectica.

A febri nervoſa acuta diſtinguitur ea per diviſionem accuratiſſimam in duo ſtadia, quorum prius ex levibus, ſed ſibi mutuo contradicentibus, perque remedia conſueta non ſuperandis ſymptomatibus conſtat, atque ſaepe ad diem 11 quin 15 trahitur. Stadium ſecundum plerumque uno dierum criticorum cum delirio, aut convulſionibus, deliquiis animi, paralyſibus incipit; atque in utroque ſtadio inſomnium plerumque eſt ſymptoma eſſentiale.

Cauſa hujus febris ſita eſt in ſyſtemate nervoſo debilitato; cauſa adhuc ſuperaccedens irritans variae indolis eſſe poteſt; utplurimum ea eſt tam occulta, ut in curatione nulla ratio ejusdem haberi poſſit, quamvis etiam nonnumquam materia varioloſa, rheumatica, aliaeque acrimoniae huic febri anſam praebere queant.

Criſis hujus febris ſaepe eſt inobſervabilis; nonnumquam fit ea per ſudorem, nonnumquam per exanthema miliare album; nonnumquam ſequitur metaſtaſis in parotidem et fauces. Quodſi haec metaſtaſis fit in pulmones, ſequitur catarrhus ſuffocativus, atque

aut mors, aut febris hectica. Eſt ea ſemper e periculoſiſſimis.

Omnia pendent a diagnoſi accurata, tractationeque prioris ſtadii apta, in quo quidem ſecundum omnes indicationes agendum, inſimul vero enitendum eſt, ut viribus quam maxime parcatur. Sal lixivioſum acido citri ſaturatum cum tantillo aquae benedictae Rulandi mixtum, eſt hic maxime idoneum, quia illud materiam reddit mobilem, ad evacuationesque praeparat.

Stadium ſecundum eodem plane pacto tractatur, ut febris nervoſa acuta, praeterquam quod hic remedia roborantia majori in copia exhibeantur. (Vid. *Potio alexipharmaca ſecunda.*) Veſicatoria mutentur in fonticulos, victusque permittatur animalis.

Quamprimum metaſtaſis contigerit, ſuccurrendum eſt cum remediis reſolventibus, atque haud raro miſſione ſanguinis. Febris nunc malignitatem ſuam amiſit, atque accedit magis ad indolem inflammatoriam. Et ſic in progreſſu unius ejusdem febris duae longo oppoſitae medendi methodi locum habent.

De Febribus intermittentibus.

Hae febres gaudent paroxysmis, qui intermiſſionem ſymptomatum perfectam faciunt.

Hoc phaenomenon haud alia ratione explicare novimus, quam ſupponendo, materiam febrilem hic

non in ſanguine generari, ſed ex aliis locis illuc deferri. Credibile eſt, materiam febrium intermittentium in primis viis naſci, quia in his febribus in conditione inſtrumentorum concoctionis plurimum ſitum eſt momenti. Simul vero eſt etiam veriſimile, hanc materiam ſaepiſſime adeſſe, nec tamen propterea febrem ab ea produci. Procul dubio proinde diſpoſitio quaedam ſingularis ſyſtematis nervoſi ad producendam febrim requiritur. Quantum ſaltem influxum nervi in febres intermittentes habere debent, ex obſervationibus concludendum eſt, quum animi pathemata has febres producere atque etiam tollere poſſint, purgantia facile recidivas excitent, et cortex peruvianus nihil in his febribus valeat, quodſi is alvum ducat.

Cauſae harum febrium remotiores ſunt cruditates, ſordes织 biliofae et mucoſae, atque nonnumquam contagium aut miaſma epidemicum.

Intermiſſiones ipſae plerumque ſervant typum, cujus rei ratio ad hunc uſque diem ſemper quaeritur.

Pro diverſitate hujus typi dividuntur febres intermittentes:

1) In *quotidianas*, ubi intervallum a febre liberum eſt horarum viginti quatuor.
2) In *tertianas*, ubi intervallum eſt horarum quadraginta octo.
3) In *quartanas*, ubi intervallum conſtituit horas ſeptuaginta duo.

4) Extant obſervationes quinque, ſex, ſeptem, octo, ad novem *dierum*, quin *menſtruarum*, *trimeſtrium* atque *annuarum* febrium intermittentium, et denique

5) ſunt hae febres ſaepe *duplices;* ſic dantur *duplices tertianae* et *quartanae* febres.

Dividuntur porro ex anni tempeſtate:

1) In *febres vernas*, quae plerumque quotidianae et tertianae ſunt, et

2) in *febres autumnales*, ubi illae quidem etiam ſunt conſuetae, ſed jam plures febres quartanae occurrunt.

Diſtinguuntur etiam:

1) In *febres benignas*, quae nullis extraordinariis ſymptomatibus, nulloque periculo ſingulari ſunt ſtipatae, et

2) in *febres malignas*, ubi ſaepius jam ſecundo aut tertio paroxysmo mors ſequitur apoplectica.

Datur quoque magna copia morborum *periodicorum*, ubi quidem nulla ſymptomata proprie febrilia adſunt; aſt e cauſis praeſentibus, methodoque medendi requiſita colligere licet, eos cum febribus intermittentibus ejusdem eſſe indolis.

Criſis earum ſemper fere contingit per ſudorem et ſedimentum urinae lateritii coloris.

Vomitu ſpontaneo cum frigoris acceſſione criſis maxime promovetur.

Bonum etiam eſt ſignum, quum exanthemata in labiis prodeunt.

Quo magis illae typum fixum ſervant, eo pertinaciores eſſe ſolent.

Paroxyſmi anteponentes et ſimul imminuti ſigna ſunt, febris mox tollendae.

Saepe per febres intermittentes obſtructiones inveteratae tolluntur, ſubinde oriuntur etiam novae, ſicuti e. g. *placentae febriles.*

In magnitudine et vehementia cauſarum malaque medendi methodo illae nonnumquam in continentes tranſeunt, quae tum plerumque ſunt periculoſae.

Generatim in paroxyſmo nihil ſuſcipitur, quam ut ſudor per diligentem potum theae e floribus chamomillae promoveatur, atque extra paroxyſmos nitimur cauſas tollere, atque deinde ſyſtema nervoſum per corticem chinae roborare. Nonnumquam creſcit periculum cum quavis acceſſione, et tum uſus corticis chinae eſt maturandus. Numquam tamen in acceſſionibus ipſis exhibetur, neque nimium brevi antea, quia is tum aut eſt non tam efficax, aut quoque acceſſionem exacerbat, aut denique obſtructionibus occaſionem praebere poteſt. Optime ſtatim acceſſione finita praebetur.

Quum ego in generibus febrium conſtituendis libenter ad differentiam earum naturalem reſpiciam, neque hic diviſionem vulgarem ſecuturus ſum, quum

e paroxyſmorum diverſitate diſcernuntur, ſed potius diverſitatem naturae earum ſum conſideraturus.

Febris intermittens e ſola irritabilitate.

Haec febris nonnumquam ſporadice in corporibus maxime irritabilibus poſt quamvis enervationem, aut quoque in epidemiis graſſantibus occurrit. Hic omnia cauſarum materialium craſſarum ſigna deficiunt; illae ſunt plerumque fere tertianae, tractatione convenienti minime periculoſae, atque raro ad curationem earum quidquam aliud, quam corticem requirunt peruvianum.

Febris intermittens bilioſa.

Haec febris more conſueto tempore vernali graſſari, et tertiana eſſe ſolet. Signa impuritatum bilioſarum plerumque ſunt manifeſta, aut ſimul ſub frigoris acceſſione vomitus ſpontaneus bilioſus oritur. Haec ceterum eſt mitiſſima atque frequentiſſima febrium intermittentium.

Hic naturae veſtigia ſequimur. Sub frigoris acceſſione aut paulo ante exhibetur emeticum, et ſaepe per hoc jam prorſus tollitur febris. Quod niſi fiat, in intervallis intercalaribus cortex peruvianus praebetur.

Febris intermittens bilioſo-inflammatoria.

Haec febris a febre intermittente ſolummodo bilioſa ſignis inflammatoriae diſpoſitionis ſic ſatis ſeſe

manifeſtantibus diſtinguitur. Illae more conſueto ſunt tertianae duplicatae, temporeque vernali graſſantur.

Per curationem incautam, uſumque corticis chinae nimium maturum, facile hae febres tranſeunt in continuas.

Secatur proinde vena, atque in initio agitur ut in febre continua billioſo-inflammatoria. Poſt ſufficientem duntaxat humorum attenuationem et bilis evacuationem cortex chinae habet locum.

Febris intermittens billioſo-putrida.

Sicuti praecedentes vernali, ita hae occurrunt tempore autumnali. Subinde ut quotidianae et quartanae, haud raro vero typo tertianae comparent. Hic proclivitas ad putredinem obſervatur, atque illae facile in febres continentes degenerant. Scopo reſolvendi hic praeſertim ſal ammoniacum locum habet, atque evacuatio bilis eſt maturanda, ut cortex chinae mature, attamen tuto poſſit adhiberi.

Febris intermittens maligna.

Cauſa remotior hic plerumque eſt contagium, nec tamen ſemper. Saepiſſime ea paroxyſmos facit quartanos, quorum tamen jam ſecundus aut tertius haud raro finitur morte apoplectica.

Statim in primo intervallo copioſe hic cortex chinae exhibendus eſt, ad acceſſionem futuram evitan-

dam. Durante paroxyſmo ipſo theriaca a drachma una ad duas ſpatio horarum duodecim eximii eſt uſus.

Febris intermittens diuturna.

Raro febris tertiana ducitur in longum. In quotidianis et quartanis ſaepius hoc obſervatur. Hic plerumque obſtructiones abdominis pertinaces adſunt, quae, niſi illae tollantur, facilime hydropem aut febrem tabidam poſt ſe trahunt.

Momentum methodi medendi inprimis vertitur in obſtructionum ſublatione, quae optime perficitur per largum et conſtantem ſulphuris antimonii tertiae praecipitationis et mercurii dulcis uſum. Pulvis D. *James* in anglia tam celebris e calce antimonii atque arcano corallino conſiſtit.

Quo facto roborandum eſt ſyſtema nervoſum per uſum corticis peruviani frequentem, ad recidivas facile eventuras praecavendas. Vid. *Cortex chinae.*

Saepe tamen etiam tantum debilitas nervorum, et proclivitas ad motus ſpaſticos adeſſe videtur, atque hoc in caſu opium cum cortice chinae permixtum praeſtantiſſimum praebet uſum. Niſi hoc ſufficiat, opium in acceſſione ipſa, frigore finito, exhiberi poteſt, quod tum ſudorem producit benignum, atque partes ſuas ad acceſſiones ſequentes imminuendas et tollendas confert.

De Febrium ſymptomatibus.

Quandoque unum aut alterum ſymptomatum febrilium ſingularem requirit cenſum, et medici, qui non ſemper totum prae oculis habent, ſaepe hac e cauſa a recta via ſunt deducti, ut ex febribus, ſymptomate aliquo inſigniter notabili comitatis, ſingulares facerent ſpecies; methodus, quae, quodſi eam pro norma eligas, multitudinem morborum ſingularium in infinitum augeret, eoque ipſo medico tironi ad nimium confuſas atque incertas ideas occaſionem praeberet.

Hic unumquodque ſymptoma tantum in eo conſideremus, quoad hoc per cauſas producitur aut augetur, quae minime ad morbi eſſentiam pertinent. Reſpectus therapeuticus ad talia ſymptomata ſalutatur *curatio ſymptomatica.*

Calor.

Sine motu nullum poſſibilem eſſe calorem, veritas in phyſicis evicta eſt. Quum proinde in febribus circulatio ſanguinis aucta adſit, ſequela omnino naturalis eſſe videtur, calorem oriri debere auctum. Quodſi autem per hoc homines ſeduci ſe paſſi ſunt, calorem e partium fluidarum attritu ad partes ſolidas exponere, id eſt e ſanguinis attritu in vaſa, una quidem cauſa eſt adlata, longe tamen abeſt, ut omnes adlatae fuiſſent. Saepe multum adeſt caloris, pulſu

exiſtente vivaciſſimo. Veriſimile eſt, plus hic in motu inteſtino, quam in progreſſivo ſitum eſſe momenti, atque ille ſine poſteriori adeſſe poteſt.

In diagnoſi caloris febrilis quoque non ſolum in externum ſcrutatoris tactum, ſed etiam in aegroti ſenſationem eſt reſpiciendum. Saepe thermometrum nullum magnum indicat calorem, ubi aegrotus a calore anxioſo vexatur. Circumſtantia, cujus neglectus ſaepe ad rixas de variorum remediorum effectu anſam praebuit.

Febris calore inſigniter aucto et conſtante comitata ab auctoribus *cauſus* ſeu *febris ardens* eſt denominata.

Sine calore nulla criſis locum habet, quodſi autem is eſt nimius, is inflammationibus atque reſolutioni humorum, alias non conſecuturis, occaſionem dare poteſt. Facile quoque per eum excitantur ſudores ſymptomatici atque adeo inutiles ac noxii.

Praeter cauſas febrium univerſales calor per plethoram, per obſtructionem alvi et per regimen calidum augeri poteſt.

Quodſi proinde cauſis univerſalibus occurratur, neque tamen calor ſuperari poſſit, vena, plethora praeſente, eſt ſecanda, alvus per enemata aperta eſt ſervanda, et regimen ordinandum frigidiuſculum.

Frigus.

Frigus diſtinguitur in *perfrigerium*, *horrorem* et *rigorem*.

Perfrigerium ſeu *horripilatio* ſemper frigore externo eſt ſtipatum. Hoc plerumque eſt febris atque ejus exacerbationum initium, atque hoc in caſu evaneſcens. Quodſi vero perdurat, aut inſignis debilitatis, aut putredinis et gangraenae eſt ſequela. In utroque caſu ars, praeter generalia, nihil efficere poteſt.

Horror quoque ſaepiſſime eſt paroxysmi cujusdam initium, nec ſemper cum frigore externo conjunctus. Extra paroxysmorum tempus is plerumque mutationem ſingularem e. gr. excretionem criticam, haemorrhagiam, tranſitum inflammationis in ſuppurationem, indicat.

In utroque caſu, ad illis occurrendum, nihil ſuscipere licet.

Rigor frigus cum rigiditate nuncupatur, isque eſt ſymptoma periculoſiſſimum, quoniam is facile obſtructiones pertinaces et concretiones polypoſas efficere poteſt.

Enitimur hoc ultimum per potum calidum vino permixtum, et per frictionem artuum cum vino atque aquis aromaticis tollere, ad ſtagnationes in inteſtinis perniciosas praecavendas.

Interdum nimis magna humorum congeſtio indeque motus eorundem diminutus originem ducens eſt frigoris cauſa, quum tum requiſita remedia evacuantia ſint adhibenda.

Quodſi frigus extra paroxyſmos abſque aliis criſeos aut ſuppurationis ſignis compareat, ſemper fere eſt morbi ingraveſcentis gangraenaeque imminentis ſignum.

Quum calor e motu memorato progreſſivo explicabatur, frigus e partium fluidarum ſtagnatione deducere voluerunt. Sed adeſt ſaepe calor externus, et pulſus celer cum frigoris ſenſu. Multo certius is ex irritatione peculiari explicari poteſt, quum is ſaepe oriatur, dum nervi irritantur, e. gr. in partu, aut quum calculus e veſica urinaria in urethram ingrediatur.

Febris, in qua cum frigore externo caloris adeſt ſenſus, ab auctoribus denominata eſt *febris leipyria*; ubi calor externus cum frigore interno adeſt, *febris epiala;* ubi durante calore extemplo ſubinde frigus exoritur, *febris phricodes;* et ubi tam externum quam internum frigus perſeverat, *febris algida.*

Sitis.

Sitis oritur, quum per irritationem ſecretiones ſupprimantur; aut per reſpirationem nimium frequen-

tem

tem et celerem, quod utrumque etiam per cauſas febrium generales efficitur.

Ea eſt periculoſa, quodſi extingui nequit, et tamen lingua eſt humida. Malum pariter eſt omen, ſi aegro nullus amplius potus placere incipit, et tanto pejus, ſi is potus acidos faſtidit. Pariter eſt periculoſum, quodſi aeger lingua arida bibere recuſat, et quodſi is generatim potum averſatur, haec eſt periculoſa *hydrophobia ſpontanea*. Longe omnium periculoſiſſimum eſt, quodſi potus per naſum regurgitat, aut cum ſtrepitu deſcendit.

Generatim nulla adeſt ratio, aegroto ſiti urgenti ad bibendum non permittere. Potus tantum reliquis indicationibus et circumſtantiis reſpondere debet. In febribus inflammatoriis potus tenues atque aperientes, in febribus bilioſis mucoſi, in febribus putridis acidi, in febribus malignis inſerviunt analeptici. A potu frigido quoque minus eſt extimeſcendum, quam more conſueto creditur; quoniam ardor febrilis perdurans alias conſuetas potus frigidi ſequelas ſubito rurſus tollit.

Praeterea nihil ratione hujus ſyſtematis ſuſcipere licet, quoniam illud a febris natura pendet. Ubi interim ſpasmus eſt nimius, enitendum eſt, ut omnes ſtagnationes tollantur, remediaque exhibenda ſunt antiſpaſmodica.

Inappetentia.

Defectus appetitus eſt fere ſymptoma febrium univerſale. In morbis duntaxat phthiſicis, et quibusdam febribus intermittentibus appetitus manere poteſt.

Febri ſublata facile is remediis amaris et roborantibus reſtitui poteſt.

Nauſea et vomitus.

Utraque ſymptomata gradu tantum a ſe invicem diſtinguuntur.

Illa ſemper ab irritatione ventriculi atque oeſophagi oriuntur. Huic irritationi occaſionem praebent aut ſordes in ventriculo praeſentes, aut miaſma contagioſum, aut parvae cauſae in ſingulari ventriculi irritabilitate, aut inflammatio ejusdem partiumque illi adjacentium, et denique quoque irritationes conſenſuales, e.g. morbi cerebri et renum.

Generatim regula valet, vomitum ſublevare, tam diu per eum impuritates evacuantur, vires non nimis vehementer debilitantur, et partes adficientes non nimis admodum irritantur.

Ubi ceterum ſordes adſunt, cogitandum eſt de iis educendis; miaſmata contagioſa optime per remedia diaphoretica educuntur; ubi irritatio adeſt peculiaris, potio Riverii, opiata lenia atque veſicatoria ventriculo ſuperimpoſita proſunt. Ubi inflammatio adeſt, agitur ut in gaſtritide inferius adducenda;

ubi irritatio e renibus evenit, enitendum eſt, morbus eorum ut tollatur, atque ubi irritatio e cerebro fit, ſymptoma utplurimum eſt inſanabile, aut ſaltem pendet a laeſionis conditione, cujus diagnoſis et curatio alibi docebitur.

Flatus.

Ubi vires concoctionis debiles atque liquores ventriculi praeternaturaliter ſunt conſtituti, facile aër fixus et corruptus in tanta copia evolvitur, ut is reſorberi nequeat, ſed per diſtenſionem, quam is in ventriculo atque inteſtinis facit, omnis generis moleſtias creat, ſymptomataque febrilia conſueta exacerbat.

Quodſi hic aër exitum ſibi per oeſophagum parat, vocatur *ructus*. Si in inteſtinis motus producit, qui exaudiri poſſunt, appellantur illi *borborygmi*. Si totum abdomen ab eo diſtenditur, vocatur illud *meteoriſmus*.

Cauſae ſunt:

1) Debilitas ventriculi atque inteſtinorum ſingularis.
2) Motus harumce partium ſpasmodici, quibus adſimilatio turbatur, atque evolutio aëris promovetur, exitusque ejusdem impeditur.
3) Errores diaetetici, quibus cruditatibus et ſpasmis occaſio praebetur.

4) Defectus bilis, quo tamen praeſertim adſimilatio perficitur.

5) Obſtructio, alvi, qua paucis flatibus naſcentibus exitus obſeratur, atque ita motibus ſpaſticis adeoque generationi plurium flatuum anſa praebetur.

Contra debilitatem ventriculi inteſtinorumque vix prius quidquam, quam in febris fine, per medicamenta amara ſuſcipi poteſt.

Motibus ſpaſticis praeſentibus ſolvenda ſunt pharmaca in aquis antiſpasmodicis, e. g. in aqua menthae aut chamomillae, atque aliquantum ſpiritus nitri dulcis eſt addendum.

Errores diaetetici ſunt evitandi, cruditatesque ſecundum circumſtantias per emetica aut laxantia lenia ſunt evacuandae.

Defectus bilis varias cauſas agnoſcere poteſt, quae, niſi illae cum febre tollantur, poſtremo curationem requirunt ſingularem, quae inferius in ſectione de ictero docebitur.

Obſtructio alvi per enemata carminativa e floribus chamomillae cum foeniculo aut cumino eſt tollenda.

Quodſi indurationes in abdomine inveteratae, quae vehementia febris exulcerantur, aut generatim ulcera antiqua adſunt, facile copia aëris in illis producitur, quae tum non tantum difficillime tollitur, ſed etiam de integro progeneratur.

Obſtructio alvi.

Raro alvus in febribus naturaliter eſt aperta. Aut diarrhoea, aut obſtructio adeſt.

Obſtructio ſaepe eſt cauſa anxietatum, dolorum capitis, vertiginis, vomitus, delirii et proclivitatis ad ſoporem, quare ea omnem meretur attentionem.

Cauſae obſtructionis ſunt:

1) Secretiones generatim impeditae. Ubi ſitis adeſt, alvus libenter obſerata eſſe ſolet.

2) Secretiones aliae auctae. Ubi vomitus aut ſudor adeſt, facile dejectio alvina emanet.

3) E pari ratione alvus eſt obſtructa, exanthematibus aut haemorrhagiis imminentibus.

4) Debilitas inteſtinorum.

5) Defectus bilis.

6) Defectus alimentorum.

Generatim ibi tantum alvus eſt aperienda, ubi ex obſtructionibus moleſtiae obſervantur.

Irritatio utplurimum e cauſis febris generalibus oritur, et cum illis tollitur.

Ubi vomitus adeſt ſymptomaticus, contendimus eum ſiſtere. Sudori ſymptomatico occurritur methodo medendi generali et regimine frigidiuſculo.

Exanthematibus atque haemorrhagiis imminentibus prorſus quieti manemus, quodſi cauſae adſunt, ut eas criticas eſſe credamus.

Reliquis tribus cauſis tantum in febris fine mederi poſſumus; curatio palliativa per fomentationes atque enemata ſuſcipitur.

Diarrhoea.

Non hic agitur de diarrhoeis criticis, ſed tantum de ſymptomaticis, quibus vires franguntur, atque evacuationes verae criticae impediuntur aut difficiles redduntur.

Diarrhoeam futuram eſſe criticam, e ſignis turgeſcentiae praegreſſis eſt dijudicandum.

Diarrhoeae ſymptomaticae praeter cauſas febrium univerſales oriuntur;

1) A cruditatibus.

2) A nimia inteſtinorum irritabilitate.

3) Quodſi vaſa lactea propter circulationem ſanguinis impeditam per ſyſtema venae portarum non ſatis reſorbent.

4) Quodſi aliae evacuationes ſpaſtice ſunt ſuppreſſae.

Ubicunque diarrhoea nullum febris levamen efficit, enitendum eſt, ut illi modus imponatur.

Cruditates evacuantur, irritabilitas inteſtinorum per cataplaſmata atque enemata emollientia, et pro circumſtantiarum ratione opio ſedatur, ſudore atque urina impeditis exhibentur diaphoretica atque diuretica lenia, et ſimul adhibentur veſicatoria, atque

ubi obſtructiones adſunt, enitimur eas, febre ſublata, reſerare.

Haemorrhagiae.

Haemorrhagiae ſaepe ſunt criticae, ſaepe etiam ſymptomaticae.

Haemorrhagia critica contingit plerumque per nares. Raro evenit ea ante quartum diem. Signa ejus prognoſtica ſunt, oculi rubri, gravitas in temporibus, vertigo atque obſcuritas oculorum; cephalalgia, dolor nuchae et pruritus narium.

Cauſae *haemorrhagiarum ſymptomaticarum* praeter febrium generales ſunt ſequentes:

1) Plethora vaſis exiſtentibus laxis.

2) Circulatio ſanguinis in abdomine impedita.

3) Obſtructio alvina.

In primo caſu pertunditur vena, quodſi haemorrhagia eſt inſignis, nec febris eſt indolis putridae.

In caſu ſecundo enitimur per cataplaſmata emollientia abdomini impoſita, per hirudines ad inteſtinum rectum applicatos, atque veſicatoria abdomini adhibita, circulationem ſanguinis rurſus liberam reddere.

In caſu tertio contendimus alvum reſerare.

Sudor.

Sudor ante coctionem materiae exortus, ſemper eſt ſymptomaticus.

Sudor criticus annunciatur per ſecretionem urinae imminutam, per cutem mollem, prurientem, et pulſum mollem, undulatorium.

Sudores, qui igitur ſimul in febris initio occurrunt, plerumque ſunt ſymptomatici. Nonnumquam autem nulla coctio eſt neceſſaria, atque enitendum eſt, ut ſimul in initio per remedia diaphoretica materia e corpore ejiciatur. Hoc eſt caſus in febribus malignis contagioſis.

Febres, in quibus *ſudores ſymptomatici* frequenter occurrunt, a veteribus appellatae ſunt *febres helodes*.

Obſervatus eſt morbus contagioſus, qui cum ſudore mirabiliter aucto eſt conjunctus, atque ſpatio viginti quatuor horarum aut occidit, aut ſanitatem reddit. Morbus ſub nomine *ſudoris anglici* eſt notus.

Sudor ſymptomaticus praeter cauſas febrium generales oritur:

1) In nimia cutis laxitate.

2) In regimine nimium calido.

3) Quodſi excretiones reliquae ſunt impeditae.

In primo et ſecundo caſu regimen frigidiuſculum eſt ſervandum, atque in tertio excretiones reliquae per remedia lenia ſunt reſtituendae.

Debilitas febrilis.

In quovis morbo febrili laborant vires. Sed ubi vires ad coctionem et ſeparationem materiae deſunt,

aut languoris ſenſus adeſt inſolitus, vocatur *proſtratio virium.*

Haec virium proſtratio plerumque in febribus nervoſis adeſt, et quum hae ſint admodum malignae, proſtrationem virium pro charactere malignitatis habere voluerunt. Ea autem non raro etiam in aliis febribus locum habet, ubi ea emetico tolli poteſt, atque ita pro idiotis eſt maligna. Probe itaque caſus ſunt diſtinguendi, ubi vires revera deſunt, atque ubi eae tantum ſunt ſuppreſſae. Prius habet locum in febribus nervoſis, poſterius locum habere poteſt in febribus ſimplicibus inflammatoriis, ubi miſſio ſanguinis vires rurſus reſtituit.

Ceterum numquam fere quidquam ad vires allevandas, praeter methodum medendi generalem, inſtitui poteſt. Ubi vires humores moventes deſunt, frictio lenis et preſſio partium carnoſarum proſunt.

Quodſi debilitas non eſt conſtans, ſed tantum ſubito invadit et mox evaneſcit, vocatur illa *defectio animi* ſ. *lipothymia.*

Cauſae defectionum animi in febribus ſunt aut defectus virium univerſalis, ita ut illae per molimina ad coctionem atque criſin oriantur; aut etiam evacuationes nimium vehementes, quibus maſſa ſanguinis admodum eſt imminuta.

In priori caſu multum adeſt periculi, quin tam criſis difficulter perficitur, niſi forte defectiones animi

non tam e defectu virium vero, quam ex irritabilitate ſingulari oriuntur.

In poſteriori caſu minus ſunt periculoſae, immo haud raro bonum eſt ſignum, ut e. gr. poſt miſſionem ſanguinis in febribus inflammatoriis.

Hic etiam indicationes univerſales pro norma ſunt adſumendae, nec facile pro illis ſeorſim quidquam faciendum, praeterquam quod enitendum eſt, ut criſis generatim promoveatur, atque hunc in finem vires, quantum illud indoles febris patitur, ſuſtententur.

Pervigilium.

Pervigilium diuturnum quoque *agrypnia* ſalutatur.

Cauſae ſunt:

1) Circumſtantiae, quae in ſenſus externos agunt, et per nimis vivacem influxum ſomnum impediunt.
2) Dolores.
3) Regimen nimis calidum.
4) Plethora.
5) Spasmi.
6) Obſtructio alvi.

Quodſi pervigilium e ſpasmis oritur, diuque perdurat, facile ſequitur *delirium.* Conſtans fere eſt ſymptoma febrium nervoſarum, praeſertim in ſtadio priori.

Quodſi diſtractiones externae ſomnum impediunt, hae ſunt permutandae. Nonnumquam jam mutatio cubilis ſufficit ad ſomnum promovendum, inprimis ſi aegri ſibi perſuaſerunt, ſe in loco alieno eſſe.

Contra dolores raro quidquam ſeorſim ſuſcipi poteſt.

Plethora praeſente pertunditur vena, aut hirudines temporibus applicantur.

Contra ſpasmos veſicatoria plerumque proſunt. Cum cautione ſufficienti opium adhibetur.

Denique enitendum eſt, ut alvus ſervetur aperta.

Stupor.

Stupor eſt dejectio animi inſolita, et plerumque ſymptoma febrium nervoſarum. Is autem quoque ex oppreſſione virium naſci poteſt, e. g. a plethora, ſaburra impuritatum in primis viis. Nihil praeterea ſeorſim contra illum ſuſcipi poteſt. Indicat interim veſicatoria.

Delirium.

Delirium diſtinguitur in illud, quod tantum in exacerbationibus obſervatur, atque in illud, quod perdurat. Poſterius ſemper eſt periculoſius, quam prius.

Delirium evaneſcens dicitur *paraphroſyne.* Delirium conſtans aut eſt tantum delirium tranquillum, et tum appellatur *delirium tranquillum*, aut eſt cum gradu rabiei aliquo conjunctum, et tum nuncupatur *phrenitis*,

Auctorum plurimi phrenitidem ab inflammatione meningum deducunt, atque adeo eam inter morbos inflammatorios referunt. Certum autem eſt, in febribus bilioſis atque nervoſis ſaepiſſime occurrere delirium conſtans, quod frequenter ſubito per haemorrhagiam narium aut diarrhoeam ſolvitur, ubi proinde nullam inflammationem in cerebro ſuſpicari licet. Neque ſectiones cadaverum ſaepe ullum veſtigium inflammationis meningum habent, ubi tamen delirium obſervatum fuit conſtans, uti ſaepe inſignes inflammationes non ſolum meningum ſed cerebri ipſius deprehenſae fuerunt, ubi nullum veſtigium delirii notatum fuit.

Ad ſigna delirii imminentis pertinent vehementes capitis auriumque dolores a non manifeſtis cauſis, profunda et tarda reſpiratio, pulſatio in abdomine fortis, inconſuetae actiones et vehementia in loquela et motibus, inprimis oculorum. Quodſi cum talibus ſignis exacerbatio magna in die critico occurrit, delirium eſt extimeſcendum.

Cauſa delirii generalis ſemper eſt irritatio ſyſtematis nervoſi vehemens, aut debilitas ejusdem inſignis. Praeter cauſas febrium generales, etiamſi non produci, tamen augeri et promoveri poteſt;

1) Per plethoram.

2) Per nimiam ſenſibilitatem.

3) Per pervigilium et virium contentionem.

4) Per alvi obſtructionem.

5) Per exanthemata retropulſa.

6) Per enervationem a medicamentis nimiam.

7) Per vermes, atque inter hos inprimis per taenias in febri acuta delirium furioſum produci poteſt.

In primo caſu ſecanda eſt vena, aut ſaltem ſcarificationes ad nucham, et hirudines ad collum applicandi.

Senſibilitas immodica imponit nobis neceſſitatem, in applicatione medicaminum pharmaca nimis irritantia evitandi.

Nimiam aegrotorum vivacitatem conamur per alloquia delinire, et pervigilium tractatur, ut ſuperius eſt doctum. Contendimus alvum ſervare apertam, et tenſiones in abdomine conamur per unguenta emollientia et veſicatoria tollere.

Exanthemata retropulſa nitimur per veſicatoria, epithemata emollientia, balnea et diaphoretica lenia revocare.

Ubi virium proſtratio adeſt magna, praebetur victus nutriens et vinum.

Taeniis praeſentibus nihil, durante febri, ſuſcipere licet; ſaepe ipſa febris optimum eſt remedium mortiferum contra illas.

Ceterum enitendum eſt, ad aegrotos non adhuc magis irritandos, ut eorum ideis atque actionibus

tantum, quantum fieri poteſt, reſpondeamus, quo haud raro tranquilli fiunt.

Sopor.

Febris, in qua ſtatim ab initio proclivitas ad ſomnum adeſt, dicitur *febris ſoporoſa* ſeu *comatoſa.* Ubi ſomnus adeſt perpetuus, e quo aegri excitari poſſunt, appellatur *coma hypnodes;* ubi aegri ſoporem tantum apparentem habent, vocatur *coma vigil;* quodſi aegri poſſunt excitari, nec tamen ad ſe redeunt, ſed delirant, atque in ſomnum continuo recidunt, eſt *lethargus;* et ſi ſomnus conſtanter eſt profundus, nec aeger ullo pacto poteſt excitari, eſt *carus.*

Cauſae ſunt:

1) Defectus virium, poſt nimis perdurantem earum contentionem aut poſt nimis largas evacuationes.

2) Cauſae irritantes, uti vermes, impuritates bilioſae et mucoſae, acrimoniae exanthematicae.

3) Abundantia humorum, qua vis nervoſa ſupprimitur.

4) Pus aut ſanguis in cerebro extravaſatus, quo id comprimitur.

In plurimis febribus oritur ſopor poſt deliria conſtantia aliaque ſymptomata nervoſa, imprimis in ſubjectis junioribus. Dantur etiam febres intermitten-

tes, quarum exacerbationes cum ſopore incipiunt. Carus plerumque per aliquot tantum dies durat.

Semper eſt ſymptoma periculoſum, quodſi illud perduret, nec forte tantum a virium ſuppreſſione aut irritatione admodum craſſa, uti vermibus atque his ſimilibus producitur.

Sinapismi et veſicatoria optima hic poſt remedia generalia eſſe cenſentur. In virium defectu inſerviunt cardiaca atque anodyna. Ut cauſae irritantes et vires vitales ſupprimentes indicationum duce tollantur, enitendum eſt. Ubi ſigna humoris in cerebro extravaſati adſunt, trepanatio eſt applicanda. Ubi acceſſio eſt periodica, uſus corticis peruviani eſt maturandus. Minimum hic temporis diſpendium adfert mortem.

Convulſiones.

Quivis motus fibrarum muſcularium praeternaturalis appellatur *convulſio*, contractio aliarum fibrarum et vaſorum autem *ſpasmus*, licet haec diſtinctio denominationum non accurate obſervetur, quandoquidem contractio muſculorum faciei nuncupatur *ſpasmus cynicus*. Motus tendinum manus involuntarii dicuntur *ſubſultus tendinum*. *Tremor* eſt quaedam convulſionis ſpecies. *Singultus* eſt diaphragmatis convulſio. Huc etiam *oſcitatio*, *ſternutatio* et *teneſmus* pertinent.

Cauſa antecedens eſt ſemper debilitas atque irritabilitas nervorum ſingularis. Irritatio ipſa producitur aut per cauſas febrium generales, aut viribus exhauſtis leves cauſae illi anſam praebent.

Convulſiones igitur in febribus ſunt extimeſcendae, ſi tempus criſeos imminet, et vires aut a natura aut per praegreſſum diuturnum pervigilium vehementer ſint debilitatae.

Juniora atque irritabilia ſubjecta proniora ſunt ad convulſiones, quam ſeniora et phlegmatica. Ex eadem ratione in poſterioribus multo ſunt periculoſiores, quam in prioribus. Quodſi febris ſummum faſtigium jam ſuperavit, aut tamen ſuperata eſſe videtur, ſemper ſunt periculoſiſſimae. Illae etiam ſunt pernicioſiores, ſi illae e viribus oriuntur exhauſtis, quam ſi materia adeſt craſſa, facileque exturbanda; ita ſunt e. gr. ſingultus, ſpasmus pharyngis et ſubſultus tendinum, e priori cauſa ſignum mortis appropinquantis; e contrario ſternutatio ante criſin bonum plerumque eſt ſignum.

Plerumque convulſiones in febribus cum delirio ſunt conjunctae. Interea in praxi mea caſus contigit, ubi aeger optima in conſcientia continuo cum brachiis et manubus, uti in chorea S. Viti, laboravit.

Methodus medendi convulſionum atque ſpasmorum e cauſis febrium generalibus oriundorum abſolvitur curatione febris ipſius. Ubi vero vires exhauſtae

ſunt

ſunt cauſa, moſchus et caſtoreum, quamvis raro cum eventu deſiderato exhiberi ſolent.

Febres, in quibus ſingultus ſunt frequentiſſimi, vocantur apud veteres *febres lyngodes.*

Anxietates.

Anxietates ſemper oriuntur e circulatione ſanguinis impedita. Nonnumquam tranſitus per pulmones admodum eſt impeditus, quandoque autem etiam reſpiratio eſt libera, et pulſus bonus, atque tum impedimenta circulationis adſunt in abdomine.

Impedimentum ipſum aut eſt ſpasmus vaſorum, aut eorundem obſtructio aut conſtitutio praeternaturalis. E. gr. extenſiones aneurismaticae aut conſtrictiones praeternaturales. Spasmus naſcitur partim a cauſis generalibus, partim ex alvi obſtructione, et ſubinde ex exanthematibus imminentibus. Obſtructio plerumque aut in inflammationem, aut in indurationem degenerat. Vitia organica ſunt inſanabilia.

Unde clarum eſt, nullam hic, praeter alvi ſolutionem, curationem ſymptomaticam locum habere. Exanthemata imminentia raro poſſunt urgeri. Inflammatio reddit febrem indolis peculiaris, atque induratio raro febre durante poteſt tolli. Ubi interim plethora abdominalis eſt ſuſpicanda, hirudines in inteſtino recto ſaepe uſum praeſtant.

Febres, in quibus hae anxietates ſymptoma ſunt princeps, vocatae ſunt a veteribus *febres aſſodes.*

Dolor.

Cauſae *dolorum* ſunt inflammatio, congeſtiones et ſpasmi. Caſus primus non huc pertinet. Cauſa ſpasmorum latet plerumque in cauſa febris ipſa. Congeſtiones oriuntur aut e circulatione ſanguinis impedita, aut ex alvi obſtructione. In utroque caſu enitimur alvum apertam et cutem humidam ſervare. Adverſus vehementes capitis dolores veſicatoria nuchae impoſita ſunt optimum remedium.

Venimus jam ad ſymptomata alia, e quibus vero cogimur ſpecies morborum ſingulares conſtituere, quoniam illa quidem a cauſis febris eſſentialibus dependent, verumtamen methodum medendi requirunt ſpecialem.

De inflammationibus.

Quodſi in parte corporis quapiam tumorem et ruborem cum dolore perpetuo conjunctos animadvertimus, dicimus partem illam eſſe *inflammatam.* Inflammatio partium internarum, oculis non patentium, prodit ſeſe aut per febrem doloremque conſtantem, aut ſaltem per functionem partis adfectae laeſam. Ita e. g. in pulmonum inflammatione adeſt reſpiratio impedita.

Haec inflammationis internae ſigna ſunt interim admodum inconſtantia, multumque ad ea dignoſcenda requiritur perſpicacitatis. Nam.

1) ſolus ſpasmus poteſt producere dolorem conſtantem, e. g. dolores capitis.

2) Saepe pars revera inflammata non dolet, e. g. inflammatio in hepate.

3) Nec ſemper functio partis inflammatae eſt laeſa, uti e. g. in cerebri inflammatione.

4) Neque febris ſignum eſt certum, dolor enim in febri conſtans mere e ſpasmo oriri, et vice verſa quaedam inflammatio ſine febri notabili adeſſe poteſt.

Praeſentia proinde inflammationis ſemper e ſignis ſimul ſumtis omnibus eſt colligenda. Ita e. g. in febribus biliofis potius ſuſpicari licet, dolores e bilis irritatione, quam ex inflammatione vera oriri; e contrario in febribus ſimplicibus inflammatoriis, ubi haec irritamenta deſunt, e laeſione et dolore conſtanti potius inflammationem colligere licet. In caſibus dubiis remedia reſolventia atque antiſpasmodica, e. g. externe veſicatoria atque interne ipecacuanha in doſibus parvis ſunt adhibenda.

Inflammatio praecipue in duas diſtinguitur ſpecies.

Prior ſpecies appellatur *phlegmone.* Haec ſemper ſuam certam et conſtantem habet ſedem, atque perpetuo cum inſigni tumore eſt conjuncta.

Altera ſpecies vocatur *eryſipelas.* Cui proprium eſt, quod illud magis in cutis atque viſcerum ſuperficie extendatur, et ſedem ſuam facile mutet.

Exitus uniuscujusque inflammationis eſt, quod illa aut reſolvatur, aut in ſuppurationem aut in gangraenam tranſeat, aut vero indurationem relinquat.

Cum reſolutione omnes quoque ceſſant moleſtiae.

Suppuratio oritur plerumque die tertio, attamen uſque ad diem 7, quin ad diem 14 trahi poteſt.

Hic in ſuppurationem tranſitus cognoſcitur, quodſi dolor imminuitur et tamen functio partis remanet laeſa, ſi febris remittit et ſaepe horrores comparent, ceterum autem tamen vires ſunt integrae, et valetudo in melius mutatur.

Gangraena e viribus corporis generatim decreſcentibus, et praeſertim e pulſu debili celeri, extremitatibus frigidis, atque ſudore frigido cognoſcitur.

Induratio ex eo cognoſcitur, quodſi omnia ceſſant ſymptomata, ſolaque functio partis adfectae remanet laeſa.

Phlegmone facilius tranſit in ſuppurationem, quam eryſipelas, e contrario poſterius facilius fit gangraenoſum, aut ſaltem in peſſimam tranſit exulcerationem.

Auctores quidam cauſam inflammationis in vaſorum ſanguiferorum obſtructione collocant, alii in ſanguinis extravaſatione in telam celluloſam, alii in ſanguinis tranſitu ejusdemque congeſtione in vaſa

lymphatica, atque iterum alii eam ab irritatione in extremis vaſorum ſanguiferorum et lymphaticorum finibus deducunt.

Obſtructio vaſorum ſanguiferorum quidem ſequela, minime autem inflammationis cauſa eſſe poteſt, quoniam humores non coguntur in vaſibus obſtructis ſtagnare, ſed per anaſtomoſes facile ſibi alias aperiunt vias.

Extravaſatio ſanguinis in telam celluloſam tumorem quidem, nullam autem inflammationem veram, producere poteſt, quod quaevis ecchymoſis docet, quae raro aut numquam tranſit in ſuppurationem. Neque ſic dictus error loci propterea vera cauſa eſſe poteſt, quia vaſa lymphatica non ubique formant anaſtomoſes cum vaſis ſanguiferis, et glandulae obſtructae non admodum ſunt ad inflammationem proclives.

Denique convincimur exiſtentia inflammationum conſenſualium, omnia hic inprimis ab irritatione pendere, qua ſanguinis impetus promovetur et tumor atque dolor producuntur.

Hinc ex parte diſſolvitur etiam quaeſtio de materiae irritantis natura. Creditur vulgo lympham praeternaturalem eſſe irritationis cauſam, quia in inflammationibus cruſta inflammatoria ſuper ſanguine comparet, haec cruſta vero e lympha naſcitur; quoniam porro pus pariter hac e lympha coagulabili conſiſtit, quod partim per experimenta probatur, partim ex eo,

quia in cadaveribus ſupra partes inflammatas ſaepe vera crusta inflammatoria fuit deprehenſa, colligitur; et denique quoniam poſt tranſpirationem ſuppreſſam facillime oriuntur inflammationes.

Haec autem conditio lymphae praeternaturalis magis effectus, quam cauſa febris inflammatoriae eſſe videtur, quia cruſta plerumque in vigore febris demum comparet, ſaepe deeſt et ceterum nulla acrimoniae oſtendit veſtigia, ſine qua tamen aegre ulla inflammatio locum habet.

Phlegmone atque eryſipelas diſtinguuntur a ſe invicem non ſolum phaenomenis externis, ſed etiam cauſis. In phlegmone cauſa irritans eſt plerumque in ſede inflammationis ipſa, in eryſipelate contra eſt ea plerumque conſenſualis.

Frequentiſſime cauſa conſenſualis eſt acrimonia biliosa.

Methodus medendi proinde etiam in utrisque ſit diverſa, neceſſe eſt.

In phlegmone contendimus, quantum fieri poteſt, ſecundum methodum in febri ſimplici inflammatoria jam ſuperius traditam antiphlogiſticam in ipſam agere inflammationem, atque applicamus remedia, quoad ejus fieri poteſt, immediate ad partem ipſam adfectam.

Contra eryſipelas, quodſi quoque illud ſit externum, non agitur immediate, ſed inprimis ad tollendam irritationem conſenſualem ſumus intenti.

Tam propter hanc differentiam, quam propter conſtitutionem corporis, aëris, aliarumque cauſarum ſingularem, febres inflammationem comitantes non unius ſunt indolis, ſed modo ſunt mere inflammatoriae, modo mere putridae, modo biliofae, modo malignae.

Quumque in febri mere inflammatoria methodus medendi generalis cum ſpeciali ſit eadem, quum acrimonia praeſente methodus evacuans ſit applicanda, et in febribus putridis atque malignis magis febris quam inflammatio ſit reſpicienda, planum eſt, curationem inflammationum cum febribus conjunctarum ſemper ſecundum ipſius febris curationem eſſe inſtituendam, atque in plerisque libris manualibus inſignis eſt error, quod plerumque tantum febrium ſimplicium inflammatoriarum habita fuerit ratio, omnesque inflammationes internae tamquam phlegmone fuerint tractatae, quod certe non ſemper obtinet; e contrario habemus rationes, plerasque inflammationes internas in partium ſuperficie quaerere, et eas proinde ſolummodo pro eryſipelatoſis habere.

De illis tantum inflammationibus hic mihi ſermo erit, quae fere ſemper febribus ſunt ſtipatae, et illas, quae tantum locales ſunt, in morbis topicis ſum memoraturus.

Angina.

Ea etiam *ſynanche* appellatur. Ea eſt inflammatio partium oris, pharyngis atque laryngis internarum.

Pro partium adfectarum diverſitate ea diverſis quoque ſequelis gaudet.

Inflammatio oris vocatur apud auctores *ſynanche.* Plerumque tonſillae, uvula et velum palatinum ſunt inflammata, hinc oritur vox mutata et deglutitio difficilis.

In *pharyngis inflammatione* externe nihil obſervatur, ſed dolor eſt vehementior, vox clangoſior, et deglutitio quam moleſtiſſima et fere impoſſibilis. Ea *cynanche* vocatur.

Omnium longe periculoſiſſima eſt *inflammatio tracheae.* Vox hic eſt acuta et ſibilans, reſpiratio quam moleſtiſſima, anxietas extraordinaria et pulſus vacillans atque inconſtans. Ea *cynanche trachealis* vocatur.

Infantes inprimis nonnumquam huic inflammationi tracheali ſunt expoſiti, ubi ſimul trachea membrana praeternaturali eſt obducta. Hinc ea *angina membranacea* ſeu *polypoſa* nuncupatur.

Quodſi tantum fines ſubtiliſſimae ſunt inflammatae, morbus per dolores in pectore lancinantes, per pulſum durum et reſpirationem difficilem ſeſe prodit. Facile hic quoque ſputum cruentum accedere

poteſt. Hic eſt procul dubio morbus, qui liti de ſede pleuritidis anſam dedit, atque proinde attentionem meretur ſingularem. Ego eam *anginam pectoris* appellaverim, quoniam hoc nomen pro unoquoque alio morbo nihi videtur ineptum.

Duae priores ſaepe per ſputum coctum aut etiam ſine periculo per ſuppurationem ſolvuntur; ubi autem febris eſt indolis putridae, facile in gangraenam tranſeunt.

Duae poſteriores aut mox interniciem per ſuffocationem adferunt, aut in inflammationem pectoris letalem tranſeunt.

Angina pectoris non quidem tam facile minatur ſuffocationem, facile autem in exulcerationem letalem tranſit.

Omnes hae anginarum ſpecies nunc ſunt conjunctae cum febribus modo inflammatoriis, modo putridis, modo bilioſis, modo malignis. Raro interim febris in tracheae inflammationibus indolis eſt ſimplicis inflammatoriae. Ubi febris eſt maligna, tam acris plerumque e naribus effluit humor, ut partes, quas ille adtingit, erodantur.

Angina auctorum maligna eſt contagioſa et putredinoſa. Illa, quam ſecundum meas indicatas ideas denomino malignam, ſporadice tantum oritur, et plerumque mortem ſubito adfert, quoniam primum febris malignae ſtadium dignoſcitur.

Curatio pro febris diverſitate inſtituitur. Praeterea in ſynanche gargarismata e medicamentis emollientibus et reſolventibus, aut etiam vapores ex aceto et melle, in pharyngis inflammatione hirudines atque veſicatoria collo applicata in auxilium adhibentur. Quodſi in tracheae inflammatione periculum ſuffocationis immineat, aeger bronchotomia eſt adjuvandus. In angina polypoſa emetica ſtatim ab initio exhibita eximii ſunt uſus. In angina pectoris veſicatoria pectori atque inter ſcapulas applicantur, et ſicubi adhuc vapores ad reſolutionem ſuppurationemque bonam aliquid poſſunt conferre, hic illud eſt.

Ubi bilis adeſt, vomitus in poſterioribus ſpeciebus eſſet periculoſus; enitendum eſt, ut turgeſcentia verſus inferiora promoveatur; et per purgationem aptam ſaepe inflammationi praevenire licet. Quodſi inflammatio non reſolvitur, ſed in ſuppurationem eſt tranſitura, mittuntur externe reſolventia, ac cataplaſmata duntaxat emollientia vaporesque adhibentur. Ubi nos periculum ſuffocationis minatur, contendimus abſceſſum aperire. Quodſi glandularum atque uvulae relaxatio remanet, gargariſma per tantillum alumen reddendum eſt adſtringens.

Quaedam anginae ſpecies eſt inflammatio glandularum colli atque aurium, quae ſaepe usque ad oeſophagum adſcendit. Illi eſt proprium, quod, ſicuti tumor colli imminuitur, in viris teſticuli, in

foeminis mammae intumeſcant. Morbus ceterum plerumque eſt epidemicus et ſine periculo. Dantur homines, qui peculiari ad colli inflammationes gaudent diſpoſitione, in quibus plerumque obſervatur acrimonia ſcrophuloſa, cui extra paroxyſmos, quantum fieri poteſt, obviam eundum eſt, quia alias olim naſcentur phthiſes inſanabiles.

Peripneumonia.

Peripneumonia eſt inflammatio in vaſis pulmonum ſanguiferis. Illa per dolorem in pectore preſſorium, tenſivum ſe prodit, ac raro et forte numquam eſt dolor propter laxitatem texturae pulmonum defectumque nervorum lancinans. Reſpiratio eſt brevis, tamen regularis, atque inſpiratio levamen potius, quam dolorem producit. Exſpiratio eſt calida, et ſaepe exaudiri poteſt. Tuſſis in initio ſicca poteſt eſſe, deinde vero humida evadit, reſolutione ſecuta. Plerumque die ſecundo obſervatur ſputum ſtriis cruentis permixtum, quod ad 4. 7. quin etiam duodecimum diem perdurat. Tuſſis producit capitis dolores, aut eos auget. Magna praeterea adeſt anxietas, quia ſanguis per pulmones non habet curſum liberum. Guſtus eſt impurus, absque reliquis ſordium primarum viarum ſignis. Lingua febre exiſtente ſimplici inflammatoria eſt pura, deinde autem fuſca evadit, atque hic etiam color fuſcus ab eo eſt diverſus, qui ab impuri-

tatibus primarum viarum producitur. Pulſus eſt mollis et parvus, et facies atque oculi ſunt aut admodum rubri aut vehementer pallidi et languidi, quod utrumque e curſu ſanguinis in pulmonibus impedito naſcitur. Utplurimum, ac imprimis niſi pulmones cum pleura concreverint, aegroti lateri ſano incumbere nequeunt.

Cauſae peripneumoniae praeter generales ſunt, exanthemata retropulſa, ſalivatio atque haemorrhagia ſuppreſſa, et praegreſſa pleurae inflammatio. Febris ipſa aut eſt ſimplex inflammatoria, aut putrida. In poſteriori caſu ſaliva tuſſi exſcreata cruore penitus eſt permixta. Ubi biſis adeſt, exſcreatio plerumque fere praeter ſtrias ſanguineas colore flavo - viridi eſt tincta.

Exſcreatio utplurimum die 4. 7. quin etiam 12. cruenta eſſe deſinit atque acquirit conſiſtentiam craſſam. Ea tum *cocta* vocatur, et cum ea etiam ſudores critici comparent, licet quandoque hi etiam praecedant. Subinde exſcreatio prorſus non eſt cruenta, atque hic coctio difficilius procedere ſolet.

Quo magis facies rubet vel pallet, quo minor eſt pulſus, quo major anxietas, quo vehementiores ſunt cephalalgiae in tuſſi, quo magis lingua eſt fuſca, eo periculoſior eſt morbus. Ubi pleuritis eum praeceſſit, ſemper fere eſt letalis. Periculoſa eſt diarrhoea, febre exiſtente ſimplici inflammatoria. Niſi reſolutio ſequa-

tur, nec tuſſis fiat humida, frequenteſque comparent horrores, atque febris ordinarios ſervat paroxyſmos, ſuppuratio eſt exſpectanda. Quo in caſu naſcitur aut *ulcus apertum*, aut *clauſum*. *Apertum* aut per tuſſim evacuari, aut paulatim in ſanguinem reſorberi, et phthiſin producere, aut etiam in cavitatem pectoris exonerari poteſt, quo in caſu ultimo vocatur illud *empyema*. Ulcus *clauſum* ſalutatur *vomica*, iidemque illud eventus, ſicuti apertum, comitantur.

Ubi neque reſolutio, neque ſuppuratio conſequitur, morbus perdurat, vires fatiſcunt, pulſus labaſcit, atque exſpiratio refrigeſcit, adeſt *gangraena*.

Indurationes quoque cum reſpiratione difficili ac tuſſi ſicca remanere poſſunt, olim facile in ſuppurationem tranſiturae.

Curatio pro cauſarum praegreſſarum ratione, atque febris diverſitate inſtituitur. Exanthemata retropulſa contendimus per veſicatoria, atque, ubi vires integrae et veriſimiliter ſuppreſſae ſunt, per miſſionem ſanguinis, quae alias etiam propter inflammationem praeſentem ſuſcipienda erat, et per remedia lenia diaphoretica, inprimis per camphorata reſtituere.

Salivationem ſuppreſſam nitimur per remedia expectorantia reducere.

Atque in haemorrhagiis conſuetis conamur illas per miſſiones ſanguinis topicas compenſare.

Praeſertim autem norma eſt indoles febris, per quod plerumque ſimul omnibus reliquis occurritur cauſis.

Ubi conſtitutio adeſt ſimplex inflammatoria, locum habet methodus antiphlogiſtica. Pulſus hic propter ſuam mollitiem et parvitatem non eſt dux ſatis ſecurus, ratio virium et praecipue conſequentiae venae apertae, ſanguinisque e vena emiſſi eſt habenda. Quodſi animi defectio poſt ſanguinis miſſionem ſequitur, dolores poſt eam immediate mitigantur, pulſus aliquantum redditur vividior, et ſanguis cruſta gaudet inflammatoria aut ſaltem ſpiſſus eſt, et dolor tamen redit, haec ſunt indicationes ad miſſionem ſanguinis iterandam. Veſicatoria pectori, aut intra ſcapulas imponuntur. Praeterea aegri in vaporibus emollientibus reſpirare et omnia medicamenta potusque adſumere tepida jubentur.

Quodſi ſputum eſt coctum, ſed difficile exſcreatur, exſcreatio melle, atque, ubi febris multum remiſit, gummi ammoniaco promovetur. Loco gummi ammoniaci etiam radix ſenegae utiliſſime adhiberi poteſt. Hunc in finem etiam ab initio ſalibus reſolventibus et temperantibus addi poteſt tantillum aquae benedictae Rulandi, ita tamen, ut nullus excitetur vomitus. (Vid. *Syr. pector. reſolv.*) Saepe veſicatorium pectori ſuperimpoſitum efficaciſſimum eſt remedium ad expectorationem promovendam.

Ubi proclivitas in putredinem adeſt, omittitur miſſio ſanguinis, aut ſaltem ſumma cum cautione inſtituitur. Veſicatoria jubentur fortiter cum camphora malaxari. Loco nitri adhibetur ſal ammoniacum, radix ſenegae et camphora. Vapores fiunt cum oxymelle. Ubi periculum adeſt, miſcentur acida mineralia cum vino et melle, exhibeturque chinae infuſum.

Diarrhoea, in his duabus febrium ſpeciebus naſcitura, eſt plerumque ſymptomatica, et per emulſiones cum ſale ammoniaco, per remedia emollientia, atque per veſicatoria abdomini impoſita eſt ſedanda.

In febribus bilioſis cautio cum emeticis eſt obſervanda, et potius per remedia lenia, uti ſal Glauberi et manna atque per clyſteres bilis ad inferiora ducenda atque evacuanda. Quodſi autem ſputa ſunt cocta, et ſordes verſus ſuperiora turgeſcunt, utile eſt etiam emeticum, inprimis ſi prius ventriculo veſicatorium fuerit impoſitum, quo non tantum irritationi per emeticum in pulmonibus forte productae mature occurritur, ſed etiam turgeſcentia major evacuatioque bilis facilior promovetur.

Pleuritis.

In pleuritide definienda medici quam maxime differunt. Quidam dicunt, eam conſiſtere in pulmonum inflammatione, alii, in pulmonis et pleurae inflamma-

tione, atque iterum alii pauci dicunt, eam in duntaxat pleurae inflammatione conſiſtere.

Quodſi ea in ſola pulmonum inflammatione conſiſteret, nulla ratio adeſſe videtur, quare illa a peripneumonia aut angina pectoris diſtingueretur.

Quodſi in pleurae inflammatione pulmones ſemper una eſſent inflammati, ſymptomata etiam peripneumoniae ſemper cum pleuritide conjuncta eſſe deberent, quod ſaepiſſime non contingit.

Certum eſt, pulmones in pleurae inflammatione facillime ſimul pati, ſed non minus certum eſt, dari caſus, ubi pulmones ab omni inflammatione liberi remanent. In utroque caſu ſymptomata morbi ſunt diverſa, atque ita etiam nomina diverſa eſſe debent. Sola pleurae inflammatio tantum pleuritis eſt appellanda.

Haec pleuritis per dolorem in latere conſtantem ſe prodit, ubi ſimul reſpiratio eſt difficilis, brevis atque inaequalis, et pulſus eſt durus plenusque. Ceterum hic omnia peripneumoniae ſigna deſunt. Tuſſis ſemper manet ſicca, nec morbus per ullum ſputum coctum ſolvitur. Quare etiam in curatione, praeter generalia, nihil peculiaris eſt ſuſcipiendum. Veſicatoria parte adfecta imponuntur. Ceterum eſt ea rariſſima, quoniam facile in morbum tranſit ſequentem.

Pleuro-

Pleuroperipneumonia.

Hic eſt morbus, qui a plurimis auctoribus pleuritis nuncupatur. Conſiſtit in pleurae inflammatione, quae uſque ad pulmonum ſuperficiem extenditur. Hic ſymptomata pleuritidis et peripneumoniae adſunt, tantum poſteriora in gradu aliquantum minori. Pulſus eſt durus et plenus, et dolor pungens. Color linguae fuſcus deeſt, anxietasque minus eſt inſignis. Hic morbus ſaepe graſſatur epidemice, ita ut is tum facilius per frigefactiones producatur, quam alias. Miaſma eſt ignotum, inflammatio autem ſaepe eryſipelas eſſe videtur, quoniam ea facile ſedem mutat. Ea eodem pacto ut peripneumonia per ſputum coctum et ſudorem ſolvitur. Attamen ea etiam ſine ſputo ſolvi poteſt. Quodſi dolor e latere verſus nucham et ſcapulas migrat, perinde eſt ac ſi tolleretur. Quodſi autem ſputum cruentum ſubito ceſſat, ſignum eſt, inflammationem profundius in pulmonum ſubſtantiam ſerpere, peripneumoniaeque occaſionem dare, quae plerumque eſt letalis. Idem ſequitur, niſi ſymptomata ad ſummum poſt duodecimum diem remittunt, nec ulla criſis aut ſuppuratio contingat.

In ſuppuratione ſaepiſſime lobus pulmonum adfectus cum pleura coaleſcit, atque utraque faciunt ſaccum, in quo ulcus formatur. Atque hoc in caſu pus per paracenteſin aut ſetaceum emitti poteſt.

Ceterum curatio illi eſt perfecte ſimilis, quam in peripneumonia tradidimus. Pulſus hic certior eſt dux, quam ibi. Miſſio ſanguinis tam diu eſt continuanda, dum pulſus plenitudinem et duritiem amittat. Quodſi vero is nimium evaderet parvus, et tamen maneret durus, ab ea eſt abſtinendum, et ſatius eſt, pharmaca emollientia atque antiſpasmodica exhibere.

Inflammatio diaphragmatis.

Hic morbus cum dolore lancinante comparet, qui a coſtis infimis usque ad ultimas dorſi vertebras extenditur. Una reſpiratio eſt brevis, atque adeo etiam adeſt anxietas. Irritatio diaphragmatis facile tuſſim ſiccam et ſingultum adducit. Facile pariter ſpasmi et deliria ſuperaccedunt.

Hoc ultimum autem huic febri eſt neque eſſentiale, neque proprium, licet multi auctores doceant, in pectoris inflammatione riſum ſardonium et delirium certa eſſe judicia inflammationis diaphragmatis, et vice verſa inflammationem diaphragmatis ſemper cum riſu ſardonio et delirio eſſe conjunctam, quare illi huic morbo etiam nomen *paraphrenitidis* impoſuere. Per obſervationes autem indubitatas evictum jam eſt, inflammationem diaphragmatis ſine delirio et riſu ſardonio et viciſſim haec duo ſymptomata ſine diaphragmatis inflammatione adeſſe poſſe.

Ceterum hic morbus a pleuritide tantum in eo diſtinguitur, quod is facile in hepatis inflammationem tranſire queat. Uti nimirum pleuritis ſe ad pleuroperipneumoniam habet, ita ſe habet inflammatio diaphragmatis ad hepatitidem. In curatione agitur ut in pleuritide.

Hepatitis.

Sub hepatitide intelligitur inflammatio hepatis. Duo autem hic caſus ſunt diſtinguendi, qui eodem plane modo ad ſe invicem habent, ut pleuroperipneumonia ad peripneumoniam.

Inflammatio aut eſt tantum in ſuperficie partis hepatis convexae, diaphragmateque contiguo, aut in parte hepatis inferiori convexa, atque magis in ejusdem ſubſtantia. Utraeque ab invicem per cauſas ſuas praegreſſas diſtinguuntur, atque utplurimum curationem requirunt diverſam.

Inflammatio partis hepatis convexae comparet cum dolore conſtanti et lancinanti in hypochondrio dextro, qui verſus ſuperiora extenditur, ac per diaphragmatis motum augetur. Inſpiratio pariter dolore eſt ſtipata, e contrario exſpiratio fit facilior. Pulſus eſt plenus et durus. Facile ſimul tuſſis ſicca adeſt.

Quoad indolem ſuam nihil a pleuroperipneumonia differt. Ex iisdem oritur cauſis, parique medendi

methodo tractatur. Saepe haemorrhagia e foramine naſi recto eſt critica.

Ubi febris eſt bilioſa, ab emeticis non eſt metuendum, modo ut materia per ſolventia ſufficienter reddatur turgeſcens, et per veſicatoria parti adfectae impoſita incommodo irritationis inde oriundae occurratur.

Inflammatio partis hepatis inferioris atque internae comparet cum dolore tantum obtuſo preſſorio, qui motu diaphragmatis non augetur. Praeterea plerumque ſymptomata icteritia adſunt, quia hic inſtrumenta bilis ſe- et excretoria immediate adficiuntur. Pulſus illa non gaudet duritie, qua in priori ſpecie, ſed ſaepe ita eſt, ut in peripneumonia. Generatim haec inflammatio facile dignoſci poteſt, quare ea accuratiſſimam requirit attentionem. Nonnumquam tumor extrinſecus elevatur.

Haec inflammatio a cauſis generalibus quidem generari poteſt, ſemper tamen eam circumſtantiae ſingulares praegrediuntur. Huc inprimis pertinent animi pathemata, fluxus haemorrhoidalis in conſtitutione aëris et corporis bilioſa ſuppreſſus. Obſtructiones et concrementa lapidea.

Cauſa proxima congeſtio ſanguinis acris bilioſi in ſyſtemate venae portarum eſſe videtur.

Criſis aut ſaltem ejusdem promotio et levatio fit plerumque per diarrhoeam, humoribus acribus ex

hepate per ductus biliferos in inteſtinum duodenum delatis.

Ex eadem ratione eſt etiam febris plerumque indolis biliofae, atque in morbi initio optime fert emetica, quia diaphragma per motum ſuum in partem adfectam immediate agere nequit. In morbi progreſſu enitendum eſt, ut evacuatio materiae per mannam atque enemata emollientia promoveatur.

Quum febris raro ſit naturae ſimplicis inflammatoriae, ſed fere ſemper ſimul biliofae, atque haud raro indolis putridae, cum ſanguinis miſſione caute procedendum eſt; e contrario hirudines inteſtino recto applicati ſemper fere plurimum juvant.

Camphora cum ſale ammoniaco praeſtantiſſima ſunt hic pharmaca.

Externe loco veſicatoriorum potius mercurius adhibetur, qui in India orientali, ubi hic morbus plurimum occurrit, interne etiam utiliter exhibetur.

Quodſi in utroque inflammationis hepatis caſu ad ſummum nulla ad diem duodecimum reſolutio ſecuta fuerit, ſuppuratio, ubi circumſtantiae ſunt bonae, eſt expectanda.

Ubi tumor verſus exteriora obſervatur, per ejusdem apertionem puri exitus procurari, atque ulcus ſanari poteſt.

Nonnumquam autem pus in femora aut ſuras dejicitur, oriunturque ulcera, quae, quum illa ſemper

fere ab exulceratione hepatis perpetua aluntur, plerumque ſunt inſanabilia, aut ſaltem ſanare ea non licet.

Pus per ductus biliferos in inteſtina et per hepatis venas in ſanguinem duci et de his locis per vias urinarias, per pulmones atque per inteſtina educi poteſt. In priori hepatitidis ſpecie ventriculus, atque in poſteriori inteſtinum quoddam erodi poteſt, quo pus exitum nanciſcitur, tum vero in ſanationis caſu hepar aut cum ventriculo, aut cum inteſtino coaleſcit.

Quodſi reſorptio fit tarda, ſequitur febris tabida, et ſi abſceſſus in abdomen aperitur, conſequitur aſcites purulentus, atque in utroque caſu mors.

Quodſi neque reſolutio, neque ſuppuratio, neque gangraena contingit, indurationes manent, ubi quidem dolor ceſſat, ſed reſpiratio difficilis et concoctio mala remanent, et cachexia atque hydrops conſequuntur.

Gaſtritis.

Gaſtritis dicitur inflammatio ventriculi. Ea per dolorem in epigaſtrio, qui per cibum et potum, per reſpirationem atque per preſſionem externam augetur, ſe prodit. Praeterea molimen ad vomitum perpetuum adeſt, et minimum quoque ingeſtorum continuo evomitur. Pulſus eſt aliquantum durus et con-

tractus, extremitates frigidae, alvusque plerumque admodum adſtricta.

Cauſa irritans aut eſt conſenſualis, aut in ipſo ventriculo continetur.

Laeſiones capitis facile in hepar atque in ventriculum agunt, ac in utroque caſu inflammationem producere poſſunt.

Materia acris in ventriculo contenta aut eſt ore adſumpta, aut e corpore ipſo metaſtatice illuc dejecta.

Ad cauſas prioris generis pertinent omnia venena acria, ut mercurius ſublimatus atque arſenicum, emetica atque purgantia, quae aut per ſe ſunt admodum acria, aut ſubjectis valde irritabilibus, plethoricis ſimulque in alvi obſtructionem proclivibus intempeſtive fuere exhibita. Cibi et potus nimium calidi quoque inflammationi ventriculi anſam praebere poſſunt. In variolis et morbillis inflammatio per metaſtaſin oriri poteſt.

Morbus ſemper eſt periculoſus, inflammatio tamen quoque ipſo die octavo tolli poteſt. Periculoſiſſimus is eſt, ubi cauſa poſt capitis laeſionem per conſenſum orta eſt, ut venena ſunt adſumpta.

Curatio inſtituitur ſecundum cauſas. In laeſione capitis gaſtritis eſt ſymptoma et tantum per cauſae ſublationem tollitur. Ubi metaſtaſis adeſt, nitimur materiam per ſedes et diaphoreſin ejicere.

Quodſi cauſae irritantes in ventriculo adhuc continentur, contendimus vomitum per potus mucilaginoſos atque oleoſos promovere tam diu, dum adhuc materia evomitur noxia.

Niſi cauſa rite educi queat, ut hic caſus in venenis acribus obtinet, natura eorum erodens cauſtica eſt deſtruenda aut ſaltem minuenda. Prius fit, ubi arſenicum aut mercurius ſublimatus in ventriculo eſt, per hepar ſulphuris, quod mixtionem venenorum decomponit; poſterius per potum remediorum mucilaginoſorum atque oleoſorum copioſum.

Praeterea neceſſe eſt, ſtatim initio inflammationi obices ponere. Pertunditur hunc in finem vena, et ſolvitur alvus. Quodſi vomitus perdurat, nec tamen noxii quidquam ejicitur, nitimur illum per veſicatorium epigaſtrio impoſitum, atque per potionem Riverii ſedare; praeterea extremitates plerumque frigidas per frictiones calefacere eſt contendendum. Cum uſu opii ac remediorum aromaticorum interno cauti eſſe debemus, quoniam ea facile inflammationem augent. Potius externe ea habent locum. Unguentum emolliens cum camphora atque opio ventriculo imponi, atque extremitates aquis aromaticis lavari poteſt.

Enteritis.

Inflammatio inteſtinorum ſic ſalutatur, quacum ſaepiſſime inflammatio omenti eſt conjuncta.

Ea doloribus conſtantibus et ſubinde ardentibus eſt ſtipata. Tactus abdominis producit dolorem. Alvus utplurimum eſt obſtructa. Praeterea facile adeſt vomitus, qui aliquanto poſt cibos et potus adſumptos conſequitur. Ac denique ea a ſola colica per febrem diſtinguitur, in qua pulſus plérumque eſt parvus, ſed tamen durus, nec calor in extremitatibus eſt magnus.

Cauſae ſunt: 1) hernia incarcerata, 2) partus praegreſſus, 3) haemorrhagiae ſuppreſſae, 4) diarrhoeae et dyſenteriae, 5) ingeſta acria, 6) faeces induratae, 7) metaſtaſes.

Morbus ſemper eſt periculoſus, inprimis quum illius initium tam facile dignoſcitur. Inflammatio facillime tranſit in gangraenam, atque haud raro in ſuppurationem. Quo frigidiores ſunt extremitates, quo pertinacior eſt obſtructio, eo periculoſior eſt ſtatus. Singultus et faecum vomitio ſunt ſymptomata periculoſa.

Quodſi hernia eſt incarcerata, ſed nondum coalita, ſaepe reductio per epithemata ex aqua frigida et glacie perfici poteſt. Raro per emollientia quidquam efficitur, et facile per ea reductio reddi poteſt difficilis, quoniam inteſtina emota per ea magis extenduntur. Ubi nulla repoſitio locum habet, ſtatim operatio eſt ſuſcipienda.

Fluxus ſanguinis haemorrhoidales et menſtruos ſuppreſſos nitimur per hirudines ad inteſtinum rectum

et pudenda applicatos, fomentationesque calidas reducere.

Ubi diarrhoeae et dyſenteriae adhuc permanent, conamur has ſecundum ſuas cauſas tractare.

Venenis adſumptis, agitur, ut in gaſtritide eſt traditum.

Quamprimum inflammatio agnoſcitur, miſſio ſanguinis eſt neceſſaria, quae pro aegroti viribus, indoleque febris largior aut parcior eſt inſtituenda.

Conamur praeterea alvum ſimul ſervare ſolutam. Initium fit cum clyſteribus emollientibus, progredimur ad enemata irritantia ex tartaro emetico in oxymelle ſoluto, et fricatur ſimul abdomen remediis emollientibus atque antiſpaſmodicis. Ubi hoc irritum eſt, fumus herbae nicotianae applicatur, atque abdomini veſicatoria imponuntur. Eodem tempore epithemata frigida e glacie abdomini quoque imponi poſſunt. Cum remediis internis, quamdiu obſtructio durat, cauti eſſe debemus, quoniam illa irritatione ſua inflammationem augere poſſunt. Ubi interim venena atque alia corpora acria in inteſtinis adſunt, potiones oleoſae et mucilaginoſae inſerviunt.

Nephritis.

Inflammatio renum vocatur *nephritis.* Ea per dolorem conſtantem in renum regione ſe prodit, qui continuo cum febre comparet, et pro diverſitate ſedis

modo eſt vehementior, modo mitior. Quo magis pelvis eſt inflammata, quo magis dolor eſt lancinans, eo durior eſt pulſus; quodſi autem inflammatio magis in ſubſtantia renis interna eſt, dolor eſt minus pungens et magis preſſorius, nec pulſus tam durus. Adeſt praeterea plerumque ſuppreſſio urinae, aut ſaltem ejusdem ſtillicidium. Urina eſt aut valde rubra, aut quoque cruenta, nonnumquam ea eſt pallida. Facile quoque oriuntur vomitus, dolores colici, obſtructio alvina, et molimina ad ſedes irrita.

Hic morbus non facile epidemice graſſatur. Is poſt fluxus menſtruos aut haemorrhoidales ſuppreſſos oritur, inprimis ſi ſimul alvus eſt obſtructa atque exaeſtuationes ac refrigeria ſuperaccedunt. Retentio etiam urinae coacta, vis externa et diuretica nimis vehementia occaſionem illi praebere poſſunt. Frequentiſſime oritur, ubi calculus in renibus adeſt.

Reſolutio ſaepe per haemorrhagias promovetur, et fit per ſedimentum in urina craſſum. Suppuratio autem facillime quoque evenire poteſt.

Pus aut per ureteres in veſicam urinariam fertur, et hic caſus eſt optimus; aut abſceſſus verſus exteriora elevatur, atque per apertionem ſanari poteſt; aut inteſtinum quoddam eroditur, per quod pus ſibi viam aperire poteſt, ubi tum inteſtinum deinde cum rene coaleſcit; aut abſceſſus in cavum abdominis ape-

ritur, et mortem conciliat ſubitam; aut pus paulatim reſorbetur, et facit *phthiſin renalem.*

Raro eveniunt indurationes, atque adhuc rarius gangraena.

Locus quidem hic eſt methodo antiphlogiſticae, dummodo omnia remedia, quae peculiariter in urinam agunt, ſunt evitanda. Hinc nulla applicanda ſunt veſicatoria, niſi hoc febris ipſa maxime requirat, atque hoc etiam in caſu ea camphora ſunt permiſcenda, nec parti laboranti imponenda.

Miſſio ſanguinis, ubi haemorrhagiae ſunt ſuppreſſae, in pedibus adminiſtratur, aut ſatis habetur, ubi vires deſunt, aut etiam febris eſt indolis putridae, hirudines inteſtino recto et pudendis applicari. Externe cataplasmata emollientia, enemata et balnea calida pertinent inter remedia efficaciſſima. Interne nitrum cum emulſionibus camphoratis propinatur, atque ubi laxans eſt neceſſarium, manna exhibetur.

Cyſtitis.

Inflammatio veſicae urinariae raro ut morbus primarius occurrit; plerumque ea eſt ſequela calculi aut ejusdem operationis, aut etiam retentionis urinae diuturnae. Violentiae quoque externae ſubinde cauſa eſſe poſſunt. Ut inflammatio renum ea tractatur.

Metritis.

Inflammatio uteri, ut morbus acutus conſideratur, raro aut fere numquam extra puerperium occurrit. Quare lectores hic ad morbos puerperarum remittimus.

Febris eryſipelacea.

Eryſipelas inter febres inflammatorias atque exanthematicas medium tenet, quoniam illud ſemper eſt excretio motus febrilis. Dantur febres eryſipelaceae internae, et plurimae pleuroperipneumoniae magis eryſipelas, quam vera phlegmone, eſſe videntur. At illud difficile eſt conſtituere, atque hic de illa mihi duntaxat febre eſt ſermo, ubi eryſipelas eſt externum.

Eryſipelas eſt inflammatio in ſuperficie cutis in latum diffuſa: tumorem faciens planum, preſſioni cedentem, ſedem ſuam facile mutantem, et ſaepe veſiculis tectum humorem flavum in ſe continentibus. Utplurimum occupat faciem, haud raro mammas. Ubi acrimonia eſt ingens, vocatur *ignis ſancti Antonii.* Quodſi illud inſtar cinguli abdomen circumdat, appellatur *zoſter* ſeu *zona.* Eryſipelas in pedibus magis chronicum eſſe ſolet, et plerumque ſine febre eſt, licet illud ex iisdem oriatur cauſis.

Cauſa, quantum obſervationes recentiores adhuc conſtituere potuerunt, ſemper eſt acrimonia bilioſa. Febris autem cum illo conjuncta non ſolum naturae

inflammatoriae, ſed etiam putridae et malignae eſſe poteſt. Curatione exiſtente prava eryſipelas facile tranſit in ſuppurationem, haec ſuppuratio autem numquam eſt indolis tam benignae, quam in phlegmone, ſed tranſit aut in gangraenam, aut ſaltem producit ulcera maligna ac diuturna.

Quodſi eryſipelas per motum febrilem expellatur, eſt illud nonnumquam, quamvis raro, criticum.

Quum febris ſemper ſit febris inflammatoria biliosa, aut putrida biliosa, tractatur ea, uti ſuperius eſt dictum. Cum remediis evacuantibus autem, quum exulceratio tam facile ſequatur, feſtinandum eſt. Impuritatibus bilioſis ſufficienter eductis, inſerviunt lènia diaphoretica. Vid. *Mixtura diaphoretica.*

Quum eryſipelas tam facile ſedem ſuam mutet, id etiam retrocedere, atque ab externis ad interiora relabi poteſt. Externe proinde nihil ſuſcipitur, praeterquam quod, ubi gangraena nos minatur, ſcarificationes atque epithemata e cortice chinae fiant.

Carbunculus.

Datur quaedam inflammatio eryſipelacea, dura, plana, cum doloribus atrocibus conjuncta atque febri ſtipata, quae haud raro epidemice graſſatur, et *carbunculus benignus* vocatur. In regionibus calidis et ſiccis hic morbus eſt vehementiſſimus, atque *ignis perſicus* nuncupatur. In Gallia eſt obſervatum, miaſma

peſtis animalium puſtulas hujus generis malignas producere. Tumor eſt ſuperficialis, adverſusque ſcalpellum non admodum ſenſibilis, quoniam is ſphacelofus eſt. Impoſitione cataplaſmatum diligenti, ſcarificationibusque fortibus ſuppuratio eſt perficienda, ultro haud oriunda. Corruptio profunde ſerpit, et ſuppuratio ab interioribus incipit. Interne ſimul antiſeptica atque roborantia ſunt adhibenda.

De exanthematibus.

Maculae atque eminentiae ſupra cutem, febri ſtipatae, vocantur *exanthemata*, et de his tantum exanthematibus hic ſermo eſt.

Cauſa eſt aut acrimonia in ſanguine peculiaris, aut contagium.

Ea ſunt aut critica, aut ſymptomatica, et febrium omnibus ſpeciebus ſtipata eſſe poſſunt. Idem exanthema a febri modo inflammatoria, modo putrida, modo bilioſa, modo maligna comitari poteſt. Et ab harum febrium indole majus aut minus periculum exanthematum pendet.

Curatio eorundem pariter quoque ex indicationibus a febre praebitis ſolummodo inſtituitur. Exanthemata critica raro immediate pelluntur, ſed nitimur ſedulo illud e medio tollere, quod eorum eruptionem impediret.

Peſtis.

Character *peſtis* conſiſtit in inflammationibus topicis in glandulis atque in partibus carnoſis et membranoſis, quae raro in ſuppurationem tranſeunt benignam, ſed maxime ad gangraenam ſunt proclives. Illae appellantur *bubones*, hae *anthraces*.

Bubones prodeunt plerumque die morbi tertio in conſpectum, et ſaepe ſunt critici; *anthraces* e contrario ſemper gravem morbi ſtatum oſtendunt.

Evictum eſt, morbum magis quam ſimplici vice homines invadere, quamvis veriſimiliter haud in una eademque epidemia.

Cauſa proxima eſt contagium, quod in Aegypto endemicum eſſe, et cum auſtris in Europam transferri dicitur, quod autem adhuc nondum eſt evictum. Hoc contagium eſt non admodum volatile, quoniam diu in ciſtis atque ſarcinis manere poteſt, facillime autem per immediatum contactum propagatur. In ſyſtema biliosum, praeſertim autem in nervos libenter agere videtur; quod non ſolum e morbi ipſius conditione, ſed etiam e remediis prophylacticis eluceſcit, quae maxime ex diaeta roboranti atque animi alacritate conſiſtunt.

Febris ipſa aeque eſt varia, atque in aliis morbis acutis, interim plane propter maximam miaſmatis acrimoniam numquam eſt indolis benignae.

In

In conſtitutione aëris bona frigida et corporis robore atque in epidemiae initio ac fine ſaepe non multa adſunt ſymptomata nervoſa, ſed febris eſt ſic ſatis naturae inflammatoriae ſimplicis, bubones in ſuppurationem tranſeunt benignam, et raro anthraces ſuperaccedunt. Neque tamen methodus antiphlogiſtica in toto ſuo ambitu eſt adhibenda, atque ubique evacuationes efferae ſunt evitandae. Miſſione ſanguinis provide inſtituta contendimus tranſpirationem per alexipharmaca lenia promovere. Vide *Potio alexipharmaca prima.*

In epidemiae medio e contrario atque ubi qualitas aëris et corporis ad putredinem eſt proclivis, facile prodeunt anthraces, et diſcrimen eſt magnum. Hic etiam cum remediis antiſepticis ſemper roborantia e. g. acida mineralia cum vino ſunt connectenda. Ad ſudorem promovendum propinatur potio alexipharmaca ſecunda. Quoque frictio cutis cum glacie quam maximum praeſtitit effectum ad tollendam putredinem atque ad ſudores benignos promovendos.

Acrimonia in primis viis bilioſa plerumque adeſt, quae autem numquam purgando, ſed tantum emeticis ſubito in morbi initio eſt ejicienda.

Peſtis maligniſſima jam ſaepe die ſecunda necat, priusquam bubones aut anthraces prodeant. Ubique bubones tam ſubito, quam fieri poteſt, ad ſuppurationem ſunt promovendi.

Variolae.

Variolae ſunt maculae rubrae, quae in meditullio puncto ſunt inſtructae, paulatim excreſcunt, et denique in ſuppurationem tranſeunt.

Cauſa proxima eſt contagium, quod apud nos non ipſo corpore gignitur, ſed per communicationem in illud defertur. Haec communicatio frequentiſſime contingit per reſorptionem puris immediatam, atque exhalationem aegroti variolis adfecti.

Morbus autem etiam tantum per aërem in loca transferri poteſt, ubi is prius non erat.

Vero quam proximum eſſe videtur, morbum in interiori Africa eſſe endemicum. Veteribus graecis et romanis is erat incognitus. Primum in Arabia anno Chriſti 572. eſt obſervatus et veriſimiliter per Saracenos in Europam eſt translatus, ubi is ad eum diem erat incognitus, et tantum paulatim per contagium eſt propagatus.

Procul dubio igitur ortus miaſmatis varioloſi cauſas praeſupponit, quae hic in Europa non concurrunt. Omnia ſaltem experimenta confirmare videntur, hunc morbum inter nos tantum per contagium conſervari, atque hoc contagium aut per introductionem puris varioloſi immediatam in corpus aut etiam per reſorptionem aëris hoc miaſmate impraegnati contingere, quo in caſu poſteriori iterum, uti jam dictum

eſt, non eſt credendum, miaſma varioloſum in aëre progeneratum eſſe, ſed aërem hoc miaſmate in illis locis impraegnari, ubi variolae graſſantur. Quoque forſitam caſus eſt poſſibilis, in quo materia varioloſa diu in corpore permanere poſſit, et vim ſuam poſt annos demum exſerat. Certum ſaltem eſt, miaſma varioloſum effectum ſuum in corpore humano non ſemper, ſed diſpoſitione tantum praeſenti exſerere. Atque huic etiam innititur fundamento ratio hujus morbi epidemica.

Efficacitas hujus contagii proinde ſemper a circumſtantiis aëris atque corporis ſingularibus pendet. Hinc variolae ſaepe in agris vehementer graſſantur, quum e contrario civitates adjacentes liberae ab iisdem manent; hinc morbus non bis invadit; hinc non neceſſe eſt, omnes homines variolis infici.

Foetus in utero materno morbum accipere poteſt, aut, quodſi mater ipſa hoc eſt adfecta, aut quoque, uti obſervationes docent, quodſi eundem jam multos ante annos eſt paſſa. Qua ex re patet, homines per morbum varioloſum, non facultatem miaſma ſuſcipiendi, ſed tantum elaborandi amittere.

Ceterum miaſma varioloſum adhuc minus eſſe volatile videtur, quam contagium peſtis. Prius per plurimos menſes aëri libero expoſitum eſſe poteſt, nec tamen vim ſuam amittit, e contrario ad mias-

matis peſtis diſſipationem dies quadraginta ſufficienter adſumuntur.

Etiamſi contagium ſemper unum idemque ſit, tamen effectus ejusdem ſunt diverſi. Febres producit modo inflammatorias, modo putridas, modo bilioſas, modo malignas. Puſtulatio ipſa quoque eſt admodum diverſa. Quin dantur caſus, ubi contagium non per puſtulationem, ſed per ſudorem duntaxat e corpore excernitur adfecto.

Hucuſque nullum contra miaſma varioloſum antidotum invenimus, quumque id pervolat atque aëri ſe communicat, quoque non facile plenam hujus morbi exſtinctionem cogitare poſſumus, etiamſi ejusdem propagatio per converſationis cum ſubjectis adfectis evitationem plus minusve interrumpi poteſt.

Quum igitur effectus contagii ſint tam diverſi, nec ullum antidotum illi oppoſitum ſit cognitum, curatio quoque ipſa unice inſtituitur pro diverſitate febris per illud productae.

Decurſus morbi in ſequentia quatuor dividitur ſtadia:

1) In *ſtadium ebullitionis.* Contagio facto oritur febris, quae plerumque ſomnolentia, obſtructione alvina, doloribusque colli eſt ſtipata, ubi ſimul urina turbida eſſe, et reſpiratio odore ſingulari gaudere ſolet.

2) In *ſtadium eruptionis.* Die tertio erumpunt variolae in adultis cum ſudore, atque in infantibus haud raro cum motibus epilepticis, et quidem primo in facie, deinde in manubus et trunco, poſtremo in extremitatibus inferioribus.

3) In *ſtadium ſuppurationis.* Hoc ſtadium more conſueto die ſexto cum motibus febrilibus incipit; variolae incipiunt palleſcere, et naſcitur tumor ſupra palpebras. Die ſeptimo in meditullio, et die octavo in toto ambitu albeſcunt, et nono flaveſcunt. Haec ſuppuratio eodem plane fit ordine, quo eruptio eſt facta, primum in facie, tum in trunco et manubus; denique in extremitatibus inferioribus.

4) In *ſtadium exareſcentiae,* quod in variolis benignis incipit die decimo, formatur cruſta, quae poſt diem duodecimum decidit.

Variolae ipſae aut ſunt *diſcretae* aut *confluentes.*

In adultis ſaepe cum ſuppuratione *ſalivatio* comparet, quae ſubinde eſt critica, atque hac ex ratione non quidem promovenda, ſed neque ſupprimenda eſt.

Suppuratione facta, facile e puris reſorptione oritur febris, quae *febris variolarum ſecundaria* vocatur.

Bonum eſt, quodſi febris eruptionis cum eruptione ceſſat; ubi ea continuatur, non eſt morbus indolis benignae.

Motus in infantibus epileptici immediate ante eruptionem raro ſunt periculoſi. Illi autem poſt ſtadium ſecundum plerumque ſunt lethales.

Malum eſt, quodſi eruptio ante diem tertium adhuc non contigit.

Quodſi maculae ubique aequali gaudent rubore, confluere ſolent, hic rubor autem non ſemper eſt periculoſus, dummodo is poſt diem tertium evaneſcit. Quodſi maculae e contrario ſtatim ab eruptione pallеſcunt, magnum periculum eſt metuendum.

Malum eſt, quodſi eruptio ordine indicato non contingit.

Dies ſecundus ab eruptione proprie in morbo debet eſſe optimus.

Variolae confluentes non ſemper ſunt periculoſae; omnia a febri pendent.

Quodſi variolae die tertio, eruptione facta, adhuc ſunt rubrae, die ſeptimo demum continget, quod alias quarto contingere conſuevit.

Salivatio gravem ſemper oſtendit morbi ſtatum. Aegroti mori poſſunt, etiamſi illa optime procedat.

Febris ſecundaria ſaepe adhuc ante puris maturationem oritur. Hic ſcilicet motus febriles, cum incipienti ſuppuratione ingruentes, prorſus non ceſſant, ſed ſtatim febrim ſecundariam producunt; per hanc febrem ſecundam non ſolum proclivitas ad inflammationem generalis alitur, ſed etiam ſaepe dejectiones

puris metaſtaticae et letales producuntur. Hoc fore, colligitur ex inquietudine, anxietate, inſomnio, reſpiratione difficili, doloribus colli atque ſpasmis.

Tractatio univerſalis in eo conſiſtit, ut nihil ſuſcipiatur, ſi omnia rite procedant. Eruptio nullo pacto ſt urgenda, niſi forte ea nimium diu emaneret, ubi in cauſam ejusdem inquirendum atque ea tollenda eſt, et hoc facto, aut nullis praeſentibus impedimentis, camphora eſt exhibenda aut balnea calida ſunt in auxilium vocanda. Neque violenter ea eſt ſupprimenda. Quare eſſet in variolis agendum, quod ſibi in aliis morbis et ſanitate vigente nemo permitteret? Quis poteſt negare, eruptionem a frigore impediri? Quis obſervationes in dubium revocabit, eruptionem variolarum ſuppreſſam ſaepe atrociſſima produxiſſe ſymptomata? Et nonne variolae ſaepe hieme cum malignitate incipiunt, quae tempore aeſtatis calido imminente evaneſcit?

Ad nimiam eruptionem in facie impediendam, quidam medicorum commendarunt pediluvia, ſed primo eſt admodum dubium, num ea effectum praeſtant deſideratum, et ſecundo ſaepiſſime ea contraindicantur. Ubi e contrario eruptio eſt difficilis, et cutis ſicca, ſunt univerſalia calida balnea et fomentationes longe utilia. Veſicatoria ſuris applicata ſunt non ſolum bona remedia ad eruptionem promoven-

dam, ſed etiam inſerviunt ad puris evacuationem in ſuppurationis ſtadio.

Salivatio ſaepe per colluviem primarum viarum alitur, atque adeo per remedia evacuantia imminuitur.

Febris ſecundaria uſum acidorum et laxantium requirit. Priora ut putredini reſiſtatur, et poſteriora ad pus evacuandum; quem in finem manna optimum eſt remedium. Quodſi metaſtaſes contigerint, veſicatoria in auxilium adhibentur, quae in fonticulos mutari queunt. Utile quoque eſt ad metaſtaſes puris hujusmodi evitandas, cutem per diaphoretica lenia e. gr. per radicem ſenegae ſervare apertam; ubi hoc minime ſufficit, et cutis manet ſicca, etiam balnea calida et fomentationes in auxilium adhibere licet.

In circumſtantiis, ubi febres oriuntur ſimplices inflammatoriae, ſaepe ſunt variolae hujus indolis. Diatheſis phlogiſtica tanta eſſe poteſt, ut eruptio difficulter procedat, quae tum ſaepe per miſſionem ſanguinis promoveri poteſt. Facile etiam hoc in caſu variolae confluunt, ubi interim methodo antiphlogiſtica rite obſervata, non facile metuenda eſt pernicies.

Inclinationem in putredinem ſaepe jam, antequam ſigna ejusdem adeſſent, e conſtitutione epidemiae et corporis ſuſpicari licet. Febris eruptionis hic majori calore ſtipata eſſe ſolet, ubi tamen pallor faciei adeſt. Variolae ipſae ſtatim in initio rubore gaudent profundiori; confluunt, nolunt ſufficienter ele-

vari, fiunt lividae et denique nigrae. Haec putredo multum eſt ab ea diverſa, quae febris ſecundariae ſequela eſt; prior enim a conſtitutione epidemica pendet, et poſterior a pure.

Variolae hujus generis ſunt ſumme periculoſae, et ſolvuntur plerumque die 8. 11. & 13. In febri eruptionis omnes enervationes ſedulo ſunt evitandae, diligenter oxymel exhibendum, et ſtatim eruptione facta acida mineralia, cortex peruvianus atque infantibus alumen, ſunt praebenda.

Ingraveſcente putredine proficua ſunt camphora et vinum. Quemadmodum generatim febres inflammatoriae prorſus ſimplices et putridae ſunt rarae, ſic etiam febris varioloſa utplurimum eſt indolis bilioſae, hoc eſt, colluvies adeſt bilioſa in primis viis, quae influxu in febrem gaudet, atque proinde enitendum eſt, ut ea ejiciatur.

Variolae vulgares benignae ſunt maxima ex parte naturae inflammatorio-bilioſae. Sed dantur etiam epidemiae, ubi febris eſt putrido-bilioſa.

Niſi bilis evacuetur, eruptio redditur difficilis, et ſuppurationibus malignis, ſalivationique enervanti anſam praebet; febris ſecundaria quoque ſaepe per hoc redditur pejor.

Quoniam autem usque ad maturationem variolarum viribus eſt parcendum, non eſt conſultum, multum purgare, ſed faciendum eſt, ut primum ſaburra

per ſolventia reddatur mobilis, et tum emetico evacuetur.

Emeticum optime initio diei tertiae locum habet. Tempus tum jam fuit, ſolventia exhibere, atque emeticum ipſum eruptionem ipſam quam maxime allevat.

Maturatis autem variolis ab emeticis eſt abſtinendum, niſi forte jam materia turgeſcens fuerit educta. Nunc in hoc reſpiciendum eſt, puri exitum reddere facilem, quod partim per puſtularum apertionem, partim per diaphoretica lenia et laxantia efficitur.

Utrum interne dentur variolae, quarum etiam gratia evacuatio foret inſtituenda, adhuc ſub judice lis eſt, etiamſi hoc per obſervationes quam maxime ſiat credibile.

Nonnumquam febris varioloſa eſt febris lenta nervoſa, hoc eſt, deficiunt vires ad contagium ſubigendum. Hoc in caſu eruptio producitur ad diem 7. & 8., nec fit ſecundum ordinem conſuetum, ſed puſtulae prodeunt utique primum in extremitatibus et denique in facie. Palleſcunt nec elevantur, et poſtremo loco puris prodit humor aqueus aut acris, aut indurantur. In priori caſu appellantur *variolae cryſtallinae* aut *lymphaticae*, atque in poſteriori vocantur *variolae verrucoſae*. Variolae novae ſemper etiam in conſpectum prodeunt, quo denique vires ſaepe penitus exhauriuntur.

In hoc variolarum genere methodus medendi a plebe urſurpari ſolita variolas per remedia pellentia urgendi locum habet. Primum exhibetur emeticum, applicantur veſicatoria, exhibentur balnea calida, et tum propinantur alexipharmaca et vinum.

Quum majus aut minus periculum hujus contagii ſemper a circumſtantiis accidentalibus dependeat, noxa miaſmatis varioloſi imminui poteſt, ſi illud circumſtantiis optimis in corpus inferatur. Huic fundamento per experientiam ſtabilito innititur *inoculatio variolarum.* Atque ſi conſtituendo ſimus, quae hae circumſtantiae optimae ſint, ad elaborationem miasmatis varioloſi, eſt ſane extra omnem dubitationem collocatum, per inoculationem periculum hujus morbi imminui poſſe, quia primo omnes fere jam homines ab hoc morbo invaduntur, paucique illi, qui eum effugiunt, inter exceptiones pertinent, et ſecundo in contagio naturali circumſtantiae ſaepiſſime ſunt periculoſae. Et etiamſi adhuc ſit incertum, utrum ſaepius quam ſimplici vice a morbo varioloſo peti quispiam poſſit, neque tamen haec objectio adverſus inoculationem variolarum eſt ponderoſa, quoniam, etiamſi caſus revera locum habeat, ita tamen rariſſimus eſt, ut tantum inter exceptiones nullius momenti pertineat.

Ex experimentis de inoculatione variolarum captis clarum omnino eſt, univerſim multo pauciores ho-

mines in variolis inſitivis, quam naturalibus mori, quod evincere videtur, nos omnino pares eſſe ad circumſtantias conſtituendas, quae majus aut minus periculum morbi varioloſi efficiant.

Hoc autem eſt forſitan tantum ſpecies. Propterea fortaſſe morbus variolarum inſitarum eſt mitior, quia contagium non ſatis ſubigitur; ſed in corpore remanet, et ſeminia ad alios morbos relinquit lethales.

Non deſunt ſaltem rationes, quae hoc veriſimile reddunt. Primo adhuc nondum eſt confirmatum, quod generatim mortalitas hominum per variolarum inſitionem minueretur; et ſecundo non intelligitur, quare variolae inſitae generatim eſſent mitiores, quam variolae naturales benigniſſimae. Si quis dicat, hoc in contagii ratione eſſe ſitum, tum hoc contradicit partim experimentis Chinae et Turciae factis, ubi miaſma per linteum in naſum fertur, aut id cum pane butyro obducto ad edendum datur, partim ex hoc ſuſpicari debemus, miasma varioloſum non ſufficienter eſſe ſubactum, ſed aut generatim humores corporis corrumpere, aut non ſatis a contagio ſecundo ſecuros reddere, atque adeo ad morbos proclivius reddere, usque illud ſtadium ſequitur, ubi natura facultate gaudet, hoc miasma per puſtulationem conſuetam tollendi.

Hae ſuſpiciones magnum inde nanciſcuntur pondus, quod revera caſus dentur, ubi materia varioloſa,

niſi ea febrem regularem atque puſtulationem producat, alia producit ſymptomata, quae alias enata non fuiſſent, e. gr. fiſtulas lacrymales, ulcera purulenta, ſpasmos epilepticos. Neque deſunt obſervationes, quod inſitione facta per miſſionem ſanguinis frequentem et purgationem id effectum fuerit, ut una duntaxat variola prodiret, poſtquam autem vires iterum collectae fuerunt, nova exorta eſt febris varioloſa, quam eruptio magnae copiae variolarum excepit. Omnia documenta, quod materia varioloſa in corpore conſervare, quoddam malum producere, et tantum occaſione data erumpere poſſit. Ceterum contendere nolo, has rationes eſſe ſufficientes, inſitionem generatim non commendare, ſed tantum credo, adhuc nondum eſſe hos rite conſtituendo, quibus in circumſtantiis miasma varioloſum optime et cum quam minima noxa in corpus humanum adferri, ſubigi atque ex eodem iterum excerni queat. Qui hoc poteſt, inoculet, et habebit, in ſoſpitando genere humano meritum immortale.

Saepe etiam ſane res hic ad utilitatem redit proportionatam. Quodſi per inſitionem tantum epidemiis maligniſſimis, curationibusque pravis praecavere poſſimus, ſatis jam illa nobis parit emolumenti, atque etiamſi ego hoc ſufficere non cenſeam, cuivis patri, matri, fratri et ſorori ad inſitionem jus dare, eſt tamen pro principe rationis ſatis, inſitionem tueri et promovere.

Quodſi quis igitur inoculare velit, tempeſtas anni, et conſtitutio ejusdem epidemica ſint bonae indolis, neceſſe eſt. Bonae hiemes plerumque ſunt huic rei aptiſſimae, quia tum conſtitutio epidemica, utplurimum eſt indolis inflammatoriae, atque adeo benigna.

Talia ſecundo ſunt eligenda corpora, quae per ſe bonae ſunt conſtitutionis, aut ſaltem valetudine proportionaliter utuntur ſecunda. In quo quidem facile errare poſſumus, atque hoc plane illud eſt, quod nunc adhuc utilitatem inſitionis variolarum imminuit. Experientia enim oſtendit, varias acrimonias e. g. acrimoniam ſcrophuloſam morbum varioloſum minime aggravare, ut etiam generatim materia varioloſa parum adfinitatis cum reliquis acrimoniis habet; e contrario certiſſime dantur aliae corporis conditiones, per quas effectus materiae varioloſae fit noxius.

Aetas tertio non facile ſit infra duos annos, quoniam alias facile vires neceſſariae deficiunt.

Neque proprie ulla praeparatione opus eſt. Corpora impuritate ſcatentia non ſunt inoculanda, et reliqua ſatius eſt ſuſcipere durante morbo.

Virus varioloſum e variolis benignis maturis ſumitur. Tamen neceſſe eſt, ut illud ſit adhuc aliquantum tenue, nec variolae adhuc ulla obductae ſint cruſta.

Inſitio optime et facillime inſtituitur, tantillum materiae varioloſae lanceola excipiendo, eaque epidermidem ſolvendo atque una materiam varioloſam

introducendo. Quem in finem brachium a ſcapula usque ad manum eſt tutiſſimum, latusque brachii interius commodiſſimum.

Die tertio praeterlapſo vulnus inflammari, urina turbari, atque exſpiratio olere incipit. Quodſi tum aegri de dolore ſub axillis queruntur, ſignum eſt, virus virtutem ſuam exſeruiſſe. Non multo poſt inter ſeptimum atque undecimum diem, inoculatione facta, ſupervenit febris eruptionis, quae plerumque eſt leniſſima atque ſalivatio et febris ſecundaria raro ſequitur.

Quodſi inſitione facta quidem circa vulnus variolae quaedam prodeunt, nulla tamen vera excitatur febris, qua variolae erumpuntur, a contagio futuro non ſumus ſecuri. Nam etiam in illis, qui variolis jam laborarunt, per inſitionem variolae circa vulnus produci poſſunt. Novum argumentum, nimiam morbi varioloſi lenitatem diſpoſitionem ad contagium non penitus extirpare, et niſi epidemiae malignae, medici mali, tractatio prava, exercitium artis ignorantium aegro adſtantium in morbo varioloſo darentur, ſatius eſſet, contagium expectare naturale, quod non facile prius contingit, quam usque receptivitas ad hoc adaequata locum habet.

Variolae ſpuriae.

Haec variolae vocantur, *variolae durae ovales, acuminatae, emphyſematicae* et *lymphaticae*. Illae cum

febre leni altero jam die et quidem utplurimum primum in dorſo erumpunt, atque jam die ſequenti in ſuppurationem tranſeunt, aut ſaltem humore implentur aquoſo.

Hae variolae a contagio proxime deſcriptarum tutos non reddunt, hincque collectum eſt, materiem harum variolarum a contagio variolarum verarum eſſentialiter differre.

Conſtat interim, hoc genus variolarum tantum durante curſu variolarum verarum occurrere, hincque pronus ſum ad credendum, has variolas ejusdem eſſe conditionis cum illis, quae inſitione facta ſine febre ſuper vulnere et in talibus ſubjectis, qui jam variolas ſuperarunt, ſed facie aut mammis ſaepe variolis conflictantes attingunt, in conſpectum prodeunt, et proinde cum ita dictis veris ex iisdem oriri cauſis, in phaenomenis atque effectibus autem gradu differre. A majori aut minori diſpoſitione ad miasma varioloſum ſubigendum omnia forſitan hic pendent.

Morbilli.

Morbilli ſunt maculae, variolis humiliores, ſed tamen illis latiores, quae in ſuppurationem non tranſeunt, ſed exſiccantur, et per deſquamationem cutis ſolvuntur.

Cum variolis in his conveniunt: 1) quod fere omnes homines ab hoc morbo tententur, 2) raro aut

numquam

numquam bis eundem hominem aggrediantur, 3) quod illi e contagio peculiari naſcantur, 4) quod illi epidemice graſſentur, & 5) quod illi apud nos morbum conſtituant novum.

Nihilominus tamen materia varioloſa minima cum materia morbilloſa adfinitate gaudere videtur. Experientia compertum eſt, homines, quibus variolae inſitae fuerunt, eodem tempore a morbillis eſſe invaſos, ubi morbus varioloſus, morbillis ſuperatis, quatuor ſeptimanis poſt inſitionem prius vires ſuas exſeruit.

Febris ſemper fere cum ſymptomatibus catarrhalibus incipit, et, ubi res ex ſententia procedunt, eruptio fit quarto die, et desquamatio die ſexto.

Eruptio non eſt critica, raro ſaltem febris per eam mitigatur.

Quodſi maculae ſunt ruberrimae, hoc ſtatum indicat maxime inflammatorium, ubi illae palleſcunt, defectum virium, atque ubi liveſcunt, proclivitatem ad putredinem.

Morbilli facillime retrocedunt, atque inflammationibus pectoris periculoſis anſam praebent.

Saepiſſime illae herpes atque ulcera relinquunt, atque miasma cum acrimonia ſcrophuloſa ſimilitudine gaudere videtur.

Ubique proinde in methodo medendi attendendum eſt, ne iſtiusmodi contingant metaſtaſes. Calidius proinde ſervandum eſt regimen, quam in variolis.

Ubi diatheſis adeſt phlogiſtica, atque eruptio difficulter procedit, ſaepe ea miſſione ſanguinis promoveri poteſt. Ceterum contendimus, tranſpirationem per hauſtum potionis cum nitro permixti frequentem, et per camphorata lenia promovere.

Ubi proclivitas ad putredinem adeſt, mox alexipharmaca atque antiſeptica adhibentur.

Ubi adeſt bilis, eruptio per emetica promoveri et ſuſtentari poteſt.

Atque ubi vires deſunt, veſicatoria atque vinum in auxilium ſunt adhibenda.

Ubique autem curandum eſt, ne ullae in pulmonibus contingant ſtagnationes inflammatoriae. Minima indicatione earundem praeſente, miſſiones ſanguinis atque veſicatoria non ſunt negligenda.

Nonnumquam comparet diarrhoea, quae a colluvie primarum viarum prorſus non dependet, ſed tantum ſymptomatica eſt, tranſpirationem ſupprimit, et per hoc congeſtionibus acrimoniae in pectus occaſionem ſuppeditare poteſt. Hoc in caſu quoque miſſiones ſanguinis atque remedia antiphlogiſtico-diaphoretica ſalutaria ſe praeſtiterunt.

Rubeolae.

Rubeolae a morbillis in eo diſtinguuntur, quod febris non cum lippitudine oculorum tuſſique, ſed plerumque cum collo obſtipo compareat; quod puſtulae elevatiores et cum humore purulento ſint repletae; et quod illae non deſquamatione furfuracea, ſed epidermidis ſolutione decedant.

In methodo medendi quidem nulla praecipua differentia locum habet. Omnia ab indole febris circumſtantiarumque ſingularium pendent. Propter anginam in febribus putridis facile periculoſam eruptio exanthematis per veſicatoria et diaphoretica eſt promovenda.

In conſtitutione febris inflammatoria miſſio ſanguinis, ut in morbillis, eruptionem promovere poteſt.

Febris ſcarlatina.

Exanthema ſcarlatinae a variolis atque morbillis in eo diſtinguitur, quod maculae ſint magnae atque informes, facile confluant, ruberrimae ſint, neque in ſuppurationem tranſeant.

Reliqua quoque phaenomena hanc febrem a morbillis diſtinguunt.

Eruptio in febri ſcarlatina magis eſt critica, et deſquamatione finita facile tumor cutis leucophlegmaticus naſcitur.

Morbus plerumque angina eſt ſtipatus, et cutis eſt admodum ſicca, quae circumſtantia poſterior cauſa tumoris eſſe videtur.

Cauſa ejusdem eſt miasma epidemicum, quod vero non eſt tam contagioſum, ut omnes homines febri ſcarlatinae eſſent obnoxii. Per hoc quoque morbus a morbillis diſtinguitur.

Alias eadem hic methodus medendi, quae in morbillis, locum habet. Quemadmodum illic ad retroceſſionem impediendam perſpirationem promovere contendimus, idem hic ad tumorem praecavendum ſuſcipitur.

Putredo, ut illic, per colorem macularum purpureum et lividum ſe prodit.

Anginae pro re nata occurritur, ut ſuperius eſt traditum.

Tumoribus remanentibus tollendis, inſerviunt balnea calida et remedia diuretica atque diaphoretica, quem in finem radix Senegae optimum eſt remedium.

Febris urticata.

Febris urticata raro epidemice graſſatur, et ſporadice ſaepe occurrit. Puſtulae illis ſunt ſimiles, quae ab urticis in cute producuntur, atque eandem fere excitant ſenſationem. Febris per aliquot duntaxat dies durat, atque emeticum aut laxans plerumque prorſus tollit morbum.

Unde colligendum eſſe videtur, cauſam hujus febris acrimoniam in primis viis progenitam atque in ſanguinem transgreſſam eſſe.

Quodſi maculae ſunt admodum latae, eadem haec febris *eſſera* vocatur.

Febris miliaris.

Exanthemata miliaria ſunt granis milii ſimilia, unde et nomen habent. Nonnumquam gaudent illa colore rubro, et tum appellantur *purpura.* Minora ſunt morbillis, ſed elevatiora. In eruptione variolis ſunt ſimilia, niſi quod illis circulus deſit ruber.

Mox humore claro replentur, et per deſquamationem evanescunt.

Purpura in *rubram* atque *albam* diſtinguitur. Purpura alba utplurimum in febribus obſervatur nervoſis.

Exanthema hujus generis ſuſpicari licet, quum

1) aegri antea ſanguine tenui atque acri ſunt gaviſi;
2) quum methodus medendi nimium fuit calida, et remedia evacuantia fuere negleсta;
3) Febris miliaris in puerperio regimine nimium calido haud rara eſt.
4) Quum proclivitas ad ſudores acres ſymptomaticos, tuſſis ſicca, anxietas et dolor capitis ſine cauſa manifeſta, pruritus in cute, gemitus inſolitus, pulſus tenſus, inaequalis obſervantur,

absque inflammatione aut ſpasmo conſueto praeſente.

Eruptio temporibus contingit incertis, nonnumquam jam die ſeptimo deſquamantur, ſubinde nova ſemper prodeunt exanthemata. Quo maturius id erumpit, eo pernicioſius eſt.

Cauſa purpurae neque contagium eſt, neque miasma ſingulare, ſed ſola acrimonia in ipſo corpore progenita.

Hanc acrimoniam indolis eſſe acidae, vero ſit inde propius, quoniam

1) ſemper fere ſudores praecedunt acidi;

2) quod purpura frequentiſſime in corporibus debilibus, atque ad acidum in primis viis proclivibus, obſervetur, et

3) quod purpura in puerperis a lacte retropulſo nec ſufficienter evacuato facile producatur.

4) Datur purpura chronica, quae in ſubjectis laxis, ſcorbuticis occurrit.

Singulare interim eſt, quod morbus ſit novus, aut ſaltem temporibus antiquioribus rarius occurriſſe debuerit. Apud nos primum Lipſiae medio ſeculi ſuperioris innotuit.

Pauca, quae de cauſa purpurae proxima novimus, incertiora ſunt, quam ut ea in methodo medendi pro norma inſervire poſſent, et prorſus contendere nolo, e rationibus a me in medium prolatis pro natura acri-

moniae miliaris acida concludere, quod in febre miliari remedia alcalina ſint adhibenda. Exanthema quoque utplurimum eſt ſymptomaticum, aut ſi illud, uti hoc etiam negari nequit, criticum eſt, attamen illud ſemper eſt criſis periculoſa, quae, quoad ejus fieri poteſt, eſt evitanda aut ſaltem non eſt urgenda.

Proinde tantum ſecundum indicationes febris generales agitur. Ubi autem ſumma virium proſtratio adeſt, et purpurae praenuncia comparent, cautio cum laxantibus eſt ſervanda. Ubi evacuandum eſt, per emetica eſt faciendum, et perſpiratio quidem minime vehementer urgenda, ſed nec ſupprimenda eſt. Quodſi interim praeſagia atque inprimis ſudor multo maturius ſe oſtendunt, quam pro circumſtantiarum ratione coctio exſpectanda eſſet, ſtudendum ſane eſt per regimen frigidiusculum, ut ſudor imminuatur, eruptionique purpurae nimis maturae atque adeo ſymptomaticae intercedatur.

Quamprimum exanthema erupit, retroceſſio ejus maxima diligentia praecavenda eſt, quia ea ſumme eſt periculoſa, facileque poſt leves refrigerationes atque enervationes eventura.

Ubi illud revera eſt retropulſum, enitendum eſt, ut per veſicatoria atque camphorata iterum propellatur.

Generatim hic quoque indoles febris optimam medendi normam exhibet. Quo minus vires de-

ſunt, quo magis adeſt materia craſſa, quo minus, praenunciis purpurae admodum maturis, criſis ab ejusdem eruptione eſt expectanda, eo tutius non tantum contra praenuncia moliri licet; ſed etiam retroceſſio purpurae forte jam erumpentis eo minus eſt extimeſcenda. Quo e contrario febris indoli febris nervoſae propius accedit, quo minus adeſt materiae craſſae, eo citius, praenunciis ejusdem non nimium maturis, criſin expectare licet, atque igitur hic viribus eſt parcendum, alias etiam deficientibus, non ſolum ea de cauſa, quoniam hic generatim nulla ad evacuationes nimias indicatio adeſt, ſed etiam, quia evacuatio hujus generis critica plures requirit vires, quam aliae criſes, atque hic retroceſſio ejusdem, quae plerumque ex debilitate contingit, ſemper fere eſt lethalis.

In puerperis exanthema purpurae plerumque eſt regiminis nimium calidi ſequela, atque hinc raro aut numquam eſt criticum, uti etiam per regimen frigidulum evitari poteſt, aut, etiamſi illud adſit, nullum tamen eſt contraindicans adverſus indicantia reliqua. Ceterum ſemper fere illud hic productum lactis in ſanguinem retrogreſſi eſſe videtur.

Febris bulloſa.

In febribus malignis ſaepe bullae magnae comparent, quae ruptae cruſtam faciunt nigram. Hoc in

caſu quidam ſcriptores hanc febrem appellarunt *pemphygum* ſeu *febrem bulloſam.* Haec exanthemata numquam omnino critica eſſe videntur, ſed ſemper eſſe ſymptoma malignum, quod pro ſe nullum indicat methodum medendi peculiarem.

Aphthae.

Aphthae ſunt ulcera parva, rotunda, alba in ore atque in lingua, atque in febribus inter easdem circumſtantias occurrunt, quibus purpura occurrere ſolet, etiamſi illae adhuc rarius ſint criticae.

Praeterea huic morbo infantes recens nati maxime ſunt obnoxii, ubi hic haud raro inflammationem faucium et ventriculi parit lethalem.

Videtur, quaſi in aphthis acrimonia non tantopere in ſanguinem tranſierit, quam in purpura, quoniam ſaepiſſime plurimum per purgantia efficere licet.

Externe vitriolum album in melle roſato ſolutum, utiliter eſt adhibendum.

Petechiae.

Petechiae utplurimum ſunt ſymptoma accidentale in febribus putridis et biliofis, nec proinde pro ſpecie febrium naturali illae ſunt habendae. Quaevis febris putrida in *febrem petechialem* tranſire poteſt, etiamſi certum ſit, in quibusdam epidemiis ſingularem ad eam obſervari proclivitatem.

Illae ſunt maculae rubrae, quae ſupra cutem non elevantur, nec quoque autem preſſione evaneſcunt.

Cauſa ſemper eſt acrimonia putrida, etiamſi ad ejus ortum non requiratur, totam humorum maſſam reſolvi, nonnumquam enim in febribus etiam inflammatoriis occurrunt.

Illae ſunt rariſſimae et fere numquam criticae. Quodſi illae in colorem lividum aut profunde rubrum cadunt, plerumque tunc illae ſignum reſolutionis univerſalis ſunt.

Quodſi illae in ſtadio febrium prodeunt, ubi adhuc haec reſolutio univerſalis non obſervatur, ortum ſuum plerumque acrimoniae in primis viis contentae putridae bilioſae acceptum referunt.

Evacuantia atque antiſeptica proinde ſunt pharmaca, huic ſymptomati opponenda, ubi ceterum ad conditionem febris generalem ſemper reſpicimus.

Nonnumquam hae maculae jam in febris initio occurrunt, ubi nullae impuritates in primis viis, adhuc quoque nulla reſolutionis putridae ſigna adſunt; ſed e contrario haec tum oritur, quando maculae evaneſcunt. Quo in caſu inſerviunt diaphoretica alexipharmaca.

Plantae quaedam e. g. baccae taxi anſam ſubinde praebent maculis, quae petechiis perfecte ſunt ſimiles, ſed nulla ſunt febri ſtipatae. Eandem interim requi-

runt methodum medendi, atque acidum vitrioli hic etiam, evacuatione partium noxiarum in primis viis adhuc contentarum facta, eſt remedium efficaciſſimum.

De Rheumatiſmis.

Dolores in artubus atque articulis, non ex ſpaſmo, ſed e quadam inflammationis ſpecie, raro autem in ſuppurationem tranſeuntis, oriundi, atque ubi ſimul notae arthritidis verae characteriſticae deſunt, vocantur *rheumatiſmi.*

Cauſa rheumatiſmorum praedisponens circulatio humorum in viſceribus abdominis impedita eſſe videtur, ſaltem ſubjecta, quorum corpora acrimonia rheumatica ſcatent, plerumque incommodis haemorrhoidalibus ſunt obnoxia.

Per hanc circulationem vitioſam humoribus lymphaticis, ut hoc vero quam maxime ſimile eſſe videtur, acrimonia quaedam ſingularis communicatur, ita ut materia per cutem tranſpirare ſolita retenta in partibus muſculoſis et ligamentoſis ſtagnet, et dolores pariat articulares.

Haec humorum acrimonia autem quoque indolis ſcorbuticae et venereae eſſe poteſt, ſaltem acrimonia prioris ſpeciei per eam augeri, atque adeo doloribus articulorum pertinacioribus occaſio praeberi poteſt.

Tantum ſaltem certum eſt, refrigerium communiſſimam cauſam rheumatiſmorum occaſionalem eſſe, atque hos proinde cum illo evitari poſſe.

Rheumatiſmus dividitur in *acutum* et *chronicum.*

Rheumatiſmus acutus.

Rheumatiſmus acutus ſemper febre eſt ſtipatus. Dolores plerumque in omnibus membris adſunt, atque utplurimum externe comparet tumor cum rubore, qui autem fere numquam erumpit, et raro exulcerationes efficit internas.

Febris hic plerumque eſt indolis ſimplicis inflammatoriae, ſed etiam haud raro ſimul biliofae.

Haec in ſubjectis robuſtis poſt refrigeria magna naſcitur.

Quodſi dolor muſculos pectoris occupat, morbus vocatur *pleurodyne* ſeu *pleuritis ſpuria.*

Morbus raro eſt periculoſus, et criſis contingit per ſudorem atque urinam.

Ubi febris naturae ſimplicis inflammatoriae eſt, methodus antiphlogiſtica, ut in alia febri inflammatoria, locum habet. Veſicatoria tamen plerumque omitti poſſunt.

Miſſione ſanguinis ſufficienter adminiſtrata ſaepe nitrum in potu ordinario ſolutum atque attenuatum, quotidie ad unciam dimidiam aut etiam integram, ſufficit.

Sed hae febres ſimplices ſunt rariſſimae. Plerumque ſimul ſyſtema bilioſum tentatur, et ſemper ratio illius eſt habenda; non tamen proprie eſt purgandum, quia illud criſin per ſudorem impedit, ſed contendendum ut reſolventia atque emetica ſufficiant.

In febribus putridis quidem quoque ſaepe comparent dolores rheumatici, qui autem hic plerumque ſunt maxime accidentales, et ſaltem ex ſymptomatibus minus periculoſis.

Quodſi autem in epidemiis malignis febres cum doloribus articulorum incipiunt, talis febris evacuantibus conſuetis minime eſt tractanda. Miſſio ſanguinis ibi tantum eſt ſuſcipienda, ubi nos ſtaſes inflammatoriae minantur; bilis ſtatim in initio per emetica exturbanda eſt, et quamprimum ratio perſpirationis promovendae eſt habenda.

Nonnumquam rheumatiſmus modo febris intermittentis ſe habet, quo in caſu, evacuatione facta, cortex chinae eſt exhibendus.

Rheumatiſmus chronicus.

Quodſi rheumatiſmus nulla *febre* eſt ſtipatus, plerumque eſt chronicus. Rheumatiſmus chronicus autem quoque ex acuto oriri poteſt.

In rheumatiſmo chronico dolor ſemper fere eſt fixus, et tantum partes ſingulares invadit.

Quodſi dolor in regione vertebrarum lumborum eſt, morbus vocatur *lumbago*; quodſi articulus capitis oſſis femoris dolet, appellatur *iſchias*. Saepe dolor vertebras colli occupat, et rigiditas ejusdem oritur, quae *collum obſtipum* ſalutatur.

In rheumatiſmis chronicis partes adficientes raro intumeſcunt, ſed plerumque frigent, rigentque.

Methodus medendi miſſiones ſanguinis topicas, frictiones et balnea requirit.

Hirudines parti adfectae impoſiti, magnae ſunt hic efficacitatis, magnam etiam ſcarificationes praebent utilitatem.

Pharmaca reſolventia ex acrimoniae indole ſunt inſtituenda. Ratio primum bilis habetur, atque hunc in finem emeticum in tam parva doſi exhibetur, ut id tantum reſolvendo agat. Quodſi tum materia turgeſcens ſe oſtendit, emeticum exhibetur. Sudorem tunc nitimur primo per lenia, deinde per remedia fortiora excitare. Tinctura Guajaci volatilis et liquor c. c. ſuccinatus inſignem hic praeſtant uſum.

Ubi acrimonia adeſt ſcorbutica, antiſcorbutica atque acidum vitrioli proſunt.

In acrimonia venerea gummi Guajaci et mercurius praeſtanti gaudent virtute. Atque ubi morbus eſt pertinax, frictiones mercuriales et balnea uſque ad ſalivationem ordinantur.

In rheumatiſmis pertinacibus mercurialia quoque in auxilium adhiberi queunt, etiamſi nulla acrimoniae venereae ſuſpicio adſit. Vid. *Pilulae reſolventes.*

Sudorem per calidum decoctum ligni ſancti mane et veſperi adſumtum promovere conamur.

Praeterea jubentur aegri aut calide lavari, aut ſaltem partibus laborantibus fomenta applicantur.

Rigiditas colli ſaepiſſime ab acrimonia ſcrophuloſa oritur. Aſſa foetida, in-et externe adhibita, hic ſaepe permultum praeſtat.

Subjecta, quae multum ſaturno illaborant, ſaepe a doloribus vexantur rheumaticis, ubi frictiones mercuriales ſunt utiliſſimae.

In dolore iſchiatico ipſe nervus pati videtur, quia dolor plerumque ſecundum nervi longitudinem extenditur, atque ſaepe paralyſes veſicae urinariae atque inteſtini recti ejusdem ſunt ſequelae. Tam in dolore iſchiatico quam in lumbagine oleum terebinthinae egregium ſaepe praeſtat uſum.

Quamprimum ratio ad credendum adeſt, maximam acrimoniae partem eſſe domitam, jubentur membra dolorifica frigide lavari atque etiam glacies illis imponi. Ubi vero rigiditas et frigus admodum ſunt magna, olea aromatica, oleum petrae aut unguentum nervinum illinuntur.

Haud raro poſt puerperium rheumatiſmi naſcuntur pertinaces ex metaſtaſibus lactis et lymphae, ubi

ſtaſes in initio per camphorata reſolvendae atque educendae ſunt, ſi vero hoc non cedat, per ligamenta in locum colligere convenientem, et per ſuppurationem ejicere conamur.

Poſt febres exanthematicas, inprimis poſt ſcarlatinam ſaepe quoque dolores articulorum pertinaces remanent, ubi balnea calida maxime ſunt proficua.

Mucus et vermes in primis viis acerbiſſimis ſubinde doloribus in infantibus occaſionem dant, atque per evacuantia tolluntur.

Et denique adhuc illi dolores femoris, ſurarum et cruris pertinent, qui ſequela obſtructionum in hepate pertinacium, et tanquam ſuppurationis hepatis praenuncia ſunt habenda.

De Morbis arthriticis.

Hi morbi conſiſtunt pariter, ut rheumatiſmi, in doloribus artuum atque articulorum, ſed diſtinguuntur a rheumaticis in ſequentibus.

1) Ad arthritidem requiritur diſpoſitio corporis ſingularis, quae ſaepe eſt haereditaria, et non facile in annis ante pubertatem vires exſerit. Quod in rheumatiſmo non obtinet, ſaltem non notum eſt, eum per haereditatem poſſe propagari.

2) Non facile aut forſitan numquam tentantur corpora debilia arthritide vera. Sed

3) illi

3) illi tantum homines ad arthritidem proclives ſunt, qui magnis gaudent viribus muſcularibus, diaetam ſervant nutrientem et ſplendidam, et tamen ſimul ſyſtemate nervoſo praediti ſunt ſenſibili, ſive hoc eveniat naturaliter, ſive ex enervationibus ſingularibus, ſyſtema nervoſum peculiariter debilitantibus.

4) Morbus facile per ſe oritur, absque omni occaſione externa, ſed

5) non naſcitur in aetate tenera, atque in viris vix ante annum 35tum.

6) Si ſemel adfuerit, vix aut forſitan numquam penitus extirpari poteſt, ſed ſerius aut citius rurſus comparet.

7) Singulari cum digeſtione gaudet nexu. Semper ante morbi eruptionem turbae in ventriculo praecedunt.

8) Materia arthritica eſt admodum mobilis, facileque in partes internas retrolabitur, omniumque lubentiſſime ventriculo adhaereſcit.

9) Materia ipſa ſaepe per congeſtiones indurationesque in articulis materiae cujusdam calcareae ſe prodit. In urina quoque ſaepe animadvertitur mucus, qui, ſi exſiccatur, eadem gaudet qualitate terrea.

10) Morbus haud raro facit exacerbationes periodicas, quae vero tempore duplicantur.

11) Et denique materia rheumatica in eo ab arthritica differre videtur, quod illa propago hujus ſit, et quod in materia rheumatica vires deſint, ad eam ita ſubigendam, ut ea fiat arthritica; ſaltem materia arthritica multo ſubtilior eſt, quam rheumatica. Non tantum per nativitatem, ſed etiam, diſpoſitione praeſenti, per contagium immediatum propagatur.

Arthritis.

Arthritis a rheumatiſmo acuto tantum per diverſitates cauſarum atque indolis morbi indicatas diſtinguitur. Phaenomena ipſa ſibi invicem tam ſunt ſimilia, ut duo morbi ſaepiſſime inter ſe permutentur, et pro iisdem habeantur.

Saepius mulieres, quam viros invadit, et ſaepius apud nobiles, quam plebeios occurrit.

Acceſſiones plerumque tempore verno contingunt, et tres quatuorve ſeptimanas durant. Duratio acceſſionum exiſtit pro virium conditione. Quo vegetiores illae ſunt, eo maturius finitur morbus, ſed eo etiam ſimul eſt atrocior, eoque majoribus ſtipatur doloribus.

Criſis fit per ſudorem atque urinam. Niſi ea eveniat, metaſtaſes in partes internas, aut etiam *nodi arthritici* adſunt, quibus immobilitas articulorum paritur.

Methodus medendi huc redit, ut impedimenta hujus criſeos e medio tollantur, et criſis ipſa promoveatur.

Ubi plethora atque diſpoſitio inflammatoria adeſt, mittitur ſanguis, atque ubi ſordes in primis viis adſunt, emetica lenia exhibentur.

Sudorem promovere nitimur, tegendo externe partes adfectas, propinandoque diaphoretica lenia, e. g. mixturam diaphoreticam attenuatam. Ubi haec minime ſufficit, tinctura guajaci volatilis in auxilium adhiberi poteſt.

Quum criſis numquam ſine dolore contingere poſſit, non etiam facile anodyna exhibere licet. Sed nonnumquam ſudor propter nimiam doloris vehementiam, ac ſpaſmos ab eodem productos, remanet, atque hoc in caſu omnino opiata prodeſſe poſſunt.

Nonnumquam arthritis in partibus duntaxat corporis ſingulis comparet. Dolores arthritici in manibus vocantur *chiragra*, in genu *gonagra*, atque in talis pedum *podagra*.

Omnes tres ſpecies in arthritide occurrere poſſunt, ſed ſaepe podagra ſingularem conſtituit morbum, qui cum nulla arthritide conjunctus eſt univerſali.

Podagra.

Podagra ſtricte ſic dicta plerumque tantum viros invadit, in mulieribus ſaltem ſemper ea cum arthri-

tide eſt conjuncta. Itaque podagra ab arthritide tantum in eo diſtinguitur, quod ea nullo cum dolore articulorum univerſali conjuncta ſit, virisque ea inprimis ſit propria.

Criſis hic non facile per ſudores evenit univerſales, ſed partes adfectae ipſae intumeſcere, aliquantum inflammari, et per ſudorem particularem iterum decreſcere ſolent.

Nitimur proinde tantum impedimenta criſeos e medio tollere. Miſſio tamen ſanguinis in plethora adparenti ibi tantum eſt adminiſtranda, ubi generatim naturae vires non deſunt; alias facile retroceſſioni podagrae occaſio praebetur.

Quum e contrario ventriculus ſimul plerumque in podagra tentetur, evacuatio ejusdem non eſt negligenda.

Reliqua naturae permittuntur, quae in podagra quam minime eſt cogenda.

Partes adfectae ſolo panno laneo viliori teguntur.

Remedia externa hic adhuc minus locum habent, quam in arthritide.

Quodſi materia arthritica ſubito retrocedit, defertur aut ad ventriculum, aut ad alia viſcera. In priori caſu facile ſponte oritur vomitus, qui ſuſtentandus atque levandus eſt. Quo facto camphorata exhibentur, plantis pedum ſinapiſmi imponuntur, et

partes calidae ſervantur, ubi tum dolores facile in pedes redire ſolent.

Extra acceſſiones contendimus proclivitatem ad hunc morbum, quae ſemper eo fit major, quo exacerbationes frequentius redeunt, per bonam diaetam, evitando omnes cibos et potus calefacientes, exercendo corpus, quiete et recreatione animi; debilitare. Licet per hoc morbus non penitus eradicetur, acceſſiones tamen pauciores et breviores reddi queunt.

Quodſi materia in alias partes dejecta eſt, facile oriuntur apoplexiae, paralyſes, quin etiam inflammationes, qui tum ut morbi proprii tractantur.

De Catarrhis.

Catarrhi magna cum rheumatiſmis gaudent ſimilitudine, et ſaepe tantum diverſitate partium adfectarum differre videntur.

Congeſtio nimirum humoris ſeroſi acris in glandulis naſi, oris ac pharyngis, atque in pulmonibus, appellatur *catarrhus.*

Hi catarrhi plerumque gradu inflammationis levi, atque adeo ſaepe dolore ſunt ſtipati, ſed non tam facile ad ſuppurationem ſunt proclives, quam phlegmone.

Cauſa eſt acrimonia, quae inprimis in ſyſtema lymphaticum, atque inprimis in glandulas agit, ibi-

que adfluxum humorum parit, qui in initio ſunt tenues atque acres, poſtea vero fiunt craſſi et lenes.

Haec acrimonia ſaepiſſime eſt miaſma epidemicum, atque haud raro contagioſum. Ad hoc interim ſemper diſpoſitio ſingularis requiritur. Corpora debilia atque irritabilia, quae acrimonia rheumatica ſunt impraegnata, maxime catarrhis ſunt obnoxia.

Illi aut ſunt cum febre, aut ſine illa. Sine febre nullo cum periculo ſunt conjuncti, ſed ſaepe haec febris tam eſt lenis, ut ea non animadvertatur, et tum tempore tabes conſequi poteſt. Si illi febre ſtipantur, periculum pro ratione febris ſe habet.

Quum cauſa catarrhorum occaſionalis ſaepiſſime ſit refrigerium, putabatur olim, omnes catarrhos per remedia diaphoretica tolli poſſe. Experientia docuit, hanc methodum quidem ſubinde eſſe bonam, ſed plerumque fuiſſe noxiam.

Recentioribus temporibus in alterum homines ſunt delapſi extremum, uſumque tam internum quam externum aquae frigidae ſalutarem commendarunt. Veritas in medio eſt poſita. Regimen nimis calidum, uſusque potuum calidorum nimium frequens, ad catarrhos praediſponunt, ut uſus aquae frigidae internus et externus corpus roborat, atque adverſus injurias aëris atque frigoris minus reddit ſenſibile. Sed prophylactica cum remediis curantibus ſunt permu-

tata. Catarrhus omnino frigore retropelli, at non ſanari poteſt.

Quodſi ſolus catarrhus reſpiciatur, haec momenta obſervanda eſſe videntur:

1) Materia acris attenuanda et debilitanda eſt. Hoc fit per vapores atque potum frequentem.

2) Adfluxus humorum eſt impediendus, materia etiam ipſa in motum concitanda; quod optime veſicatoriis partibus adfectis prope applicatis efficitur.

3) Materia cocta eſt evacuanda. Hoc fit partim per effluxum ejusdem immediatum, partim per ſudorem atque urinam. Utrumque a natura fieri debet, ſaltem ars hic tantum leniter agere poteſt.

Reliqua methodi medendi inſtituuntur perfecte ſecundum indolem febris circumſtantiarumque ſingularium, quas nunc indicaturus ſum.

Coryza.

Quodſi humor ſeroſus in naſi glandulis ſtagnat, vocatur *coryza.* Nonnumquam nullus e naribus effluit humor, et tum appellatur *gravedo.* Plerumque ab initio acrimonia e naribus effluit, quae paulatim craſſeſcit, miteſcit, evacuationeque ſua morbum tollit.

Haec coryza ſubinde eſt cum febre, ſubinde ſine illa. Ubi nulla adeſt febris, nec coryza eſt ſicca, na-

tura ipſa totum abſolvit opus. In gravedine vapores adhibentur.

Ubi e contrario febris adeſt, ſecundum ejusdem requiſita agimus. In diſpoſitionibus admodum inflammatoriis methodus antiphlogiſtica ordinaria locum habet, atque inter praejudicia pernicioſiſſima pertinet, in coryza numquam eſſe venam pertundendam. Ubi ſane febris eſt parva, pectusque liberum, remedia emollientia atque diaphoreſin promoventia ſufficiunt.

In conſtitutione inflammatoria, miſſione ſanguinis adminiſtrata, optime convenit mixtura diaphoretica, quum ea tranſpirationem promoveat, nec tamen calefaciat.

Colluviesillioſa ſaepe ſimul turbas facit, quae primum, more ſolito, mobilis eſt reddenda et deinde emeticis educenda.

Coryzae dantur chronicae, quae ab acrimonia peculiari, atque corruptione membranae ſchneiderianae locali in cavitatibus frontalibus pendent, et difficillime tolli poſſunt. Fonticuli atque uſus aquarum mineralium in - et externus maxime hic ſunt commendandi.

In febribus putridis et malignis catarrhus eſt omnium ſymptomatum plerumque leviſſimum, tametſi is prima earum cauſa occaſionalis eſſe poteſt.

Angina catarrhalis.

Haec angina ab inflammatoria tantum in eo diſtinguitur, quod in illa quidem tanta et ſaepe etiam major partium intumeſcentia adeſt, ſed numquam tam vehemens inflammationis gradus, hinc etiam ea raro, aut ſaltem multo ſerius atque imperfectius in ſuppurationem tranſit.

In methodo medendi nullum hoc facit diſcrimen eſſentiale, agiturque ut ſupra doctum eſt.

Tuſſis catarrhalis.

Catarrhus pulmonum, qui neque inflammatione, neque febri eſt ſtipatus, plerumque a natura ſanatur. Cui tamen, ut coryzae, per vapores emollientes, potum cum oxymelle et nitro mixtum frequentem, atque ubi is pertinax eſt, cum opio ſuccurri poteſt.

Peripneumonia notha.

Haec *peripneumonia* a vera per leviorem et ſaepe inobſervabilem febrem, ſignaque inflammationis abſentia diſtinguitur. Sed tuſſis eadem eſt ſtipata anxietate iisdemque capitis doloribus, et reſpiratio difficillima. Corpora debilia, turgida et mucoſa huic morbo tempore, quo catarrhi epidemice graſſantur, ſunt obnoxia.

Criſis fit per ſputum coctum, ſudorem atque urinam. Ubi e contrario mucus accumulatur, ſuffoca-

tio ſequitur, et tum morbus *catarrhus ſuffocativus* nuncupatur.

Morbus multis gaudet gradibus, et plus minusve peripneumoniae inflammatoriae accedit.

Tanto hic miſſio ſanguinis magis noxia eſſe poteſt, quo minus morbus eſt inflammatorius. Ubi facies eſt pallida, cutis mollis et corpus generatim debile, miſſio ſanguinis eſt evitanda.

Eo efficaciora e contrario adhibenda ſunt reſolventia. Pectori continuo veſicatorium magnum applicatur, atque omni hora granum unum ſulphuris antimonii ordinatur, quae doſis etiam ſenſim ſenſimque augeri poteſt, niſi vomitus illud excipiat. Ipecacuanha atque aqua benedicta Rulandi in refracta ſed paulatim augenda doſi pariter ſunt aptae. Quodſi relaxatio adeſt, ratioque ſimul tranſpirationis habetur, radix ſenegae utiliter adhibetur.

Muco mobili facto, ſed ob defectum virium non evacuando, conſultum eſt, emeticum exhibere, quod vero ita inſtituendum eſt, ut certi eſſe poſſimus, illud verſus ſuperiora, nec verſus inferiora operaturum, quia hoc vires debilitaret, nec finem fueris conſecutus.

De Dyſenteria.

Differentia eſſentialis inter dyſenteriam et diarrhoeam conſtituitur, quoad autem tamen characteres

minime inter medicos convenit, quibus haec diſſerentia deſignari poteſt.

Diarrhoea eſt praecipuum ſymptomatum dyſenteriae eſſentialium. Dejectio alvi frequentior praeternaturalis vocatur diarrhoea. Sed non quaevis diarrhoea ſalutatur dyſenteria.

Creditum fuit, dyſenteriam per diarrhoeam cruentam definiri poſſe. Sed non quaevis diarrhoea cruenta dyſenteria appellari poteſt, quodſi alias voci poſteriori ſignificatum determinatum attribuere velis. Dantur quoque diarrhoeae verae, ubi excrementum non eſt cruentum, quaeque exinde *dyſenteriae* vocantur *albae*.

Status denique febrilis in definitionem adoptatus eſt, ſed hoc quoque accuratiorem requirit determinationem, quia in febribus diarrhoeae cruentae occurrere poſſunt, quibus, niſi confuſionem idearum introducere velis, rurſus nomen dyſenteriae tribui nequit.

Ea tantum diarrhoea nomen *dyſenteriae* meretur, quae diebus aeſtivis calidis aut brevi poſt eas epidemice graſſatur, et febri ſimul eſt ſtipata, a diarrhoea pendenti, et cum ea aut ſimul ceſſante, aut non ultra diarrhoeam permanente.

Cauſa hujus morbi eſt miaſma epidemicum ſingulare, quod in inteſtinis ſpeciem catarrhi quandam excitat, quae vires ſuas per alvi dejectiones frequentes

ac plerumque cruentas exſerit, et denique per urinam et ſudorem tollitur.

Hoc miaſma in plurimis conſtitutionibus epidemicis per excretionem ſuper cute puſtuloſam ſe prodit, quae, ſi illa ſubito retrocedit, mox dyſenteriae locum dat. Haud raro pariter obſervatur, rheumatiſmos, odontalgias e. ſ. p. praecedere, quae continuo evaneſcunt, quamprimum dyſenteria comparet.

Hic morbus quoque cum catarrhis in eo convenit, quod is ſemper fere ſit contagioſus, inprimis per excrementorum exhalationem. Et quidem haec vis contagioſa non eſt putredinis ſequela, ſed ea quoque in talibus dyſenteriis ſe exſerit, ubi adhuc nulla obſervatur putredo, quamvis ſane certum ſit, excrementa tanto promptius inficere, quanto ea magis ſunt reſoluta.

Eodem plane pacto miaſma ad cutem projectum communicari ſolet.

Auctores diſtinguere ſolent dyſenterias in tales, quae non ſunt febri ſtipatae, atque in tales, in quibus adeſt febris manifeſta. Quodſi dyſenteriae darentur tempore aeſtivo calido epidemice graſſantes, a veraque dyſenteria nulla alia re, quam febris abſentia, differentes, haec diſtinctio eſſet accurata, noſtraque ſuperius data definitio falſa, ſed nulla dyſenteria vera ſine omni motu febrili datur. Febris quidem ſaepe eſt inobſervabilis, et pulſus atque calor

ſic ſatis naturales, ſed motus criſeos, quae ſemper ſudore atque urina contingit, totusque morbi curſus naturam verae dyſenteriae febrilem oſtendunt.

Alias fructus horaei ſemper pro cauſa dyſenteriae habiti ſunt. Sed certum eſt, fructus horaeos maturos inſigni cum utilitate in dyſenteria adhiberi poſſe. Fructus horaei immaturi ſummum cauſa diſponens ſeu occaſionalis dyſenteriae eſſe poteſt, ſed ſine miaſmate epidemico peculiari numquam dyſenteria vera graſſari poteſt.

Quod tamen non ita dictum eſſe volo, quaſi hoc miaſma ſemper in aëre productum in corpus ex eo tranſiret, ſed potius eſt veriſimile, acrimoniae dyſenteriam parienti conſtitutionem epidemicam ſaepe anſam dare, ſed ſemper tamen prius in corpore ipſo naſci.

Ut in quovis catarrho major aut minor proclivitas ad inflammationem adeſt, idem etiam in dyſenteria locum habet. Sanguis ex inteſtinis tenuibus prodire videtur, quia in quavis dejectione alvi vellicatio in regione umbilicali praecedit, et ſanguis plerumque accurate cum muco eſt permixtus. Cauſa tamen deeſt ad credendum, ſanguinem e vaſis eroſis venire, ſed aut irritatione tantum educi, aut propterea extravaſari videtur, quia ſanguis per hepar libere tranſire nequit, atque adeo in arteriis ſtagnat. Haec poſterior opinio vero proxima eſſe videtur, quia bilis

ſemper laborat, neque tamen adeſt ratio, illam pro unica cauſa irritante habere.

Dyſenteriae optime ex indole febrium illas ſtipantium diſtinguuntur.

Dyſenteriae dantur, ubi febris eſt inobſervabilis, vires ſunt integrae, et ſigna ſaburrae bilioſae deſunt. Haec eſt dyſenteria benigniſſima, quae ſaepe regimine calido tolli poteſt. Integrae epidemiae raro aut numquam ſunt hujus conditionis, ſed ſingulatim occurrit proprietate aëris et corporis optabili.

Idem valet in ſpeciebus, ubi febris inflammatoria ſimplex per pulſum duriuſculum indicatur, vires ſunt illibatae, et ſigna bilis corruptae deſunt.

Frequentior eſt ſtatus, ubi proclivitas ad inflammationem et ſaburra colluviei bilioſae adſunt.

Conditione aëris corporisque admodum mala, regimine pravo et methodo medendi minus recta, omnes hae ſpecies dyſenteriarum in putridas degenerare poſſunt, ubi tum non tantum dejectiones alvi frequentiſſimae foetidae, ſed etiam ſymptomata nervoſa oriuntur, morbusque fit periculoſiſſimus.

Denique dantur dyſenteriae, quae ſtatim in initio ſuo charactere malignitatis gaudent, ubi neque redundantia bilis, neque conſtitutio inflammatoria, neque putredo animadvertitur, evacuationes facile nocent, et ſpasmi atque paralyſes naſcuntur lethales.

Quod ad prognoſin attinet, ſequentes circumſtantiae ſunt denotandae.

Bonum eſt, ſi dejectiones alvi ſunt rarae et copioſae.

Melius eſt, ſi tantum ſtricturae ſanguinis adſunt, quam ſi ſanguis cum excrementis accurate eſt permixtus.

In caſu poſteriori ſignum eſt, aut irritationem eſſe longe vehementiſſimam, aut proclivitatem ad putredinem adeſſe. Color excrementorum flavo-ruber eſt optimus.

Quo magis dolores poſt dejectiones mitigantur, eo eſt melius.

Quodſi natura ſtatim ab initio per vomitum ſpontaneum bilioſum ſibi ipſa opitulatur, et morbus methodo medendi recta imminuitur, bonum eſt.

Sed periculum eſt extimeſcendum, ſi vomitu nihil aut ſola bilis viridis ejicitur. Hic inflammatio, aut ſtatus nimis ſpaſticus adeſt.

Quo frequentiores et parciores ſunt alvi dejectiones, quo minus dolores poſt illas leniuntur, eo eſt pejus.

Ubi dejectiones alvi ſunt frequentes, et doloribus ſtipatae neque tamen cruentae ſed albae, adfluxus bilis in inteſtina deficit, et ſtatus phreniticus eſt extimeſcendus. Idem valet de dejectionibus alvi prorſus viridibus.

Quodſi excrementum cruentum eſt pallidum et decolor, gangraena metuenda eſt, inprimis ſi ſimul odor cadaveroſus adeſt.

Quodſi dolores ſubito ſine levamine ſymptomatum ceſſant, aut gangraena aut inteſtinorum paralyſis adeſt. In poſteriori caſu excrementa prorſus aquoſa eſſe ſolent, atque inſciis aegris excidunt.

Saepe ardor in abdomine et ſtranguria adſunt. Quodſi prius non ſit conſtans, et poſterius ex redundantia ſaburrae bilioſae eveniat, non tam facile adeſt periculum.

Generatim, ut in omnibus febribus, ita quoque hic ſymptomata nervoſa tum demum ſunt periculoſa, ſi omnia rite ſunt obſervata et tractata, nec cauſa ſymptomatum ulla manifeſta atque expugnabilis comparet.

Malum eſt, ſi emetica non verſus ſuperiora, ſed inferiora agunt, nec dejectiones poſt evacuantia imminuuntur.

Pervigilium delirium phreniticum minatur.

Generatim morbus per ſolam durationem diuturnam jam periculoſus fieri poteſt. Paralyſis inde lethalis et mors apoplectica conſequi, diarrhoea habitualis remanere, exulceratio inteſtinorum quoque naſci, atque in utroque caſu poſteriori tabes ſequi poteſt.

Quodſi diebus criticis urina comparet cocta, cutis et lingua tunc ſunt humidae, ſedes conſiſtentiores

atque aegri fiunt quieti, exitus ſperari poteſt optatus; tanto autem eſt pejus, ſi motus criticos non excipiat convaleſcentia.

Quodſi denique extremitates fiunt frigidae, ſingultus adeſt, facies labitur, atque exoneratio alvi inſciis contingit, mors eſt in propinquo.

Methodus medendi e diverſitate febrium tradita inſtituitur.

Quum cauſa dyſenteriae communiſſima ſit refrigerium, ei quoque regimine calido occurri, et proclivitas forte jam praeſens ſupprimi poteſt.

Ubi febris eſt leniſſima, nec proclivitas aut ad inflammationem aut ad putredinem adeſt, neque ſaburra redundat bilioſa, potus aciduli calidi, aut adhuc melius potus demulcentes atque epithemata externa emollientia, remediaque lenia diaphoretica ſufficiunt.

Ubi diſpoſitio adeſt inflammatoria, in initio ſtatim mittitur ſanguis, multum oxymellis cum tantillo nitri propinatur, et praeter remedia emollientia veſicatorium regioni abdominis, ubi dolor fixus eſſe incipit, imponitur.

In dyſenteriis bilioſis ratio primum habetur qualitatis humorum. Quodſi ea eſt inflammatoria, mittitur ſanguis, atque immediate poſtea exhibetur emeticum. Veſicatoria abdomini imponuntur, et reliquam evacuationem nitimur per pulpam tamarindo-

rum aut cremorem tartari ad aliquot uncias per diem perficere. Ubi nulla adeſt diatheſis inflammatoria, ſolummodo methodus emolliens atque evacuans locum habet.

Ubi putredo humorum ſine colluvie adeſt bilioſa, cum omnibus pharmacis evacuantibus cautio eſt ſervanda. Cortex chinae cum radice columbo, alumine, camphora et vino, poſterius interne atque externe adhibendo, praeſtantis hic ſunt utilitatis.

Sed plerumque ſimul ſordes bilioſae adſunt, et tum remedia evacuantia cum antiſepticis enumeratis ſunt connectenda.

In epidemiis malignis, ubi evacuatio mox debilitatem pernicioſam poſt ſe trahit, alexipharmaca proſunt, quibus tranſpiratio promovetur, et pars quaedam miaſmatis acris educitur.

Pro emetico aqua benedicta Rulandi, et pro laxante pulpa tamarindorum aut cremor tartari ſunt praeſtantiſſima. Ipecacuanha difficile effectum praeſtat ſufficientem, et rhabarbarum facile dolores auget.

Pro potu ordinario emulſiones e ſeminibus papaveris ſunt optimae, quia illae dejectiones alvi leniter retinent, et ſimul ſunt antiſpasmodicae. Ubi irritabilitas adeſt nimia, gummi arabicum aut radix ſalab, aut etiam, ubi relaxatio adeſt, lichen islandicus quoque addi poteſt.

Ubi magis proclivitas ad ſpaſmos adeſt, externe remedia emollientia atque opium adhibentur; ubi magis proclivitas ad inflammationes adeſt, veſicatoria, camphora et potus emollientes refrigerantesque exhibentur.

Quodſi febris eſt ſoluta, dejectiones alvi tantum ab irritatione pendent praeternaturali, nec ulla ratio ad evacuationem amplius adeſt, aut etiam, ſi dejectiones nimium frequentes periculum minantur, utiliter cortex ſimarubae, radix columbo, lichen islandicus, extractus ligni campechenſis et ſuccus papaveris adhibentur, ut etiam hoc in caſu enitendum eſt, ut tranſpiratio promoveatur. Mixtio ipecacuanhae, opii et camphorae hic magnam utilitatem praebet.

Ubi ſuppuratio contingit, ut in omnibus exulcerationibus internis agitur.

De Cholera.

Morbus epidemicus, qui ſubinde eodem plane tempore, aut brevi poſt tempus dyſenteriae elapſum, graſſatur, quique frequenti vomitu et dejectionibus alvi bilioſis eſt ſtipatus, *cholera* nuncupatur.

Ea a dyſenteria primo in eo diſtinguitur, quod ea vomitu eſt conjuncta, et quod egeſtum non cruentum, ſed ſemper fere bilioſum eſt, quod parum aut nihil motus febrilis in illa obſervetur, quod ea tamen

breviori tempore judicetur, et denique, quod ea generatim multo rarius quam dyſenteria graſſetur.

Morbus oritur, ubi multum bilis in veſicula fellea collectum eſt, et nunc per miaſma bilis facta eſt acris, ita ut ea exoneretur, et per irritationem, quam ea producit, vomitum et dejectiones alvi efficit bilioſas. Miaſma quoque per irritationem ſuam ſecretionem bilis auctam efficere poteſt.

Facillime hoc ex morbo mors aut ex viribus exhauſtis, aut ex gangraena conſequi poteſt.

Quamdiu impuritates egeruntur, nitimur evacuationes per potum frequentem faciliores reddere. Praeterea conditionis corporis ratio habetur. Quodſi inflammatio extimeſcitur, mittitur ſanguis, et ventriculo veſicatorium imponitur. Quamprimum per evacuationes nihil materiae inutilis ejicitur, potio Riverii opiumque propinantur, atque externe membra vino fricantur.

De Haemorrhagiis.

Haemorrhagia eſt effluxus ſanguinis praeternaturalis. Hic tantum de illis agimus, in quibus fluxus ſanguinis ſymptoma eſt princeps, et per ſe ſolus morbum efficit.

Haemorrhagiae oriuntur triplici modo:

1) Nonnumquam intervalla fibrarum in vaſorum tunicis dilatantur, ita ut ea ſanguinem transmittant. Haec cauſa audit *diapedeſis.*

2) Aut vaſa ſunt rupta, et tum vocatur *diaereſis.*

3) Aut vaſa a materia acri ſunt eroſa, et tum appellatur *diabroſis.*

Cauſae haemorrhagiarum proximae ſunt congeſtiones, irritationes, reſolutio humorum, et laxitas et laeſio vaſorum.

Cauſae remotae ſunt:

1) Plethora. Plethora ſola raro parit haemorrhagias, ſed tamen effectum reliquarum cauſarum auget. Quoque praecipue ad plethoram partialem eſt reſpiciendum. Haec oritur per omnia, quae circulationem ſanguinis interrumpunt, e. gr. anevriſmata arteriae aortae, et per omnia, quae congeſtiones ſanguinis in quacunque parte producere poſſunt.

2) Debilitas in vaſis ſubtilioribus, quae ſubinde plethorae, haud raro autem etiam circulationis ſanguinis impeditae eſt ſequela.

3) Reſolutio atque acrimonia ſanguinis, quibus non tantum partes ſolidae debilitantur, ſed etiam ſanguis aptus redditur, ad minima ſpatiola penetranda. In ſcorbuto hic caſus obtinet.

4) Laeſiones externae, quibus vaſa aut rupta, aut debilitata ſunt, ut ea impetui ſanguinis reſiſtere nequeant.

5) Staſes inflammatoriae, e. gr. rheumaticae, catarrhales.

6) Materiae acres. Sic ſaepe mictus cruentus a pharmacis acribus diureticis, atque haemoptyſis in phthiſi pulmonali e puris acrimonia oriuntur.

7) Suppreſſio haemorrhagiarum naturalium et conſuetarum.

8) Exaeſtuationes vehementes, et quaedam atmoſphaerae permutationes. Non raro obſervavi, quod varia ſubjecta uno eodemque tempore haemoptyſi ſunt arrepta.

9) Obſtructio quidem alvina non facile per ſe parit haemorrhagiam, ſed eam promovere atque augere poteſt.

10) Spaſmi, quibus circulatio impeditur, et ſanguis nimis forte in unum pellitur locum.

11) Colluvies in primis viis bilioſa, quae aut in ſanguinem penetrat, ibique ubi deponitur, adfluxum humorum, ſtaſin inflammatoriam, et quae ſunt ejusmodi producit, aut per conſenſum congeſtionibus anſam praebet.

12) Obſtructiones in abdominis viſceribus, quibus pariter congeſtionibus opportunitas datur.

In annis pubeſcentiae impetus ſanguinis ad caput eſt frequens, hincque hac in aetate haemorrhagia narium conſueta.

In aetate virili magis petit ſanguis pectus, hinc hac in aetate oritur haemoptyſis.

In aetate provectiori ſanguis in abdomine magis adunatur, hinc fluxus menſtrui nimii et mala haemorrhoidalia.

Haemorrhagiae nonnumquam ſunt ſalutares, ſi illae per ſolam diapedeſin contingunt, vires non exhauriunt, locum aliarum haemorrhagiarum compenſant, et magis e plethora, quam aliis cauſis oriuntur. Sed facillime etiam ſuppuratio, cachexia, hydropes, ſpaſmi et fabres tabidae conſequuntur.

Methodus medendi ſecundum cauſas inſtituitut.

Non ſolum, ſi plethora adeſt vera, ſed etiam, ſi ſupponere licet, vires non nimium paſſuras, pertundenda eſt vena, ad ulteriorem ſaltem impetum ſanguinis impediendum. Duplici modo illud eſt neceſſarium, ubi ſtaſes inflammatoriae cauſa haemorrhagiae ſunt, aut ſequelae veriſimiles ejusdem erunt.

In ſola vaſorum debilitate nutrientibus et roborantibus ſuccurrere elaborandum eſt. Sed hoc non ſubito, non per remedia efficacia fieri oportet, quoniam alias facile multum ſanguinis accumulatur, priusquam partes ſolidae robur ſuum deſideratum acquiſiviſſent. Cibi leniter nutrientes, abſtinentia ab omnibus, quae vires atterere poſſunt, et balnea frigida eum in finem ſufficiunt. Lex ita ſonat: Paulatim, atque ex fundamento roborare nititur. Quodſi in his circumſtantiis ſimul multae ſanguinis intemperies adſunt, bene nitrum in aqua quadam aromatica.

e. gr. aqua meliſſae aut menthae cum vino propinatur.

In nimia ſanguinis reſolutione methodus antiphlogiſtica in toto ſuo ambitu eſt adhibenda.

Materias acres conamur demulcentibus obtundere, et pro ratione circumſtantiarum evacuare.

Quodſi haemorrhagiae conſuetae ſuppreſſae cauſa ſunt, nitimur illas hirudinibus, ſcarificationibus, pediluviis epithematibusque emollientibus iterum reſtituere, aut ſaltem ſanguinem illuc deducere.

Ubi exaeſtuatio adeſt, paulatim temperamus, et poſtremo aquam frigidam ad bibendum exhibemus; eam etiam partibus applicari jubemus.

Obſtructionis alvinae in quavis haemorrhagia primum eſt ratio habenda, atque ea per enemata emollientia ſemper eſt aperta ſervanda.

Spaſmos contendimus per remedia externa emollientia atque antiſpaſmodica, perque uſum opii internum tollere.

Saburraillioſa eſt attenuanda, mobilis reddenda, et pro circumſtantiarum ratione evacuanda.

Obſtructiones viſcerum abdominis per reſolventia efficacia ſunt tollendae.

Stomacace.

Sic *haemorrhagia ex ore*, inprimis *ex gingiva* vocatur. Ea ſemper conſtitutione ſcorbutica oritur, et

per methodum medendi duntaxat antiſcorbuticam, in ſequentibus pertractandam, tolli poteſt.

Haemorrhagia narium.

Subjecta inprimis juvenilia *haemorrhagiae narium* ſunt obnoxia. Ea plerumque ab exaeſtuatione in plethora oritur, et propterea raro eſt periculoſa. Quodſi autem ea nimium frequenter redeat atque in adultis occurrit, ſignum eſt diſpoſitionis aut ad phthiſin, aut ad obſtructiones viſcerum abdominis, aut ad magna circulationis ſanguinis impedimenta per vitia organica.

Ubi haemorrhagia narium eſt immodica, conamur primum per temperantia acida interne atque externe exhibita circulationi modum imponere. Ubi tenſiones in abdomine adſunt, ſolvitur alvus per laxantia lenia, ordinantur epithemata emollientia abdomini imponenda, et pediluvia adhibenda. Ubi ſpaſmus animadvertitur manifeſtus, praebetur opium. Nonnumquam epithemata frigida partibus genitalibus impoſita magnam praeſtant utilitatem. Saepe autem ſanguinis effluxus non prius remittit, quam uſque lipothymia vehemens eſt ſecuta.

Haemoptyſis.

Quodſi cum tuſſi ſanguis ejicitur, appellatur *haemoptyſis;* quoniam autem ad haemoptyſin requiritur, ut ſanguis egeſtus e pulmonibus veniat, tunc nomen germanicum Bluthuſten (tuſſis cruenta) eſt melius.

Qui proclivitatem ad phthiſin habent, facile etiam haemoptyſi ſunt obnoxii, atque in quibusdam locis ea quoque endemica eſſe videtur.

Cauſae haemoptyſeos communiſſimae ſunt:

1) Laeſio externa, ictu aut preſſione facta, aut vehemens pulmonum exaeſtuatio per clamorem, riſum, cantum, ſermonem, ac luſum inſtrumentorum muſicorum. In his caſibus haemoptyſis ſine febre oritur, et niſi alias ulla proclivitas ad inflammationem adſit, morbus etiam ſine febre tranſit.

2) Materia acris in pulmonibus contenta, e. g. exhalationes ſalium acrium reſpiratione hauſtae. In phthiſi quoque, ubi pus eſt acre, eroſiones ſaepe in vaſis pulmonum fiunt.

3) Staſes inflammatoriae, quae aut e materia catarrhali et rheumatica poſt refrigeria, aut etiam per ſe prorſus per ſolam naturae proclivitatem oriuntur. Hoc in caſu febricula praecedit, quam anxietates, palpitatio cordis, tenſio in pectore, et reſpiratio difficilis excipiunt. Statim deinde aegrotus ſaporem calidum ſubdulcem in ore ſentit, tuſſicula ſupervenit, et cum ea ſanguis. Febris ſemper fere eſt indolis inflammatoriae, atque haud raro etiam ſimul bilioſae, atque etiam poſt haemoptyſin per aliquod tempus perdurat, ubi ea tum ſudore atque urina ſolvitur.

4) Dantur haemoptyſes, quae ſine multa tuſſi, haemorrhagiis naturalibus et conſuetis ſuppreſſis oriuntur, nec ulla ſtipantur febri.

Haec ſpecies ultima eſt omnium maxime innoxia. Nec prima ſpecies eſt ſemper periculoſa. Tertia progreſſum phthiſeos promovet.

Quo febris eſt vehementior, eo facilius ſuppuratio oritur. Quodſi autem haemoptyſi neque violentiae externae, neque haemorrhagiae conſuetae ſuppreſſae anſam praebuere, tumque ſine omni comparet febri, obſtructiones pertinaces in viſceribus ſunt pertimeſcendae.

Quodſi tuſſis continuo poſt ejectionem ſanguinis fit ſicca, malum eſt. Quodſi exſcreatio ſtatim poſt haemoptyſin eſt flavo-viridis, ſignum eſt, jam antea ibi adfuiſſe vomicam. Quo tuſſis poſt exſcreationem ſanguinis diutius perdurat, eo magis ortus vomicae eſt extimeſcendus.

Quodſi poſt haemoptyſin in aliis locis comparent dolores rheumatici, plerumque eſt ea metaſtaſis ſalutaris, cui per fonticulum exitus eſt procurandus.

Durante haemoptyſi aegrum oportet manere quietum, non verba facere, atque elevate ſedere. Quodſi aeger excalefactus eſt, aliquot drachmae nitri in aliquot unciis ſpiritus vini ſunt ſolvendae, atque ex eo aegro quovis quadrante horae dimidio cochleare unum adſumendum. Quamprimum is eſt quietus, ju-

betur multum aquae frigidae bibere. Tum inquiritur, num miſſio ſanguinis ſit neceſſaria. Quodſi exſcreatio ſanguinis eſt copioſa, atque aegrotus ſanguine abundat, viribusque non eſt defectus, vena in pede aperitur. Quodſi diſpoſitio adeſt inflammatoria, nec haemoptyſis ex cauſa externa orta, duplex adeſt ratio ad ſanguinem mittendum, quod in brachio eſt ſuſcipiendum. Ratio ſimul habetur alvi ducendae.

Quodſi ſanguis fuit inflammatorius, extemplo pectori aut inter ſcapulas veſicatorium imponitur, et temperantia cum camphora miſcentur.

Quodſi e contrario ſtatus magis eſt ſpaſticus, quam inflammatorius, cautio cum miſſione ſanguinis eſt ſervanda, epithemata emollientia atque antiſpaſmodica abdomini ſunt imponenda et temperantia cum opio ſunt remiſcenda. In hoc caſu pariter ab omnibus pharmacis irritantibus eſt abſtinendum, et praeſertim in laxando cauti eſſe debemus. Mixtura refrigerans hic eſt aptiſſima, ut etiam alcali cum acido citri ſaturatum.

Anquiritur porro, num adſit acrimonia bilioſa, congeſtionibus verſus pectus producendis opportuna. Hoc in caſu ſalia media exhibentur, et ſi ſordes turgeſcant, tuto emeticum propinare licet, dummodo ne hoc brevi ante exacerbationem fiat, quia tum ſemper adhuc haemoptyſis nova extimeſcenda eſt.

Quodſi haemorrhoides emanentes et conſuetae adſunt, hirudines inteſtino recto imponendi ordinantur, atque aeger jubetur ſuper vapores emollientes ſedere, tamen ita, ne is ab iis excaleſcat. Ubi menſes deſunt, hi quidem ſane ſunt promovendi, ſed tamen cum remediis pellentibus cautio eſt ſervanda, haec enim facile calori et novae haemoptyſi anſam praebere poſſunt.

Quodſi igitur nullum amplius prodeat ſputum cruentum, ſed tuſſis tamen permaneat, ſuppuratio eſt extimeſcenda. Ad hanc impediendam unicum tutum remedium eſt, vulnera ex veſicatoriis in fonticulos mutare, omnem cibum animalem evitare, atque aquam ſelteranam cum lacte et melle bibere. Omnia balſamica, atque inprimis cortex chinae hic plerumque ſunt noxia, et novis ſtaſibus inflammatoriis occaſionem praebere atque etiam proclivitatem ad ſuppurationem augere poſſunt, uti ea, ubi jam pus adeſt, facile tranſitum ejusdem in ſanguinem promovent.

In violentia externa facile loco haemoptyſeos exoneratio ſanguinis in pectoris cavitatem evenit. Hic ſtatus cognoſcitur e reſpiratione difficili, ex impotentia dorſo decumbendi, ex ſenſu gravitatis ad diaphragma, atque ex proclivitate ad lipothymias, inprimis autem, ſi poſt aliquot dies ad angulum coſtarum ſpuriarum verſus muſculum quadratum lumbo-

rum ecchymoſis coloris clare violacei animadvertatur. Ubi hoc ſignum ultimum deeſt, de exoneratione nondum poſſumus eſſe certi, quia experientia docuit, omnia alia ſymptomata e ſola nervorum ſeu tendinum laeſione oriri poſſe. Probe etiam haec ecchymoſis ab ea eſt diſtinguenda, quae in circumferentia partis ab externa violentia laeſae obſervatur, quae ſemper mox poſt vulnerationem naſcitur, coloris eſt obſcuri, et plerumque punctis notata eſt rubris.

Ad ſanguinem cum ſecuritate evacuandum, vulnus continuo eſt ſanandum, niſi illud infimam pectoris partem occupet, atque hic vulnus e regione eſt faciendum.

Vomitus cruentus.

Hic ſanguis minime cum tuſſi, ſed cum vomitu prodit, eſt etiam ſubniger, et vulgo cibo permixtus. Poſt vomitum facile oriuntur lipothymiae, et diebus aliquot praegreſſis aegroti preſſionem in ſcrobiculo cordis ſentiunt.

Cauſa plerumque eſt obſtructio in viſceribus abdominis, atque emanſio haemorrhagiarum conſuetarum; venena quoque acria vomitui cruento occaſionem praebere poſſunt.

Nonnumquam vomitus cruentus, ut haemoptyſis, febre eſt ſtipatus, ſed ſaepe etiam et plerumque eſt chronicus. Ceterum eſt rarior, et per ſe non tam per-

nicioſus eſt, quam haemoptyſis. Quamdiu extremitates ſunt frigidae, novus ſemper vomitus eſt extimeſcendus, qui aut per enervationem, aut per ſuppurationem poſt ſe trahendam nocere poteſt.

Durante vomitu ipſo extremitates vino aut aceto ſunt lavandae atque fricandae. Ad miſſionem ſanguinis non tam facile eſt ratio, niſi adſit conſtitutio ſingulariter plethorica, ubi tum etiam haemorrhagiarum emanentium ratio eſt habenda, atque aut in pede vena eſt ſecanda, aut in inteſtino recto hirudo eſt imponendus. Interne ſedulo omnia ea ſunt evitanda, quae aegroto nauſeam creant, ne hoc ad vomitum excitetur. Nitimur potius ſolum alvum per enemata ſolvere. Quodſi diſpoſitio adeſt inflammatoria, ventriculo veſicatorium imponitur, atque interne acida praebentur. Quodſi vero ſtatus magis eſt ſpaſmodicus, externe tantum emollientia imponuntur, atque interne tantillum opii, cum acido citri aut aceti exhibetur.

De mictu cruento infra in vitiis viarum urinariarum, et de haemorrhagia uteri in ſectione ſequenti agetur.

De Fluxu menſtruo vitioſo.

Quodſi fluxus menſtruus aut prorſus deficit, aut nimius atque inordinatus eſt, varii inde oriuntur morbi. In utroque caſu raro etiam conceptio locum habet.

Defectus fluxus menſtrui.

Fluxus menſtrui aut plane prodire nolunt, aut, ſi illi jam adfuerunt, ſupprimi poſſunt.

In utroque caſu oriuntur languor in functionibus, dolores capitis, anxietates et palpitatio cordis, ſpaſmi atque irritabilitas praeternaturalis, concoctio vitioſa, obſtructio inteſtinorum, cachexia atque hydrops, haemorrhagiae aliae, exulceratio et phthiſes.

Cauſae *emanſionis* fluxus menſtrui nondum contingentis ſunt plerumque debilitas et defectus irritabilitatis, unde etiam facile ea ſpecies cachexiae oritur, quae chloroſis vocatur. Caſus quoque dantur ubi vagina per hymenem fuit clauſa, atque eo aperto menſes fluere inceperunt.

Cauſae *fluxus menſtrui* jam praeſentis *ſuppreſſi* ſunt, refrigerium, terror, ira ac triſtitia, mucus immodicus atque obſtructio viſcerum abdominis. Quodſi ſuppreſſio ſubito et durante haemorrhagia contingit, ſpaſmi aut exulcerationes uteri facile conſequi poſſunt. *Fluor* ſic dictus *albus* quoque facile naſcitur.

Haec ſuppreſſio praeternaturalis diligentiſſime a ceſſatione fluxus menſtrui in graviditate contingente eſt diſtinguenda. Hoc in caſu mulieres bene valent, nec ullum ſymptomatum jam jam memoratorum oritur.

Nec igitur prius efficiendo et reſtituendo fluxui menſtruo opera danda eſt, quam inde moleſtiae oriuntur;

tur, a quibus verendum ſit, ne ſequelas noxias poſt ſe trahant. In ſuppreſſione e contrario bene facimus, ſequelis earum tantum, quantum fieri poteſt, praevenire.

Ceterum facilius eſt, fluxum menſtruum, qui jam adfuit, reſtituere, quam eum, qui nondum comparuit, producere. Multum etiam in cauſis ſitum eſt, utrum illae ſint clare diſtinguendae et vincibiles, nec ne. Quodſi jam obſtructiones in viſceribus oriuntur, atque imprimis pulmones invaduntur, ſtatus plerumque eſt inſanabilis et periculoſus.

In methodo medendi omnia in eo vertuntur, ut cauſae, adfluxui ſanguinis in uterum intercedentes, tollantur, et ſecundo ut hic adfluxus procuretur, atque promoveatur. Ubi aut fluxus plane adhuc non contigit, aut ſaltem lente et paulatim ſuppreſſus eſt, plerumque acrimonia quaedam in corpore ſingularis, ſpaſmum vaſorum minimorum producens, atque ex ipſo omnibus ſequelis ſuperius recenſitis anſam praebens, adeſt. Momentum proinde rei in eo vertitur, primo ut primae viae purgentur, quod per uſum ſalis Glauberi continuatum ſingulis diebus ad unciam dimidiam et per rhabarbarina optime efficitur. V. *Pulvis ecphracticus.* Quo facto, niſi adhuc concoctio ſit reſtituta, aut acrimonia in ſanguine peculiaris, aut obſtructiones viſcerum adſunt.

In priori caſu antiſcorbutica et diaphoretica lenia adhibentur, ubi ſimul balneis calidis cum fructu uti licet. In obſtructionibus ſulphur antimonii, doſin quotidie augendo, ordinatur. V. *Tinctura antimonii Jacobi.* Ubi nec hoc ſufficit, mercurialia in auxilium vocantur.

His vitiis correctis enitimur partes relaxatas rurſus roborare, quod optime contingit prr martem. V. *Tinctura martis adſtringens.* Quamdiu adhuc obſtructiones ſunt extimeſcendae, flores ſulpuris ammoniacos martiales adhibere licet. V. *Tinctura martis aperitiva.* Balnea frigida plurimum hic efficere poſſunt. Ubique ratio ſpaſmorum eſt habenda, atque ubi illi adſunt, remedia cum opio ſunt remiſcenda.

Secunda pars curationis, nimirum impetum ſanguinis verſus interiora ducere aut promovere, per methodum ſuperiorem fit ſaepe minus neceſſaria. Quodſi tamen fluxus evenire nollet, emanſioque illius diuturnior periculoſior fieri poſſet, arte omnino illi ſuccurrendum eſt.

Haec autem remedia tum tantum adhibentur, quum fluxus menſtruus comparere deberet, quod aut computare, aut ex praeſagiis ſaltem ſuſpicari licet. Haec *praeſagia* ſunt, languor in extremitatibus, turgeſcentia abdominis et partium genitalium, dolores colici et dorſales.

Primum cum lenioribus initium fit, uti per exercitium corporis, per ambulationem, et ſaltationem lenem minime exaeſtuantem, pediluvia, epithemata et fomentationes, quae poſteriores e ſolutione ſcoriarum reguli antimonii fieri poſſunt.

Quodſi per hoc nihil efficitur, in principio periodi ſequentis pilulae balſamicae exhiberi poſſunt, tamen ita tantum, ut illae per diem non ultra duas aut tres ſedes faciant.

Aër fixus inſigni gaudet virtute haemorrhagias pellendi. Quodſi proinde e circumſtantiis colligi poteſt, non facile haemoptyſin ſecuturam eſſe, is etiam in auxilium adhiberi poteſt, ita ut is tam externe ut fomentum, quam interne exhibeatur. Poſteriori ſcopo cremor tartari terrae abſorbenti admixtus, aut aliquantum ſalis lixivioſi, et continuo poſt illud acidum vitrioli dilutum praeberi poteſt. Ad operationem verſus inferiora moderandam, alvus per pilulas aloëticas aperta eſt ſervanda. V. *Aër fixus* et *pilulae balſamicae.* Reliqua pellentia, uti ſabina, aloe atque heleborus niger, ſi illa per ſe ſola exhibeantur, cum cautione ſunt praebenda.

Ubi periculum haemoptyſeos minatur, hirudines ad genitalia applicari poſſunt, et ſcarificationes ſiccae ad latus crurum internum ſunt ordinandae.

Denique etiam electricitas ſaepiſſime eximii in reſtitutione fluxus menſtrui ſuppreſſi fuit uſus.

Fluxus ſanguinis praeternaturalis e pudendi muliebribus.

Huc refero :

1) Quum menſes nimium mature comparent, debilitatemque pariunt. Dantur e. g. caſus, ubi illi jam ante annos octo adſunt, quod ſub noſtro climate eſt praeternaturale.

2) Quum in quovis fluxu periodico nimium ſanguinis effluit.

3) Quum fluxus nimis ſaepe, e. g. decimo quarto die recurrit.

4) Quum menſes ſupra aetatem debitam perdurant, et debilitatem gignunt.

5) Quamvis haemorrhagiam, quae extra fluxum menſtruum ab eoque independenter occurrit.

6) Denique haemorrhagiam lentam continuam, quae nonnumquam poſt abortum aut partum remanet, aut ex aliis cauſis naſcitur.

Cauſae harum haemorrhagiarum praeter univerſales ſunt, irritatio partium genitalium ſingularis per frictionem, ſaltationem, concubitumque nimis frequentem; incautus medicamentorum pellentium uſus, partusque creber, ubi puerperae non ipſae lactant, nec impetus ſanguinis verſus uterum per lactationem ſatis mature eſt ſublatus.

Haemorrhagia larga, quae in valetudine ſecunda, independenterque a fluxu menſtruo comparet, cauſam plerumque in polypis uteri agnoſcit. Haemorrhagia lenta utplurimum ulceris uteri carcinomatoſi eſt ſymptoma.

In utero ſcirrhoſo omnes cauſae ſpaſmum excitantes pariter haemorrhagias ſubitas atque largas parere poſſunt.

Ubi fluxus menſtrui praemature imminent, plerumque proclivitas ad pthiſin adeſt. Ubi illi ultra tempus praeſcriptum perdurant, facile naſcitur hydrops. Si fluxus menſtruus nimis creber ſimul eſt inordinatus, pejoris eſt ſequelae, quam ſi is ſimul tempus ſuum ſtatum obſervat; in priori caſu facile exulceratio uteri oritur. Haemorrhagiae a fluxu menſtruo independentes ſemper ſunt peſſimae, et plerumque vitia uteri topica ſupponunt.

Methodus medendi in eſſentialibus ab univerſali nihil differt. Ubi fluxus menſtruus tantum nimium frequens adeſt, non eſt haemorrhagia prorſus ſupprimenda, ſed tantum moderanda.

Ubi haemorrhagia nimis larga eſt, ordinantur epithemata ex aqua frigida abdomini imponenda, ſimilesque in vaginam injectiones. Saepe etiam ſcarificationes ſiccae mammis applicatae ad congeſtiones verſus partes inferiores impediendas proſunt. Nonnumquam cum proclivitate ad haemorrhagias ex utero

adeſt ſiccitas cutis, tranſpiratio imminuta, ubi balnea calida utilia eſſe poſſunt.

Lex jam in ſuperioribus praeſcripta, non nimis mature et cito, ſed ſenſim eſſe roborandum, hic imprimis locum habet, quia vaſa pudendorum magni roboris ſunt indiga, ut minimis etiam congeſtionibus reſiſtant.

Quodſi polypus uteri adeſt, deligatione tantum illi mederi licet.

De gravaminibus haemorrhoidalibus.

Congeſtiones ſanguinis aut alterius cujuscunque humoris verſus inteſtinum rectum appellantur *haemorrhoides.* Dividuntur illae in *coecas* et *fluentes.*

Fluentes ſunt aut *haemorrhoides ſanguineae*, aut *mucoſae.*

Coecae ſunt vel inflammatoriae, nec ne. In poſteriori caſu illae *varices* vocantur.

Cauſa omnium haemorrhoidum congeſtio ſanguinis in ſyſtemate venae portarum eſſe videtur, quod e ſequelis colligi poſſe videtur. Praeterea acrimonia plerumque rheumatica in corpore adeſt, quae veriſimiliter ſuas partes ad haemorrhoides producendas confert. Haec congeſtio ſanguinis in abdomine ſalutatur *plethora abdominalis.* Cauſae remotae earundem ſunt praecipue:

1) Debilitas ſyſtematis venae portarum.

2) Sanguis viſcidus atque acris.

3) Obſtructiones vaſorum ejusdem.

In methodo medendi igitur praecipue ad has cauſas remotas eſt reſpiciendum, et venaeſectio atque hirudines ibi tantum ſunt applicandae, ubi congeſtio per ejusdem durationem noxia fieri poteſt.

Haemorrhoides ſanguineae fluentes.

Fluxus haemorrhoidalis ſanguineus omnium gravaminum haemorrhoidalium optimum eſſe videtur; numquam tamen is cum fluxu menſtruo eſt comparandus, etiamſi ille ſaepe, ut hic, ſit periodicus. Symptoma ſemper eſt praeternaturale, et ſanitatis vitioſae ſignum, imprimis, ſi is mature incipiat.

A dyſenteria et fluxu hepatico in eo diſcernitur, quod ſanguis non ſit cum excrementis permixtus, ſed ſemper poſt faeces, easque utplurimum duras prodeat.

Cauſa proxima non eſt ſola plethora, quia primo ſaepe homines ea tentantur, qui minime ſunt plethorici, et ſecundo miſſio ſanguinis ſaepe mala non tollit, quae poſt fluxum comparentem ſiſtuntur.

Saepe diſpoſitio quaedam naturalis adeſſe videtur, quo in caſu fluxus facile redit, atque eo minus eſt ſupprimendus, quo magis ſanitas ab eo pendere videatur.

Saepe autem etiam tantum oritur poſt exaeſtuationes, obſtructionem alvi, excrementaque duriſſima, errores diaeteticos, purgantia acria, atque in mulieribus in graviditate et poſt fluxum menſtruum emanentem et ſuppreſſum. Atque hoc eo facilius, quodſi jam antea tumores coeci adfuerunt.

Proclivitas ad fluxus haemorrhoidales ſingularis ex eo cognoſcitur, ſi fluxus ſine omni cauſa manifeſta ſe ſtiterit, ſi anxietates, laſſitudo, cephalalgia et vertigo, ſpaſmi ventriculi, dolores in inteſtinis atque in regione oſſis ſacri, et calor atque pruritus circa nates praeceſſerint, et nunc per fluxum haec ſymptomata fuerint ſublata.

Hoc in caſu fluxus praeſens non eſt ſupprimendus, quia per hoc congeſtionibus periculoſis in alias partes occaſio praeberi poſſet. Niſi is forte nimius eſſet, enervaretque, ubi vero per remedia refrigerantia interna atque externa in auxilium veniendum.

Quodſi cognitum eſt, ſymptomata proxime enumerata e proclivitate ad fluxum haemorrhoidalem oriri, ſimulque congeſtiones verſus pectus eſſe pertimeſcendas, enitimur fluxum per pediluvia calida ac fomentationes promovere. Cum remediis pellentibus major hic, quam in fluxu menſtruo, cautio eſt ſervanda, et potius per hirudines inteſtino recto impoſitos, aut miſſionem ſanguinis in pede ſuſceptam ſanguis eſt deducendus, congeſtionesque per hoc tollendae.

Dantur interim caſus, in quibus e fluxione haemorrhoidum utilitas manifeſta ſperanda eſt, uti hoc e. gr. in tympanitide haud raro obtinet. Et hic enemata ex aëre fixo praeſtantiſſimi ſunt uſus. V. *Aër fixus.*

Quodſi vero fluxus e cauſis occaſionalibus cognitis oriatur, contendimus huic per remedia refrigerantia, evacuationem primarum viarum, ſolutionem alvi, atque per reſolventia et roborantia pro re nata occurrere. V. *Pulvis ecphracticus*, atque *Elixirium reſolvens.*

Haemorrhoides mucoſae fluentes.

Mucus ex inteſtino recto effluens nonnumquam aliqua ex parte eſt criticus, nec tunc ſimpliciter eſt impediendus. Quod ex eo cognoſcitur, ſi aegri, quibus talis effluxus eſt conſuetus, emanente illo, congeſtionibus humorum ſeroſorum verſus partes ſuperiores tentantur. Contendimus hic acrimoniam ſingularem per remedia ſanguinem purificantia atque exercitationem tollere, quod vero non ſemper ſuccedit.

Nonnumquam fluxus talis mucoſus e ſola inteſtini recti debilitate naſcitur, atque hic clyſteres ex aqua frigida eximii ſunt uſus.

Haemorrhoides urethrae.

Hae differunt a mictione cruenta per ſimplicem et cum urina non permixtum ſanguinis effluxum, praecipue autem per earundem ortum e congeſtionibus

haemorrhoidalibus, qua de cauſa illae quoque pro anomaliis haemorrhoidum exiſtimantur. Hic per hirudines inteſtino recto applicatos, per remedia attenuantia et leniter diuretica, et generatim per congeſtiones haemorrhoidales tollendas juvamus.

Haemorrhoides coecae.

Haemorrhoides coecae nonnumquam cum fluentibus ſunt conjunctae, easdemque agnoſcunt cauſas, niſi quod plerumque in coecis plures adſint cauſae obſtructionum viſcerum abdominis pertimeſcendarum. Nonnumquam illae interea ſolummodo prolapſus ani et preſſionis mechanicae ſunt ſequela.

Varices aut e ſtaſi ſanguinis in venis, aut ex humoribus in telam celluloſam extravaſatis oriri videntur. Preſſioni cedunt, nec dolent. Ubi proclivitas ad fluxum haemorrhoidalem adeſt, ſemper fere per hunc ſolvuntur, qui proinde promovendus eſt. Si vero non hic caſus obtineat, illique nimium diu maneant, verendum eſt, ne denique inflammentur; atque hoc in caſu enitimur, eas per aquam frigidam, aut ſi hoc minime ſufficiat, illique anſam haemorrhagiis praebeant, per cultrum tollere.

Tumores inflammati tractantur ut quaevis alia inflammatio. Si vero reſolutio non ſtatim contingat, mature ſunt aperiendi, quoniam alias humores ob-

ſtructi facile acres redduntur, fiſtulisque dant occaſionem.

In mulieribus haud raro tumores labiorum vulvae occurrunt, qui apertae anomaliae haemorrhoidum et fluxuum menſtruorum ſunt, atque utplurimum in ſuppurationem tranſeunt, quae ſtatim in initio eſt promovenda.

De Vermibus.

De illis tantum vermibus hic ſermo eſt, qui in corpore humano ultro generantur, atque ubi animal neque antea extra corpus vixit, neque ovum ejusdem immediate in corpus eſt depoſitum.

Propterea duas poſteriores conditiones adjicio, quia in malis apertis facile naſcuntur vermes, ubi inſecta accedere atque ova ſua deponere poſſunt, et quia ſecundo dantur caſus, ubi vermes viventes ſe in et ſub cutem corporis perforant, ibique nidificant, cujus generis vena medinenſis eſſe videtur. Omnes hae ſpecies curationem tantum requirunt externam, neque adeo huc pertinent. Proinde ſufficeret, ſi ego vermes, de quibus hic acturus ſum, ita tantum diſtinguerem, quod illi in corpore humano ſponte generentur, ſi extra omne dubium poſitum eſſet, ovula eorum non extrinſecus inferri.

Vulgo creditur, ova in corpore habitantium vermium tantum per cibum et potum extrinſecus inferri, et quidem e rationibus ſequentibus:

1) Theoriae conſuetae contradicit, ſi concederemus, haec animalia in corpore humano absque omni rudimento praeformato generari poſſe. Quumque difficulter demonſtrando ſtabiliretur, haec rudimenta connata eſſe, nihil remanet, quam, illa extrinſecus in corpus inferri, adſeverare.

2) Quod adhuc ex eo fit veriſimilius, quod vermes harum ſpecierum abunde frequentiſſime in piſcibus reperiantur, quodque in illis locis, ubi cibus praecipuus ex piſcibus conſtat, atque ad potum aqua ſtagnans adhibetur, homines etiam inprimis frequenter his vermibus ſint obnoxii.

3) Exempla denique omnium in corpore inventorum vermium etiam extra illud viva deprehendi, dicuntur.

Ad haec autem ſequentia reponi poſſe videntur:

1) Nondum omnino extra dubitationem collocatum eſt, quodvis corpus animale primitus e rudimentis praeformatis organicis exiſtere debere. Omnia potius experimenta cum eo explicandi modo conſentire videntur, in quo organiſatio tantum pro ſequela connexionis elementorum chemicorum habetur, ita ut rudimenta quidem

adſint, quae vero tamen nulla organiſatione, ſed tantum mixtura ſic ſingulari gaudent, ut illae per actum generationis in corpora organica ſe formari patiantur. Theoria proinde rudimentorum praeformatorum debile eſt fundamentum, ad ortum vermium in corpore humano ipſo negandum. Ac nonne certae corporis animalis partes ſpeciem organiſationis quandam habere poſſunt, quae in valetudine ſecunda non obſervatur, diſpoſitione autem ſingulari in vermem evolvatur.

2) Quod in locis, ubi homines piſcibus atque aqua impura nutriuntur, plures vermes in corpore humano occurrant, quam in aliis, aeque tam commode hoc pacto explicari poteſt, quod hic digeſtio ſit debilitata, facileque ſordes producantur mucoſae, et proinde formationi atque evolutioni vermium faveatur.

3) Et denique experimenta evicerunt, vermes in corporibus animalibus habitantes, ab illis, qui extra illa inveniuntur, eſſentialiter et quoad organiſationem differre. Quum proinde nulla adſit ratio, explicationi vulgari praecipue litans, eſt omnino naturae quam maxime conforme, ſuſpicari, rudimenta etiam pro vermibus in corporibus animalibus aut jam adeſſe, aut ſaltem in illis abſque omni occaſione externa organica

progenerari. Multae etiam adhuc aliae adſunt rationes, opinioni vulgari contradicentes, e quibus unam mihi duntaxat liceat adferre, ſcilicet, vix eſſe credibile, haec extrinſecus in corpus delata ova abſque omni noxa concoqui, ſanguinique adſimilari poſſe, quod tamen fieri oporteret, quum experimenta evincant, multos vermes extra canalem inteſtinorum, e. gr. in hepate, in cerebro morari, atque in infantibus jam recens natis, quin in abortibus ipſis habitare. Sequentes ſpecies ſunt frequentiſſimae.

Aſcarides et Trichurides.

Aſcarides plerumque acaris ſimiles ſunt, attamen quidam eorum tam longi ſunt, ut cum lumbricis confundi poſſint. In inteſtinis tantum craſſis morantur, ubi illi irritationem moliminaque ad dejectionem alvi producunt.

Praeſentia earum ex pruritu naſi, ſymptomatibusque ſpaſmodicis, omniumque facillime ex excrementis ipſis agnoſcitur.

Laxans mercuriale, atque enemata ex oleo, aëre fixo, ac aqua frigida eos pellere poſſunt. Ubi illi in copia adſunt, ſymptomatibusque occaſionem praebent, primum primae viae ſunt purgandae, denique roborantia adhibenda.

Huc etiam trichurides, quae longitudine aliquot digitorum corporeque lato gaudent, quod in caudam finitur filiformem, qua de cauſa illae quoque id temporis *tricocephali* ſalutantur. Praecipue in inteſtino coeco morantur, quareque laxantia jam fortiora requirunt.

Lumbrici.

Lumbrici inteſtinales a lumbricis terreſtribus in eo diſtinguuntur, quod hi annulum papillis gaudentem verſus extremitatem capitis habeant, qui illis deeſt, et quod os lumbricorum humanorum e diverſis ſiphunculis ſuctoriis conſtet, lumbricus e contrario terreſtris una duntaxat gaudeat apertura. Lumbricus praeterea inteſtinalis per ovula propagatur, terreſtris vero natos ſuos vivos in lucem protrudit. Ceterum illi ſunt polyporum ſpecies, qui cum parte, cui caput adhaeret, vitam ſuam, etiam diſſecti continuare poſſunt.

Infantes inprimis his vermibus ſunt obnoxii, in adultis tamen etiam facile ſub circumſtantiis ſuperius indigitatis inveniuntur.

Signa lumbricorum ſunt appetitus praeter naturam vehemens, inprimis ciborum ſolidorum, farinaceorum et dulcium, quibus tamen corpus ſufficienter haud alitur. Dolores inteſtinorum frequentiores. Ventriculo vacuo facile ſuccus aqueus in os adſcendit, aegroti male ſe habent, nec tamen vomitus conſe-

quitur. Dejectio alvina eſt mucoſa, non ſatis concocta, et diu durat. Facies eſt pallida, et circa oculos quoddam lividi et tumidi adeſt. Poſt paſtum illi praeter naturam rubri fiunt. Plerumque tumor oedomatoſus ambarum alarum naſi, labii ſuperioris et partium faciei illi confinium adeſt. Exſpiratio foetida absque ſignis ſordium primarum viarum. Pruritus narium. Oculi lacrymantes et rigidi, ubi facile praeterea pupillae dilatatio adeſt. Somnus inquietus, et motus oris pecularis.

Ubi ſaburra muci multa adeſt, venter etiam fit turgidus. Urina utplurimum eſt turbulenta atque impura. Pulſus ſubinde eſt intermittens. Et talis pulſus, dilatatione pupillae ſimul praeſente, ſic ſatis certum lumbricorum ſignum exhibet. Quoniam vermes concoctionem turbant, ſanguis per hoc fit acris et reſolvitur; hinc ſudores nocturni vehementes adſunt. Poſtremo febres ordinariae remittentes indolis putridae oriuntur. Irritatione ſua varios quoque morbos convulſivos producere poſſunt. Ac denique curatione neglecta facile febres hecticae et phthiſes conſequi poſſunt. Ceterum ſaepe ſe morbis aliis adjungunt, quos illi tum pejores reddunt.

Summa curationis ad purgationem et roborationem primarum viarum redit. Remedia autem conſueta raro ſunt ſufficientia. Alvus ſedulo atque fortiter per mercurialia, radicemque jalappae laxatur,

et

et contendimus tum inteſtina per pharmaca adſtringentia atque amara roborare, ubi ſimul diaetae ratio haberi, eaque corrigi debet. Remedia ſic dicta anthelmintica raro in vermes immediate agunt, roborando tamen inteſtina ad deletionem eorum conferre poſſunt.

Proinde aliquamdiu alternis vicibus pulvis anthelminticus atque pilulae purgantes anthelminticae adhibentur, dum inteſtina ſufficienter purgata et roborata fuerint.

Taenia.

Taenia alias etiam *vermis ſolitarius* nuncupatur, quoniam fuit creditum, numquam plures in hominibus ſimul exiſtere poſſe, quod vero ex experientia refellitur, omnino quinque ad ſex vermes ſingulares adeſſe poſſunt.

Taenia a reliquis figura ſua plana diſtinguitur, unde etiam taenia faſcia lata appellatur. Longitudo ejus eſt diverſa, et nonnumquam ulnarum octoginta ſex eſſe poteſt. Ea ex articulis plus minusve unius duorumve digitorum conſiſtit, quos ſingulatim ea ſalva vita amittere poteſt, quamdiu tantum caput retinet, quod e filo longo tenui conſiſtit, atque in nodulum finitur, aut ſolis tubulis ſuctoriis, aut etiam ſimul uncinulis inſtructum. Num articuli ſinguli ipſi

per ſe vivere ulteriusque creſcere poſſint, nondum liquet, minime tamen veroſimile eſſe videtur.

Auctores uſque adhuc taeniam aut pro diverſitate convexitatum in articulis obſervatarum, atque alias pro ſiphunculis ſuctoriis habitarum, qui tamen veriſimiliter non ſunt, aut pro conditione articulorum ſingulari diſtinxerunt. Vermes, quorum articuli ſeminibus cucurbitae ſunt ſimiles, *cucurbitini* ſunt appellati, et pro talibus habiti fuere, qui omnium difficillime exturbari poſſint.

Haec diſtinctio quoque revera obſervatur, quod variae taeniae purgantibus fortibus facile cedant, aliaeque e contrario etiam fortiſſimis atque efficaciſſimis reſiſtant. Experientia autem me docuit, momentum hic non in proprietate articulorum ſitum eſſe, et ſaepe vermes, quorum articuli cum ſeminibus cucurbitinis maxima gaudent ſimilitudine, facillime, alios e contrario difficillime exturbatos fuiſſe, et generatim hanc differentiam articulorum non eſſentialem ſed accidentalem eſſe.

Vero quam maxime proximum eſſe videtur, omnia hic in eo ſita eſſe, utrum tubuli ſuctorii uncinulis inſtructi ſint, nec ne. In priori caſu eſt quam difficillimum, vermem cum capite expellere.

Signa taeniae ſunt incertiſſima. Aegri ſaepe in ſternutando, deſidendo atque in vomendo ſenſu motus in abdomine undulatorii gaudent. Crebri adſunt bor-

borygmi. Alicubi in abdomine preſſionem a corpore gravi ſentiunt, et quodſi haec preſſio locum ſuum mutet, ſenſus frigoris in abdomine aut dorſo adeſſe ſolet. Sed omnia haec ſigna facile dignoſci, et ſymptomata ex irritatione naſcentia facile aliis cauſis adſcribi poſſunt.

Poſt cibos acres deſcendere, et poſt dulces adſcendere conſueverunt. Pruritus narium non facile obſervatur. At enimvero ſigna reliquorum lumbricorum. Raro de praeſentia taeniae convicti eſſe poſſumus, priusquam particulae ex illa dejectae fuerint.

Omnem moverunt lapidem, ad remedium ſpecificum, contra hunc vermem inveniendum, et haud pauca pro eo venditarunt. Equidem ex experientia certus ſum, omnia alia remedia, ubi vermis draſticis purgantibus non cedit, inutilia eſſe.

In ratione purgans exhibendi ſequor ego methodum Herrenſchwantianam. Jubeo veſperi aliquot cochlearia olei adſumi, ad quod quodvis oleum dulce, etiam ipſum oleum anglicum Ricini adhiberi poteſt. Mane, ſtomacho vacuo, grana decem gummi guttae exhibeo. Niſi tum in laxando vermis ejiciatur, iterum iterumque grana decem jubeo. Si ne nunc quidem finem conſecutus fuerim, jubeo aegrum, niſi ex irritatione periculum ſit pertimeſcendum, primum juſculum carnis ſorbere, deinde iterum decem grana

gummi guttae adſumere, atque enema ex lacte injiciendum curo.

Niſi hac ratione vermis cum capite nanciſcetur, difficulter alia ratione quidquam efficitur, atque tempori permittendum eſt, quod ſaepe circumſtantias parit, quibus finem conſequamur. Ita e. gr. febris putrida vermem necare poteſt. Quumque hic vermis tam frequenter in animalibus inveniatur, quae tamen alias ubique bene ſe habent, aegroti eſt, per nutrimenta ſimplicia naturaliaque motus vermis dolorem producentes, malaque inde oriunda imminuere, eniti.

De Ictero.

Apud auctores hic morbus *icterus, aurigo, morbus regius, morbus arcuatus* nuncupatur.

Morbus ex colore cutis inſigniter flavo cognoſcitur, ubi vel ipſa albuginea oculi colore eſt infecta. Praeterea ſapor amarus, concoctio prava, flatus ac dolores ventris, ſedes durae, excrementa alba argillacea, urinaque ruberrima, linteum flavo colore tingens, quae plerumque multum ſedimenti rubicundi dejicit, adſunt. Bilis in ſanguinem transgreſſa pruritum cutis vehementem producit. Haud raro ſimul motus febriles adſunt. Pro diverſitate coloris icterus in *flavum, viridem* et *nigrum* dividitur.

Cauſa proxima ſemper bilis cyſtica, in ſyſtema lymphaticum transpulſa eſſe videtur.

Sola ſecretio bilis impedita neutiquam icterum producere poteſt, quia bilis per ſecretionem demum naſcitur. Ipſe etiam ſanguis venae portarum nullum bilis veſtigium prodit.

Raro etiam omnino bilis hepatica eſt cauſa veri icteri e rationibus ſequentibus:

1) Bilis hepatica neque eſt amara, neque colore imbuta, experientiaque docet, digeſtionem, ductu cyſtico obturato, atque bile tantum hepatica in inteſtinum penetrante, peſſimam eſſe.

2) Obſtructiones in hepate, et calculi in ductibus bilis hepaticae absque omni ictero praeſenti ſunt inventi.

3) Ubi bilis hepatica in ſanguinem tranſit, faciem omnino cachecticam et flavidam oriri, ſed numquam icterum perfectum naſci videmus.

Fieri interim poteſt, bile hepatica in ductibus bilioſis ſtagnante, ut ea ita concentretur, ut icterum ſic ſatis notabilem producere poſſit. Poſſibilitas hujus caſus inde eſt plana, quod plurima dentur animalia omni veſicula fellea deſtituta, ſed ductibus hepaticis majoribus inſtructa, in quibus bilis concentratur. Rariores interim ſemper hi eſſent caſus. More conſueto ea eſt bilis cyſtica, quae verum icterum idiopathicum producit.

Via, quam bilis cyſtica ſervat, ea transgreſſa, rariſſime tranſit per ductum hepaticum in venas he-

paticas, quia primo hoc ſemper obſtructionem ductus choledochi ſupponit, quae tamen non ſemper adeſt, et ſecundo, ſaepe icteri tam cito poſt cauſam ſequuntur, ut haec via in eum finem nimium tarda, atque anfractuoſa eſſe videretur. Non tamen dixerim, numquam illud evenire.

Neque per venam cyſticam via pertranſire poteſt, quia ea in venam portarum aperitur, atque ita bilem iterum ad ſecretionem ducit.

Bilis autem per poros veſiculae penetrare, et per vaſa reſorbentia adſumi poteſt.

Caſus conſuetiſſimus omnino hic eſſe videtur, quod bilis a vaſis veſiculae felleae reſorbentibus in ſyſtema lymphaticum, atque hinc in ſanguinem transferatur.

Proinde quaeritur, quid reſorptioni huic anſam praebeat?

Haud raro ductus cyſticus inventus eſt obſtructus, et veſicula a felle vehementer tumida ſine omni ictero, atque verſa vice verus icterus ſine omni obſtructione ductuum biliariorum fuit obſervatus.

Summa rei proinde a ſpaſmo pendere videtur, quod eo fit vero propius, quum omnes icteri cauſae tantum per irritationem agere videantur, etiamſi obſtructiones cauſa remota hujus irritationis eſſe poſſint.

Hae cauſae ſunt:

1) Calculi in veſicula fellea. Suſpicari eos licet, ſi per aliquod tempus antea poſt paſtum anxietates et cardialgia compareant, icterus ſine omni cauſa manifeſta oriatur, et ſtatis temporibus ſub iisdem circumſtantiis redeat, et durante ipſo morbo ſenſus doloris ſub cartilagine enſiformi, uſque ad coſtas ſpurias ſeſe extendens, adſit.

2) Inflammatio hepatis, ubi icterus ſymptoma eſt conſuetum.

3) Obſtructio hepatis et ductus choledochi per concretionem, per calculos, vermes et bilem mucoſam, viſcidamque. Non quidem hic immediate ſequitur icterus, ſed facile oritur, quodſi adhuc irritatio aut extrinſecus, aut a bile ipſa obſtructa atque acri reddita, ſuperaccedat.

4) Sordes acres in primis viis, quibus duodenum, et cum eo ductus choledochus ſpaſmodice obturetur, quod etiam

5) per vermes effici poteſt.

6) Laeſiones capitis, ubi per conſenſum ſingularem hepar ſimul adficitur.

7) Spaſmi hyſterici.

8) Animi pathemata vehementia, inprimis ira et triſtitia.

9) Morſus certorum animalium, e. gr. ſcorpionum, ſpecierum quarundam ſerpentum, quin ſubinde canis rabidi.

10) Cauſa eſt nonnumquam miaſma quoddam epidemicum, quod inprimis in vias biliferas agere videtur.

11) Acrimonia rheumatica et ſcorbutica.

12) Reſolutio humorum generalis putrida.

Prognoſis a cauſis pendet. Ubi proclivitas ad calculos adeſt, illi tamen, etiamſi per anum dejiciantur, facile iterum generari poſſunt. Quodſi icterus a cauſis irritantibus, cognoſcendis, tollendis atque evitandis oriatur, melius eſt, quam cum cauſa non eſt manifeſta, aut opes noſtrae artis ſuperat. Sic e. gr. icterus a laeſione capitis, e morſu animalium venenatorum et rabidorum eſt periculoſiſſimus.

Quo debilior eſt color, eo melior. Color viridis et niger nervos valde invaſos, atque putredinem oſtendit.

Summa curationis in remediis antiſpaſmodicis atque emollientibus conſiſtit. Interne opium exhibetur, externe unguenta emollientia infricantur, et balnea calida in auxilium vocantur. Quodſi nunc obſervatur, colluviem aut vermes in primis viis adeſſe, illa evacuantur. Obſtructionibus praeſentibus dantur remedia reſolventia, in ſpecie ſal ammoniacum, quod

ſimul putredini reſiſtit. Quodſi ratio ad calculos ſuſpicandos adeſt, in initio ſuccus herbarum amararum recens maxime prodeſt. Evacuatio concretionum haud raro per emetica et pellentia efficitur. Vid. *Pilulae balſamicae.* In morſu animalium venenatorum et rabidorum vulnus, etiamſi non integrum exſcindatur atque aduratur, maxime tamen eſt emolliendum atque in ſuppurationem vertendum, ac interne efficacia remedia diaphoretica et diuretica ſunt applicanda. Vid. *Potio antilyſſa.* Ubi reſolutio humorum adeſt, exhibentur pro re nata acida, antiſcorbutica atque diaphoretica. Ubi vero nullam aliam cauſam materialem ſuſpicari licet, opium ſolummodo adhibetur, cujus doſis pro circumſtantiarum ratione augeri poteſt. Subinde etiam electricitas profuit. In conſtitutionibus hypochondriacis atque hyſtericis proſunt aſſa foetida, opium et cortex peruvianus. Remedia priora quoque utiliter externe adhiberi poſſunt. Vid. *Emplaſtrum reſolvens Schmuckeri*, et *Pilulae antihyſtericae.*

De Morbis venereis.

Morbi venerei per inflammationes, ulcera, maculas, et tumores apparent; quorum ratio in proprio miaſmate latet, quod per converſationem cum ſubjectis venereis et per infrictionem materiae venereae

in vulnera et loca, ubi cutis vulnerata aut tenuiſſima eſt, communicatur.

An hoc miaſma originem ſuam in corpore humano ipſo ſumſiſſe, atque impudentiae tamquam effectum deſtinatum ſequi, aut an extra illud et per cauſas accidentales materiam eſſe ortam, difficile deſtinari poteſt.

Morbi venerei in Europa, poſt annum 1493, innotuerunt, poſtquam admodum Columbus ex America primum rediit, et quidem primum in Italia in exercitu gallico ibi militante, hinc illi quoque nomen *morborum gallicorum* obtinuerunt. Quumque hoc in exercitu hiſpani etiam adeſſent, nemini erat dubium, hunc morbum ex America a Columbo in Hiſpaniam, inde cum exercitu hiſpanico in Italiam, inde cum exercitu gallico in Galliam atque ita ulterius propagatum eſſe.

Interim eſt ſingulare, quod neque Columbus, neque alii ſcriptores, qui in America fuerant, hujus morbi, qui tamen eo tempore tam vehementer fuit graſſatus, mentionem injiciant. Neque deſunt ſcriptores, qui, hunc morbum in Gallia duobus ante annis, quam exercitus gallicus in Italia fuiſſet, cognitum fuiſſe, contendunt. Denique multi, in tam mirabili ſubitaque propagatione, atque vehementia eo tempore tam ingenti rationes ad credendum ſibi

invenire videntur, hunc morbum apud nos per epidemiam, niſi ortum fuiſſe, attamen propagatum eſſe.

In America quaedam variolarum, ibidem endemicarum, et quidem ſporadice naſcentium ſpecies datur, quae tamen ut lues venerea per contagium propagatur. Ea ab anglis *yaws*, a gallis *pians*, atque ab auctoribus propter ſimilitudinem ejus cum rubis idaeis *frambeſia* nuncupatur.

Creditum olim fuit, hunc morbum matrem luis venereae eſſe, ſed obſervatores attenti deprehenderunt, variolas indicas ſpeciem morborum acutorum eſſe, in quam mercurius nullam exſerit virtutem ſpecificam, ſed ex qua aegri abſque omni auxilio medico ſanitati reſtitui poſſunt, et ſubjecta, quae eam ſemel evaſerunt, ab omni contagio ulteriori libera manere.

Loca ſcriptorum dantur, quae evincere videntur, morbum venereum veteribus medicis jam notum fuiſſe. Sed impoſſibiliter in temporibus antecedentibus hic morbus tam vehemens atque generalis fuiſſe poteſt, quam is in fine ſeculi decimi quinti occurrebat, atque aliqua ex parte ſic relictus fuit. Atque hac de re ratio forte difficile in aliquo alio, quam in quodam alieno atque per externas cauſas adducto veneno poſita eſſe poteſt. An vero hoc venenum ex aliis regionibus ad nos adlatum, aut apud nos or-

tum eſſe, e ſupra indicatis rationibus adhuc in dubio relinquitur.

Fit contagium:

1) Quodſi partes corporis aut vulneratae, aut cute ſaltem tenui inſtructae, e. gr. labia, papillae mammarum, a pure venereo continguntur. Credibile eſt, exhalationem non eſſe contagioſam, quoniam virus non eſt tam volatile, ut illud per exhalationem propagari poſſit. Per ſudorem autem, per ſputum et lac nutricis communicari poteſt, praecipue tamen per pus venereum; generatim videtur, quaſi virus venereum per ſuppurationem ſubtilius, et magis contagioſum redderetur, ubi enim illud nullam producit ſuppurationem, diu in corpore latere poteſt, nec ſymptomata parit.

2) Virus per partum propagatur.

3) Contagium vulgatiſſimum fit per coitum.

Morbi venerei diſtinguuntur:

1) In luem veneream, ubi non tantum partes immediate a contagio tactae adficiuntur, ſed virus jam in corpus ſeſe diffudit, in eodemque aut occulte haeret, aut etiam alia producit ſymptomata.

2) In illos morbos, ubi partes, quae contagio immediate expoſitae fuerunt, ſtatim deinde adficiuntur.

3) In ſymptomata ipſa ſingularia, ea vel ſtatim poſt contagium, vel diu poſtea, atque ſeu in partibus ipſis contagio adfectis, ſeu in aliis locis occurrant.

4) Et praecipue in illos morbos, qui a miaſmate venereo cancroſo, atque in illos, qui ab acrimonia gonorrhoeae virulentae oriuntur.

Virus venereum per vires naturae ſanari nequit, ſed uſum remediorum ſpecificorum requirit, inter quae mercurius ſemper adhuc primum gradum obtinet, et per quem omnes morbi venerei, niſi illi altas nimium jam egerint radices, viresque ad curationem nimium ſint debiles, tolli poſſunt, inprimis ſi ſimul adſint ulcera externa.

Mercurius agere non videtur, proprietatem miasmatis venerei contagioſam et pernicioſam mutando, ut vulgo quidem creditur, ſed tantum eductionem ejus ex corpore perficiendo. Inde hoc fit credibile, quoniam morbi venerei, etiamſi apud nos minime in regionibus tamen calidioribus frequenter per decocta diaphoretica ſanentur; deinde quia ſputum in ſalivatione effluens revera adhuc ſit contagioſum; et quia poſtremo mala venerea topica per ſolum uſum remediorum mercurialium quidem ſanentur, virus autem, etiamſi illud in proximum nexum cum mercurio perducatur, ſine mutatione in corpus repellatur,

ubi illud adhuc ſerius aut citius vires ſuas exſerit exitiales.

Quodſi hoc principium firmo ſtaret talo, ut illud ſecundum argumenta enumerata multum veriſimilitudinis pro ſe habet, facile etiam quaeſtio eſſet decernenda, quae methodus alteri ſit praeaeſtimanda, utrum ea, ubi mercurius ita adhibetur, ut poſt uſum ejus ſalivatio ſequatur, an vero ea, quae methodus per extinctionem vocatur, atque ubi ſedulo evitatur, ne ſalivatio conſequatur.

Equidem non ſolum ex his rationibus theoreticis, ſed etiam ex experientia practica convictus ſum, quod, ubi malum aliqua ex parte jam radices egit, aegroti haud ſunt nimium debiles, non ſunt infantes, non mulieres praegnantes, ea methodus ſit optima, ubi permittitur, ut paulatim ſalivatio lenis producatur. Verum enim vero tum de eductione non ſolum miaſmatis, ſed etiam mercurii ſumus ſecuriores.

Niſi interim miaſma fuerit indolis venereae cancroſae, partesque jam ſolidae invaſae fuerint, ſi jam multum, frequenter atque inordinate ſalivatum fuerit, et generatim virus mora ſua in corpore diuturna mutatum eſſe videatur, illa remedia praeferenda ſunt, quae in ſudorem atque urinam agunt.

Mercurius aut interne exhibetur, aut jubemus eum externe infricari. Difficile eſt decernere, cuidam methodo primas deferre liceat. Res ſaltem omnino

eſt indifferens, quodſi ſcopum ſalivandi habeas. Accidentales, et quoad morbum ipſum minus eſſentiales circumſtantiae requirunt modo hanc, modo illam. In uſum internum mercurius dulcis adhibetur, quo per diem uno grano initium fieri, et doſis ſenſim ſenſimque augeri poteſt. Solutio etiam Plenckiana hoc in caſu eſt utilis, quodſi ab acrimonia mercurii dulcis noxa ſit pertimeſcenda, aut ſi is nimium in ſedes agat. Caſus vero dantur, ubi indoles miaſmatis aliquantum eſt mutata, naturaeque evaſit ſcrophuloſae, atque hoc in caſu aethiops antimonii, mercurius ſublimatus, et mercurius praecipitatus ruber, aut ſolutio mercurii in acido nitri meliorem praeſtant uſum. Ut omnino generatim vero admodum proximum eſſe videatur, mercurium non in habitu ſuo metallico, ſed in tantum duntaxat in virus agere venereum, in quantum per ſolutionem in acido quopiam, ſeu ille extrinſecus accedat, ſeu in humoribus corporis deprehendatur, redditus fuerit corroſivus. Semper fere ſaltem per uſum remediorum cauſticorum mercurialium tantum, quantum per infrictiones, efficitur.

Quodſi proinde finem ſalivandi habemus, conamur prius corpus aliquantum praeparare. Jubemus aegrum per aliquod tempus bonam diaetam obſervare; ſi plethora adeſt, mittitur ſanguis; impuritatibus primarum viarum praeſentibus illae evacuantur,

et generatim in hanc curationem tempeſtatem ſeligimus calidam. Drachmam dimidiam unguenti neapolitani quotidie infricando, initio facimus, quod optime in pedibus fieri poteſt. Infrictione facta jubetur aeger ſe in lectum conferre, aut ſaltem partes infrictas calidas ſervare. Quodſi tum ſalivatio jam die ſecundo aut tertio incipiat, jubemus pediluvium, et cum infrictione ceſſamus, quoniam ſalivatio nimium matura juſto citius mercurium e corpore expellit, et prius, quam acrimoniam veneream ſecum efferret. Quodſi ſalivatio ceſſavit, pergitur cum infricando, et nitimur ſalivationem ita ſuſtinere, ut quotidie circiter ſaliva unius librae ejiciatur, ejectio tamen quoque ſine incommodo ad duas libras adſcendere poteſt, niſi alias vires admodum ſint fractae, quarum hic ſemper ratio eſt habenda.

Caſus dantur, ubi ſalivatio prorſus produci nequit. Quodſi loco illius alia evacuatio innoxia contingat, contendendum eſt, ut haec promoveatur.

Quodſi ſalivatio eſſet nimia, et partes oris nimium intumeſcerent, ceſſatur ab infrictione, praebetur laxans de manna per aliquot dies, ordinatur pediluvium et regimen aliquanto frigidius, ita tamen ut nequaquam frigefactio ſubita evenire poſſit.

Eadem prorſus obſervatur methodus, quodſi durante ſalivatione motus febriles accidentales et minime ex acrimonia venerea oriundi comparerent.

Generatim

Generatim ſedulo propinandus eſt potus diluens atque emolliens, pro aegroti guſtu ſeligendus. Saſſaparilla hunc in finem inprimis propter ſaporem ejus lenem proficua eſt. Ubi uſus ejus nimium eſſet charus, radix graminis ſumi poteſt. Diaeta vegetabilis, et minime calefaciens eſſe debet, regimen autem magis calidum, quam frigidum.

Atque ita pergitur, dum aut omnia ſymptomata fuerint ſublata, aut tamen per curationem nullam aliam patiuntur mutationem, ubi illa tum ut morbi topici tractantur, et plerumque feliciter tolluntur. Attamen fere unciae ſeptem ad octo de hoc unguento requiruntur.

Quodſi vires ad ſalivationem nimium ſunt debiles, aut aegrotus illi ſe ſubjicere non vult, per aliquod tempus quotidie ante curationem et durante curatione balneum tepidum ordinatur, pro potu ordinario decoctum ſaſſaparillae aut ligni ſancti propinatur, minimo tumore oris comparente ab uſu mercurii ceſſatur, atque in dies laxans exhibetur, aut etiam, quum mercurius interne praebetur, cum remediis diureticis lenibus, e. gr. cum millepedis remiſcetur, aut continuo mercurius nitroſus exhibetur, qui raro ſalivationem producit nimium vehementem, quoniam is proclivior eſt ad in vias urinarias agendum.

Quodſi hic etiam uſus horum remediorum internus difficultates pariat, mercurialia cauſtica cum pin-

guedine in unguentum praeparata plantis pedum infricari poſſunt.

Saepiſſime in aegris tantum jam mercurialium remediorum exhibitum eſt, ut ea aut non amplius in morbum agant, aut per uſum eorum ſymptomata oppido pejora reddantur. In priori caſu molimur primum humores per alia remedia convenientia purgare, parteſque ſolidas roborare, per quod ſolum ſaepe tota perficitur curatio, aut ſaltem uſus mercurii poſtea adhibendus redditur ſalutaris. In poſteriori caſu tanto maturius a remediis mercurialibus eſt abſtinendum, ſi ulcera e. gr. propter conditionem humorum ſcorbuticam maligna, aut per acrimonias alias atque debilitates reddantur omnino ſphaceloſa. In utroque caſu cortex peruvianus atque aquae minerales praeſtantis ſunt uſus. Aut etiam credibile eſt, hos eſſe tales caſus, in quibus opium nuperrime tantopere laudatos praeſtitit uſus.

Lues venerea.

Lues venerea eſt confluxus ſymptomatum venereorum, quae ſenſim e reſorptione miaſmatis oriuntur, quo una aut altera corporis pars eſt inquinata.

Plerumque ea cum tumore veli palatini ſe prodit, qui mox erumpit inque exulcerationem tranſit. Praeterea facile maculae in facie oriuntur, quae in initio ſunt pallidae, paulatim fiunt rubriores, et denique

cruſtam nanciſcuntur flavam. Hujusmodi ulcera deinde etiam in aliis locis, inprimis in partibus genitalibus adſunt. Ubi autem nulla adſunt ulcera, dolores eorum loco in oſſibus oriuntur, qui inprimis noctu ſaeviunt, porro tumores oſſium, quae, quamdiu illa ſunt mollia, *tophi*, cum autem indureſcunt, *exoſtoſes* appellantur, ubi denique facile caries oritur.

Lues venerea ſemper poſt contagium evenit, niſi miaſma ex parte infecta educatur, priusquam in ſanguinem tranſiret, atque inprimis, ſi ſimul diaeta et regimen ſerventur calida.

Acrimonia denique tam corroſiva fit, ut ea aut ſubſtantiam oſſium, aut viſcera interna invadat, febresque producat tabidas, niſi ea e corpore educatur. Methodus medendi generalis hic obtinet. Ut viribus parcatur, ſtatim uſus mercurii ita inſtituendus eſt, ut in copia ſufficienti in corpus inferatur.

Acrimonia venerea quoque copiam aliorum morborum producere poteſt, qui alias ex aliis et penitus differentibus naſcuntur cauſis. Ad hoc inveniendum ſedulo eſt inveſtigandum, num aeger aliquando occaſionem habuerit, miaſmate infici, et num is hoc in caſu remedia adhibuerit ſufficientia. In caſibus quoque ambiguis, atque ibi, ubi contraindicantia vehementiſſima minime adſunt, e. gr. ſcorbutus, remediorum mercurialium tentamen fieri poteſt, ubi tum mox ex eorum effectu plerumque ſtatim ad na-

turam cauſae concludere licet. Acrimonia gonorrhoeae interim varios morbos producere poteſt, qui omnia remedia mercurialia eludunt. Morbos iſtiusmodi cognoſcere atque ſanare, difficilia ſemper in arte ſunt problemata.

E morbis ſingularibus illos tantum huc refero, qui ſemper fere e miaſmate venereo, nec facile ex aliis cauſis naſcuntur.

Cancer venereus.

Sub *cancro venereo* intelligimus ulcera venerea, inprimis illa, quae in partibus genitalibus, in mammis atque in faucibus occurrunt. In prioribus duobus locis ſaepe immediate poſt contagium prodeunt; in faucibus ea plerumque ſunt ſymptoma luis venereae univerſalis princeps. Ea colore gaudent pallide rubro, marginibus ſunt praedita duris, ſemperque latius ſerpunt, niſi illis per remedia ſpecifica obex ponatur.

Miaſma cancroſum venereum quam maxime originale aut multo magis proprium luis venereae miaſma eſſe videtur, quoniam hoc facillime reſorbetur, celerrime mala producit univerſalia, et longe optime remediis mercurialibus cedit.

Ex his cauſis cum uſu remediorum mercurialium externo ſumma cura attendendum eſt, ut ſufficientia remedia interna exhibeantur, quoniam alias morbus

externus tollitur, miaſma autem remanet. Enitendum proinde eſt, non ſolum, ut ſatis mercurii in corpus inferatur, ſed etiam ulcera per aliquod tempus remediis cauſticis mercurialibus, hoc eſt mercurio ſublimato, aut mercurio praecipitato rubro tractentur, ad ea per aliquod tempus aperta ſervanda. Quodſi tum ſecuri eſſe poſſumus, miaſma eſſe eductum, nec ulcera ſanari velle, remedia e ſaturno praeparata adhiberi poſſunt.

Quodſi ulcera in uſu mercurii fiant maligna, is eſt intermittendus, interne cortex peruvianus exhibendus eſt, atque externe pharmaca antiſeptica atque antiſpasmodica ſunt applicanda. Vulnus nimirum quotidie aqua Thedenii ſclopetaria elui, et cum unguento cum opio permixto conjungi poteſt.

Gonorrhoea venerea.

Sub *gonorrhoea venerea* effluxus materiae mucoſae, purulentae, et per contagium venereum ortae ex urethra virili intelligitur. Injuſte hic fluxus *gonorrhoea* ſeu *fluxus ſeminis* vocatur, materia enim effluens non eſt ſemen. Germanis dicitur *Tripper*, Gallis *chaudepiſſe*.

Sequentes ſpecies hujus gonorrhoeae e concubitu cum ſubjectis infectis ortae diſtinguendae veniunt:

1) Dantur, quamvis raro, caſus, ubi gonorrhoea eſt ſymptoma luis venereae. Hoc inde cogno-

ſcitur, quodſi talis gonorrhoea absque omni concubitu praegreſſo oritur, atque aegrotus quidem miaſma venereum in corpore vehit, numquam autem gonorrhoeam a contagio immediato paſſus fuit, aut tamen ab hac radicaliter eſt ſanatus. Haec *gonorrhoea ſymptomatica* appellari poſſet.

2) Gonorrhoeae dantur, quae ſine non diu praecedenti concubitu impuro facillime poſt exaeſtuationem in talibus oriuntur ſubjectis, quae olim gonorrhoeam paſſa ſunt, atque ob diuturnitatem ſuam *gonorrhoea chronica* appellari poſſet.

Hae gonorrhoeae a prioribus venereis in eo diſtinguuntur, quod mercurius in has nullis prorſus polleat viribus. Dantur caſus, ubi praeter fluxum talem purulentum alia adſunt ſymptomata venerea, quae per uſum remediorum mercurialium penitus tolluntur, quum e contrario fluxus ex urethra purulentus ſine mutatione perdurat.

Veriſimiliter hoc in caſu glandulae remanſere aut induratae aut relaxatae, quae in exaeſtuationibus in quandam inflammationis ſpeciem incidunt, atque ea durante hunc humorem corruptum atque purulentum ex ſe emittunt. Haud raro in his caſibus proſtata indurata quoque invenitur.

Num humor purulentus in hac gonorrhoearum ſpecie effluens ſequela verae ſit exulcerationis, multum hac de re litigatum fuit. Certum eſt, materiam effluentem maxime decolorem eſſe poſſe, abſente tamen ulcere vero, ſed tamen omnino etiam exulceratio vera adeſt, quae rationem eryſipelatis ſervat, et tantum in cute ſedem ſuam habet, ut etiam ſemper conſiderandum veniat, partes laborantes eſſe glandulas, quae raro atque hoc in caſu fere numquam in vera tranſeunt ulcera. Saepe in tali gonorrhoea proſtata eſt admodum turgida, doloreque adfecta, atque rurſus deinde detumeſcit, nec tamen effluxus humoris vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem mutatur. Nec haec lis, quae fere ſola eſt logomachia, tanti eſt momenti.

Num mucus in hoc gonorrhoeae genere purulentus effluens ſubinde non amplius contagioſus eſſe poſſit, non auſim decernere.

3) Datur effluxus humoris lenis, clari et viſcidi, qui poſt gonorrhoeas praegreſſas remanet, et ſola relaxationis ſequela eſſe videtur. Germani eum appellant *Nachtripper*, Anglis *gleet* vocatur.

Haec gonorrhoeae ſpecies non amplius eſt contagioſa, atque etiam ex aliis cauſis produci poteſt, quo in caſu poſteriori ea ab auctoribus *gonorrhoea benigna* vocatur.

4) Ultima gonorrhoeae ſpecies, eaque communiſſima, eſt ea, quae immediate poſt concubitum impurum ſequitur, quamque ego *gonorrhoeam* dixerim *idiopathicam.*

Oritur ſcilicet aliquanto poſt contagium, cujus tempus accurate conſtitui nequit, atque uſque ad octo dies tardare poteſt, pruritus ac tenſio in urethra, quam mox ardor in lotio mittendo excipit. Hic ſtatus per aliquot dies manet, et tum effluxus comparet, qui initio eſt tenuis, acris atque adhuc mictu difficili ſtipatus, poſtea autem fit craſſior, magisque purulentus, quo facto tenſiones quidem minuuntur, ſed non ſemper penitus ceſſant, quique denique, poſtquam acrimonia prorſus ejecta eſt, in humorem clarum viſcidum mutatur, quo etiam omnia ceſſant incommoda.

Quamdiu tenſio et difficultas mingendi perdurant, ſtatus adeſt inflammatorius, qui intra dies 8 ad 14 tollitur, ſaepe autem in menſes aliquot trahi poteſt.

Quodſi humor clarus viſcidus compareat, ſignum eſt, omnem acrimoniam eſſe eductam. At vice verſa ſub judice adhuc lis eſt, annon effluxus purulentus tenſionibus ſtipatus adhuc perdurare poſſit, quum jam totum miaſma ejectum eſt.

Multum alias hic morbus cum catarrho habet ſimilitudinis, uti etiam haec acrimonia revera in tunica ſchneideriana ſpeciem catarrhi quandam producit.

Contingit ſubinde, ut mox ab initio tenſio per ſe ceſſet, nec ullus ſequatur materiae purulentae effluxus. Quod inde evenire poteſt, quoniam acrimonia aut per naturam eſt educta, aut etiam reſorpta.

Ubi irritatio eſt vehemens, erectiones ſaepe doloribus ſtipatae oriuntur, quo in caſu membrum virile intortum eſt, quod tum *chorda veneris* ſalutatur.

Per ſolum conſenſum tumor atque inflammatio teſticulorum glandularumque inguinalium oriri poſſunt, haec ſymptomata autem quoque per reſorptionem miaſmatis produci queunt.

Humor purulentus effluens nullum more conſueto ſupponit ulcus verum, ſed in gonorrhoeis mox contagium excipientibus mucus tantum urethrae ab acrimonia corruptus eſſe videtur.

Sedes hujus gonorrhoeae ordinaria eſt in glandulis morgagnianis, atque initio tantum raro uſque ad proſtatam extenditur.

Niſi vero acrimonia mature educatur, exulcerationes atque indurationes omnino oriuntur.

Miaſma quoque hic facillime reſorbetur, ſanguinique admiſcetur.

Non inter omnes convenit, utrum materia gonorrhoeae cum miaſmate venereo ejusdem ſit indolis, an ab eodem eſſentialiter differat.

Certum eſt, poſt gonorrhoeas neglectas luem veneream difficile ſequi, aliaque mala venerea remediis mercurialibus multo facilius cedere, quam gonorrhoeam idiopathicam. Nec minus certum eſt, gonorrhoeam per ſola remedia attenuantia atque emollientia perfecte ſanari poſſe. Et denique certum eſt, illas gonorrhoeas, quas ego ſuperius chronicas appellavi, medicamentis mercurialibus neutiquam cedere.

Hae rationes multum omnino ponderis pro ſe habere videntur, ſequentia tamen contra eas reponi poſſunt:

1) Quod remedia mercurialia tam parum in gonorrhoeam valeant, quodque adverſus eam remedia attenuantia atque emollientia ſatisfaciant, inde evenire poteſt, quia mercurius per ſe non facile in urinam agit, et quia natura hic nos ſuo labore praevenit. Quemadmodum in regionibus calidis per ſolum guajacum methodus medendi luis venereae verae perficitur, tali modo gonorrhoea quoque per remedia leniter diuretica atque emollientia ſanari poteſt, nec tamen

propterea indoles venerea utriusque in dubium eſt revocanda.

2) Quod remedia mercurialia nihil adverſus gonorrhoeas chronicas efficere poſſint, ratio inde repetenda eſſe videtur, quia illae non amplius a miaſmate, ſed per cauſas alias corruptionemque localem, in quam mercurius nullas vires efficaces exerere poteſt, ſuſtententur. Eſt ſaltem adhuc in dubio, num mucus in gonorrhoea chronica effluens purulentus verum adhuc miaſma ſecum vehat.

3) Miaſma gonorrhoeae quidem a venereo ſpecifice, propterea autem minime generice differre poteſt. Prius ſaltem propaginem poſterioris eſſe, ex hiſtoria illius magna cum veriſimilitudine ſuſpicari licet. Non amplius forſitan eſt tam ſubtile, tam penetrans, non proinde tam facile reliquis glandulis corporis ſeſe communicat, atque ita ex utraque ratione neque tam facile per mercurium poteſt educi. Quodſi denique

4) experimenta rite ſe habeant, quod per materiam gonorrhoeae verus cancer venereus produci queat, nullum amplius remanet dubium, quin materia gonorrhoeae verum ſit miaſma venereum.

E variis equidem rationibus non ſum alienus a credendo, materiam gonorrhoeae omnino a miaſ-

mate venereo proprio differre. Hae rationes ſunt ſequentes:

1) Veteribus longe veriſimillime gonorrhoea e concubitu impuro fuit nota.

2) Medici ſeculi decimi ſexti forſitan de gonorrhoea tacuerunt, quoniam eam prorſus cum lue venerea non cognatam exiſtimarunt.

3) Nullum miaſma cancroſum venereum remediis generalibus cedit, vel autem acrimonia gonorrhoeae venereae.

4) Miaſma gonorrhoeae venereae ſaepe per exanthema herpeticum in partibus genitalibus externis deducitur.

5) Quam maximam deſtructionem miaſma cancroſum venereum quoque in partibus ſolidis efficere poteſt, tamen ſanatio per curationem aptam locum habet. Hoc fere numquam in morbis partium genitalium et viarum uriniferarum ab acrimonia gonorrhoeae venereae ortis contingit.

In methodo medendi gonorrhoeae idiopathicae caput rei eſt, ut ſtatus urethrae inflammatorius tollatur, atque eductio acrimoniae per eandem promoveatur.

Quamdiu tenſio inflammatoria durat, ex omni parte antiphlogiſtice progredimur. Ubi diſpoſitio generatim adeſt inflammatoria, mittitur ſanguis. Potus abunde emolliens atque reſolvens praebentur, quem

in finem decoctum avenaceum tenue, emulſiones e ſeminibus papaveris, cannabis, petroſelini, cum nitro permixtae ſunt aptiſſimae. Praeterea fomentationes emollientes membro imponendae ordinantur.

Nonnumquam hac methodo miaſma educitur, inflammatioque reſolvitur, nec res ad fluxum purulentum pervenit.

Hic autem plerumque contingit, aut potius raro medicus prius vocatur. Quamdiu adhuc tenſiones atque dolores adſunt, cum methodo ſuperiori pergitur.

Quamprimum ſtatus inflammatorius maxima ex parte remiſit, fluxus vero purulentus perdurat, remedia diuretica in auxilium adhiberi poſſunt. Balſamica hunc in finem atque inter haec inprimis terebinthina ſunt convenientiſſima. Cautio tamen cum horum uſu eſt obſervanda. Facile inflammationes de integro producunt, et nonnumquam inflammationi teſticulorum, aut etiam per irritationem ſuam vehementem gonorrhoeis benignis chronicis anſam praebent. Initium proinde cum terebinthina cocta, in parvis doſibus et cum nitro ac gummi arabico permixta, fieri et doſis pro re nata augeri poteſt.

Multi medicorum quoque injectiones adhibent, cum quibus vero facile noceri poteſt. Injectiones irritantes ſtatum inflammatorium augere poſſunt. Pharmaca adſtringentia oppido nocent, et ſtranguriis atque dyſuriis diuturnis anſam praebent. Solutio Plen-

ckiana forte adhuc tutiſſima eſſet, quodſi certo ſcire liceret, mercurium viribus in miaſma gaudere, et niſi forte injectio ipſa ſola jam reſorptionem miaſmatis promoveret.

Purgantia, quae tam liberaliter in gonorrhoeis exhibentur, nullius ſunt hic utilitatis, multo magis ſaepe nocere, irritationeque ſua non ſolum inflammationes teſticulorum et glandularum inguinalium producere, ſed etiam reſorptionem acrimoniae promovere poſſunt. Tunc tantum illa locum habent, cum colluvies in primis viis, urinam acrem reddens, aut diſpoſitionem inflammatoriam adaugens adeſt. Manna, pulpa tamarindorum, aut cremor tartari tunc adhibentur.

Gonorrhoeae ſaepe ſunt quam pertinaciſſimae, nec facile remediis enumeratis cedunt, cujus rei quidem culpa ſemper in exaeſtuationibus, modisque tractandi pravis ſita eſt. Nonne hic utiliter mercurialia adhiberi poſſent? Obſervationes meae nihil certi docent, neque ea directe aliquid contra hoc malum efficere poſſe credo. Cautio, quam fere aegrotus obſervat, quum novit, ſe mercurialia adſumſiſſe, plurimum forſitan efficere poteſt, inprimis ſi praeterea decoctum ligni guajaci exhibeatur. Mercurium hic nocere poſſe non credo, nec ſciam, quibus e rationibus.

Extra omne dubium quoque eſt, mihique e propriis certis experimentis notum, materiam gonor-

rhoeae reſorberi, doloresque in artubus atque vitia cutis producere poſſe, ubi quidem mercurialia lenia nihil prorſus, cauſtica e contrario praeparata ſaepe multum efficere queunt.

Contra gonorrhoeam chronicam mercurium nihil valere experientia me proh dolor! convicit, et fateri cogor, nullum me contra hoc malum foedum noſſe remedium. Nonnumquam tinctura antimonii Jacobi eximium mihi praeſtitit uſum.

Veroſimile tamen mihi eſſe videtur, omnes illos morbos, qui jure venerei habentur, quique vero tamen haud commode per mercurium domari poſſunt, ab acrimonia gonorrhoeae venereae oriri, quae a miaſmate cancroſo venereo per mobilitatem ſuam minorem, et per vim ſuam contrahentem majorem, diſtinguitur. In talibus caſibus omnino opium partes per acrimoniam ſpasmodice contractas emolliendo utile eſſe poteſt, atque eo ipſo reſolutionem atque eductionem acrimoniae promovere queat.

Gonorrhoeae quoque benignae aliquando omnibus remediis adſtringentibus reſiſtunt, et ſaepe tantum a tempore ſanantur. Diuretica fortia e. gr. tinctura cantharidum, aliquando proſunt.

Gonorrhoea ſymptomatica, hoc eſt, illa, quae e miaſmate cancroſo venereo eſt nata, mercurii uſum requirit.

Fluor albus venereus.

Fluor albus venereus a benigno in eo diſtinguitur, quod is tantum poſt contagium ſequitur, atque ab initio cum ardore in vagina eſt conjunctus.

A gonorrhoea tantum in eo diſtinguitur, quod ab eo ſexus tantum invadatur ſequior.

Inflammatio hic ſolummodo eſt in vagina, raroque uſque ad urethram extenditur, quare initio non eſt tantis doloribus ſtipatus, quam gonorrhoea, quoniam vagina textura gaudet laxiori, nec tantopere tenditur. At propterea etiam plane prima periodus praeterlabitur inobſervata.

Ex hac cauſa methodus medendi quoque hujus morbi ſemper eſt difficilior, quam gonorrhoeae medendi ratio.

Diuretica hic ſola nihil efficiunt; pharmaca quoque mercurialia tam interna, quam externa, ſaepe hic nequicquam fuere adhibita, quum morbus plerumque radices jam egerit, quoniam is partim dignoſcitur, partim occultatur. Remedia ſanguinem purificantia et roborantia hic ſunt aptiſſima.

Generatim indoles fluoris albi aeque eſt incognita, quam gonorrhoeae natura. Quis ſcit, an non ſpecies impetiginum in vagina majorem efficiant muci adfluxum? Id ſaltem conſtat, quod gonorrhoeae ne-

gleſtae facile exanthemata impetiginoſa poſt ſe trahant, qua de re experientia indubitata me convicit.

Quodſi porro herpetes ſemper ſigna acrimoniae ſcrophuloſae ſint, nonne fluor albus et gonorrhoea ad morbos pertineant ſcrophuloſos?

Quumque in his tamen mercurialia ſaepe ſint proficua, nonne illa in fluore quoque albo atque in gonorrhoea venerea prodeſſe poſſent?

Quumque denique acrimonia ſcrophuloſa per ſolam diaetam et bonum regimen imminui poſſit, nonne ſimul etiam liquet, quare in gonorrhoeis ſaepe haec remedia ſufficiant?

Quodſi cui tam felici eſſe licet, ut ad fluorem album venereum recenter exortum tollendum in auxilium vocetur, plurimum is per injectiones emollientes effecerit, et plus quam per pharmaca interna, quae ceterum nec ipſa ſunt negligenda, ſed, uti in ſectione de gonorrhoea tradidimus, ſunt exhibenda.

Quodſi vero illa jam ſunt inveterata, mercurialia cauſtica omnino in auxilium ſunt adhibenda, quae pariter in forma quam maxime diluta injici queunt.

Bubo.

Sic *tumor glandularum inguinalium venereus* vocatur, qui utplurimum eſt indolis inflammatoriae, et, niſi ille tollatur, facile ſubit ſuppurationem.

Bubones prodeunt aut ſtatim poſt contagium; aut quodſi in gonorrhoea inflammatio eſt nimia; aut ſi aeger in gonorrhoeis nimis vehementer purgetur, aut excalefiat; aut denique poſt cancros venereos juſto maturius ſanatos.

In utroque caſu priori inflammatio eſt tantum conſenſualis, in tertio autem caſu materia gonorrhoeae maxima ex parte eſt reſorpta, hinc etiam effluxus per urethram tunc ceſſat. In caſu poſtremo morbus eſt luis venereae ſymptoma.

Inflammatio conſenſualis nonnumquam inde naſci videtur, quod per irritationem congeſtio lymphae in glandulis praeternaturalis producatur. Procul dubio ſaepe eodem modo res cum illa ſe habet, ut in inflammationibus pleurae, quae haud raro ſedem ſuam permutant. In caſu poſteriori omnino etiam reſorptio locum habet, non autem materiae plane purulentae nunc ſuppreſſae, ſed acrimoniae ipſius, quae prius fluxum produxerat.

In quovis caſu initio remedium imponitur diſcutiens, dum effluxus compareat. Fomentationes calidae augent ſaepe tumorem, et frigidae ſaepe multo magis proſunt.

Inflammatione ſublata, tumor, aut quod adhuc praeſtantius eſt, latus cruris interius, ubi vaſa lymphatica ſecundum glandulas inguinales adſcendunt,

unguento neapolitano fricatur, et per reliquum tempus emplaſtro mercuriali edimburgenſi tegitur.

Niſi tumor hoc pacto ad diſcutiendum cogatur, verum tamen paſſim fiat mollis, contendimus illum in ſuppurationem vertere; ſed profundius non eſt aperiendus, quam ubi amplius nulla adeſt induratio. Deinde is ut ulcus venereum tractatur.

Quodſi tumor ex ſola irritatione conſenſuali ortus fuerit, gonorrhoea cum hujus diſcuſſione iterum comparere ſolet.

Quodſi vero ratio adeſt, ut tumorem jam pro ſequela miaſmatis in humoribus contenti habeamus, quodſi non ſit gonorrhoeae ſequela, ſed ulcerum ſubito ſanatorum aut inveteratorum atque neglectorum cancroſorum venereorum, methodus medendi interna juxta tractationem externam non eſt negligenda.

Teſticulus venereus.

Eaedem cauſae, quae in glandulas inguinales agunt, pariunt quoque ſaepe *tumorem teſticulorum*, qui autem rarius in ſuppurationem, facilius in ſcirrhum tranſit. Apertio illius proinde non facile eſt inſtituenda. Eodem plane modo cum iis agitur, ut in bubonibus, inprimis contenditur, ut gonorrhoea producatur. Praeterea ambulatio prohibetur, atque aeger teſticulos in ſuſpenſorio ferre jubetur. Quodſi inflammatio tantum eſt conſenſualis, et tantum per

erectiones frequentes ſemen in teſticulis ſe collegit, fomentationes frigidae inſerviunt. Induratio per frictiones mercuriales eſt domanda, atque nullo in caſu permittendum, ut radices agat.

Phimoſis et paraphimoſis.

Tumor praeputii appellatur *phimoſis*, inprimis ſi illud reduci nequeat. *Paraphimoſis* vocatur tumor, quodſi praeputium adduci nequit.

Is plerumque eſt indolis inflammatoriae, atque in gonorrhoeis ex iisdem cauſis oritur, e quibus teſticuli et glandulae inguinales intumeſcunt.

Eodem igitur tractatur modo. Tumore exiſtente tanto, ut aeger nullum lotium mittere queat, aut eo decolore, inciſiones inſtituuntur, et deinde, ut alia ſymptomata venerea, tractantur.

Proſtata venerea.

Nonnumquam in gonorrhoea inflammatio proſtatae oritur, quae facillime tranſit in exulcerationem, indurationem producit, et poſtea occaſionem dyſuriae atque ſtranguriae praebet.

In ſtadio inflammationis ut in reliquis tumoribus inflammatoriis agitur. Diligenter attendendum eſt, ne ullae remaneant indurationes, ad has enim tollendas nullum adhuc mihi cognitum eſt remedium externum. Externa forſitan inciſio eſſet tutiſſima,

etiamſi tempus et regimen bonum permultum effi-ciunt.

Huc quoque carunculae urethrae ſpectant, quae tantum auxilium requirunt mechanicum.

Condylomata.

Sic veſiculae cryſtallinae appellantur, quae in glande, et labiis vulvae prodeunt, ſpeciem habent racemiformem, et ſaepe in magnitudinem excreſcunt inſignem. Ea praeter curationem internam aut cauſtica, ligaturam aut ſcalpellum requirunt. Mercurius praecipitatus ruber aut ſolutio mercurii in aqua forti ſaepe eximii hic ſunt uſus.

Veriſimile mihi videtur, quod illa rationem ſuam in acrimonia gonorrhoeae inveterata agnoſcant, quia ea faciliime in conſpectum redeant, etiamſi efficaciſſima remedia ad curationem eorum fuerint adhibita.

Maculae et verrucae venereae.

Priores in facie, poſteriores in ano frequenter prodeunt, et quoque germanice *Feigwarzen* nuncupantur. Unguentum e mercurio praecipitato rubro aut ſolutio mercurii in acido nitri diluta juxta internam medendi rationem externa ſunt adhibenda.

Haec etiam mala raro a miaſmate cancroſo venereo et ſemper fere ex acrimonia gonorrhoeae originem ſuam repetere videntur.

Morbi oſſium venerei.

Quodſi miaſma venereum in oſſa dejiciatur, inde eorundem intumeſcentia oritur, quae, tam diu ea eſt mollis, *tophus* ſeu *gummi* ſalutatur.

Facile hic oſſa fiunt carioſa, et miaſma inſignem eorum deſtructionem producere poteſt. Frequentiſſime hoc in cranio atque tibiis evenit.

Mercurialia cauſtica atque acria vegetabilia e. g. daphne mezereum, euphorbium et ſ. p. ſunt hic pharmaca efficaciſſima.

Praeter curationem internam enitimur corruptum aut per mercurialia cauſtica, aut per inſtrumenta tollere. Hi morbi autem ſaepe etiam omnia medicamenta conſueta eludunt. Tempus et roborantia ſaepe conficiunt, quod prius nulla ratione conſequi licebat. Haud raro ex intumeſcentia exoſtoſis oritur, ubi oſſa ſunt quam maxime fragilia.

Rarior eſt caſus, ubi oſſa prorſus emolleſcunt, ad quod forſitan uſus mercurialium intempeſtivus ſuas partes confert. Caſum talem videre mihi licuit, in quo oſſa tam mollia fuere, ut illa actioni muſculorum cederent, curvaturasque facerent mirabiles. Pars oſſium gelatinoſa fuit reſoluta, et partes terreae prorſus friabiles.

De Scorbuto.

Scorbutus eſt putredo humorum chronica. Initium hujus morbi ſe prodit per ſingularem corporis languorem atque animi proſtrationem, per cutim ſiccam et pruritum gingivae. Progreſſus ejusdem cognoſcitur e gingiva ſpongioſa, turgida, facile cruenta atque a dentibus ſeparata; ex dentibus carioſis atque emotis; ex anima foetida, non e colluvie in ventriculo oriunda; ex inertia corporis peculiari et reſpiratione brevi, tumoribus femorum, maculis lividis atque ulceribus, ac doloribus in artubus, qui a nulla alia cauſa deduci poſſunt.

Sanguis initio non ſemper eſt putrilaginoſus, in progreſſu autem tantopere fit reſolutus, ut haemorrhagiae conſequi poſſint quam maximae. Quoque inertia ad ultimum fit tanta, ut minutiſſimo in motu aut aëris mutatione lipothymiae producantur, et denique oſſa fiunt tam mollia et friabilia, ut leniſſimae preſſioni cedant.

Cauſa autem ſcorbuti longe ab ea eſt diverſa, quae febres producit putridas. Hoc ſaltem e diverſitate curſus et ſanatione utriusque morbi colligere licet. Ceterum morbus eſt neque contagioſus, neque hereditarius.

Neque diviſio eſt probanda, quam multi auctores de ſcorbuto faciunt, diſtinguendo eum e remedio-

rum adhibendorum diverſitate, in calidum et frigidum. Saltem rationes, e quibus haec diviſio eſt deſumpta, non rite ſe habere videntur, verum enim vero tam fructus horaei acidi, quam plantae antiſcorbuticae calidae in omnibus ſpeciebus ſcorbuti aeque ſe praeſtant utiles. Interim omnino, uti mox moniturus ſum, differentia hujus ſcorbuti eſſentialis quaedam eſt adſumenda, cujus reſpectu haec diviſio potius locum habet.

Eo minus diviſio in ſcorbutum acidum, alcalinum, muriaticum et rancidum fundamentum habet; natura acrimoniae eſt nobis prorſus ignota.

Etiamſi minime dici queat, ſcorbutum ſemper ex acrimonia ſpeciali atque ipſi propria oriri, ſingulare tamen eſt, quod ſcorbuti ſporadici ſeculo demum decimo ſexto fuerint cogniti. Interea hujus rei cauſa in eo eſt ſita, ut ſcorbutus tantum in mari et regionibus longe orientalibus generatim ſaeviat, et veteres utrumque non ſatis agnoverunt.

Cauſae remotae ſunt humiditas, frigus et diaeta inſalubris, de quibus exhalatio ſuppreſſa et vis digeſtionis debilitata ſunt ſequelae proximae.

Scorbutus dividi poteſt in ſporadicum atque epidemicum.

Scorbutus quidem in navibus invadit, ſi illae diu in mari morantur, hominesque carnes veteres muria conditas et aquam putridam in alimentum adhibent,

omnia conſtitutionum genera, atque credibile eſſet, ſcorbutum in continenti terra facile etiam per cauſas produci poſſe, quae corpus relaxant, humores acres reddunt et transpirationem tollunt. Certum ſaltem eſt, facillime eum in circumſtantiis his naſci.

Differentia tamen eſſentialis inter ſcorbutum marinum et campeſtrem univerſalem, eumque, qui in continenti terra ſporadice occurrit, adeſſe videtur, quae inprimis in curatione obſervatur, ſaepe enim plethora abdominalis princeps cauſa acrimoniae ſcorbuticae eſſe videtur. Remedia ſaltem ſaepe requiruntur, per quae viſcera abdominis reſerantur. Ratio proinde habenda eſt non ſolum correctionis humorum, ſed etiam obſtructionum viſcerum tollendarum. Raro etiam curſus hujus ſpeciei poſterioris ſcorbuti eſt tam praeceps, quam prioris; hinc etiam hic potius frigidus, et ſcorbutus marinus calidus appellari poſſet.

Oſſa ubicunque praecipue pati, extra omne dubium eſt poſitum, nec propterea a vero eſt alienum, acrimoniam ſcorbuticam ſuccum oſſeum eſſe corruptum.

Momentum rationis medendi in eo ſitum eſt, quatenus in cauſas indicatas agere licet. Quodſi homines ſcorbutici e regionibus humidis et frigidis in calidiores transferri, cibi illis recentes e regno vegetabili praeberi, illi excitari, in exercitationemque cor-

poris collocari poſſunt, ſaepe jam hoc ad morbum tollendum ſufficit.

In ſcorbuto univerſali generatim tota res pendet ab alimentis, regione coeli, motu corporis atque animi mutationibus, quorum applicatione apta morbus citiſſime tolli poteſt. In ſcorbuto e contrario autem in continenti terra ſporadice occurrente uſus optimorum remediorum reſolventium admodum conſtans requiritur. Vid. *Elixirium antiſcorbuticum.*

Aër fixus magnam generatim in ſcorbuto oſtendit virtutem. Aqua ſelterana cum vino campanico proinde, aut ſi hoc fieri nequeat, decoctum hordei toſti ordinari poteſt. In cibum quoque frequenter fructus horaei acidi, plantaeque ſic dictae antiſcorbuticae adhibentur.

Ubique autem praecipue ad humorum emendationem tranſpirationemque auctam eſt reſpiciendum, atque evacuationes efferae ſunt evitandae. Pharmaca aptiſſima ſunt acida mineralia atque alexipharmaca.

Gingiva corrupta cum ſolutione aluminis in melle roſarum illinitur, ut in ulceribus aqua ſclopetaria Thedenii laudabilis eſt uſus. Cum aëre fixo illa quoque tractari poſſunt, quod optime ita fit, ſi lagenae vacuae apud Zythopaeum impleantur, cum iisque ulcera crebro perfundantur. Puls daucorum propterea tantum ſaltem utilis eſſe videtur, quia aër fixus ex ea evolutus ulcus corrigit. Ad gingivas corrigendas quo-

que eſt conſultum, acidum tartari eſſentiale cum terra quadam alcalina permixtum atque in aliquanto aquae dilutum in ore circumluere.

Ad haemorrhagias ſedandas alumen cum urina et theriaca mixtum prodeſt.

In ultimo morbi ſtadio motus aegroti et mutatio aëris cautiſſime ſunt inſtituendi, ad alias facile oriundas lipothymias atque oſſium fracturas evitandas.

De Scrophulis.

Scrophulae ſunt tumores glandularum ex acrimonia ſingulari atque propria conſtantes, indolis adhuc ignotae, quae tamen propago acrimoniae arthriticae et venereae eſſe videtur.

Ab indurationibus conſuetis ſeu ſcirrhis mobilitate ſua majori, duritieque minori illae diſtinguuntur.

Huic acrimoniae glandulae colli, axillarum et pancreatis maxime ſunt expoſitae, mammas mulierum tamen quoque ea invadit. Quodſi tantum glandula thyroidea eſt adfecta, ea *ſtruma* vocatur.

Haec ſtruma tamen ab ea differt, quae quibusdam in locis endemica eſt, et de qua inferius erit agendi locus.

Nonnumquam nullae glandulae induratae obſervantur, ubi tamen acrimonia ſcrophuloſa in corpore adeſt. Ea, inprimis in infantibus, e proclivitate ad

oculorum inflammationes, e tumore labii ſuperioris, ex exanthematibus impetiginoſis frequentioribus, atque e concoctione debilitata, ventriculo exiſtente ſano, cognoſcitur.

Indoles hujus acrimoniae eſt adhuc penitus ignota. Certum eſt, omnia exanthemata ſcabioſa crebro cum ſignis hujus acrimoniae ſcrophuloſae eſſe conjuncta. Frequenter etiam obſervavi, herpetes ad ſigna hujus acrimoniae pertinere, et porro non raro deprehendi, herpetes ſequelam gonorrhoeae neglectae et retropulſae eſſe. Quemadmodum omnes hi morbi inter ſe connectantur, quique mater reliquorum ſit, nec dum conſtituere l cet; quum interim circa gonorrhoeam et fluorem album, tam rara adhuc hoc in reſpectu capta ſint experimenta, in eo res vertitur, num plura adfutura ſint facta, quae nos ad hunc diem fefellerunt, quoniam a nobis morbus numquam hujus indolis eſſe creditus fuit. Quam maxime veriſimile eſſe mihi videtur, acrimoniam ſcrophuloſam miaſmatis venerei propaginem, ſimulque cauſam herpetum, gonorrhoeae et fluoris albi eſſe. Acrimonia illa ſaepe ſaltem aeque eſt contagioſa.

Veroſimile pariter eſſe videtur, debilitatem vaſorum lymphaticorum in glandulis partim rationem ſcrophulatum in ſe continere, quoniam ſaepe tantum roborantia ſunt utiliſſima.

Glandulae ipſae nonnumquam in ſuppurationem lentam, ſpongioſamque tranſeunt. In ulcera quoque cancroſa degenerare poſſunt. Obſtructio glandularum abdominis facile parit febrem tabidam. Acrimonia ipſa in pulmones dejici, atque exulcerationem et phthiſin producere poteſt.

In infantibus ſexus ſequioris ſymptomata acrimoniae ſcrophuloſae ſaepe fluxu menſtruo imminente imminuuntur, ſed eo ceſſante utplurimum per indurationes in mammis aut utero rurſus comparent.

Nullum adhuc adverſus hanc acrimoniam infallibile cognitum eſt remedium. Cicuta et mercurialia egregium ſubinde praeſtant uſum, etiamſi illa numquam virus perfecte extirpent. Vid. *Aethiops antimonialis*. Externe epithemata e cicuta cum agarico, aut etiam emplaſtrum de ammoniaco cum mercurio, atque emplaſtrum reſolvens Schmuckeri inſerviunt. Diaeta optima, hoc eſt, evitatio omnium ciborum et potuum acrium atque exaeſtuantium, alacritas animi, manſio in regionibus calidis, uſus aquarum mineralium externus atque internus, atque exercitatio corporis ſalutaria ſaepe ſe praeſtiterunt.

Ulcera mercurio praecipitato rubro ſunt tractanda. Utiliter quoque, quodſi ea ſunt vehementer maligna, arſenicum adhiberi poteſt.

Quamdiu glandulae ſcrophuloſae cum partibus tendinoſis minime ſunt concretae, ſemper adhuc ex-

pectari licet, reſolutionem ejusdem per cataſtrophen quandam in corpore ſponte reſolutum iri. Quodſi autem hoc contingit, de educenda acrimonia per ſudorem atque urinam debemus eſſe ſolliciti, alias enim facile conſequuntur hydropes, aſthmata aliaque ſymptomata. Vide *Potio antilyſſa.*

De Morbo anglico.

Rachitis.

Hic morbus non facile in adultis oritur, ſed plerumque in infantibus; haud facile ante menſem ſextum et raro poſt annum decimum.

Is e ſymptomatibus ſequentibus cognoſcitur. Fines et capita oſſium inprimis extremitatum intumeſcunt, e contrario pars eorum media decreſcit. Facile praeterea oſſa tam mollia fiunt, ut ea actioni muſculorum cedant, curvaturasque forment. Caput eſt magnitudinis inſolitae. Abdomen, inprimis hypochondrium dextrum vehementer eſt turgidum. Caro eſt laxa, et color cutis pallidus. Concoctio eſt mala, magnaque adeſt proclivitas ad acidum, quare etiam dentes ſunt peſſimi.

Morbus primum in anglia inter annos 1612 et 1620 innotuit. Is illic *rickets* atque apud Gallos *noueure* vocatur. Num is autem ſit novus, atque annon

ſubditi veterum proprie ſint infantes rachitici, adhuc in judice lis eſt.

Cauſa proxima eſt acrimonia ſingularis, naturae adhuc ignotae, quae tamen ſcrophuloſae affinis eſſe videtur.

Infantes e parentibus prognati, qui materiam veneream, ſcrophuloſam et ſcorbuticam in corpore habent, multisque animi pathematibus ſunt obnoxii, infantes male nutriti, in locis humidis atque impuris educti, atque a nutricibus minime ſanis alti, prae aliis ab hoc morbo vexari ſolent. Num vero acrimonia ipſa per parentes propagetur, eſt incertum, vero tamen ſimile.

Nonnulli infantes ſunt vividiſſimi atque ingenioſi, alii ſtupidiſſimi. In prioribus exulcerationes et conſumptiones facile oriuntur, in poſterioribus facile hydropes. Oſſa habitum naturalem ſaepe rurſus nanciſcuntur, ſaepe autem quoque deformes manent, atque in ſexu ſequiori partubus difficillimis anſam praebent. Hepar inprimis hoc in morbo patitur, ita ut dejectiones alvi ſaepe penitus albae ſint, quod tamen vix ab obſtructione hepatis, e prava bilis ſecretae qualitate autem oritur, uti generatim in omnibus humoribus acidum animadvertitur, quod ſaepe tantum eſt, ut gelatina oſſium reſolvatur, oſſaque eo reddantur admodum fragilia.

Contra acrimoniam ipſam nullum adhuc innotuit remedium ſpecificum. Cardo proinde rationis medendi praecipue in eo vertitur, ut vitae ratio mutetur, infantes in puriorem et ſicciorem transferantur aërem, atque ipſi puri et ſicci ſerventur, cibi illis concoctu faciles et nutrientes praebeantur, mucus per remedia lenia, e. g. terram foliatam tartari et tartarum tartariſatum reſolvatur, acidum per magneſiam muriaticam dometur, atque impuritates per rhabarbarina educantur; (Vid. *Liquor terrae foliatae tartari*) praeterea perſpiratio lenis per decocta ex herba brittannica, (*Rumex aquaticus*) aut e rubia tinctorum, quae tamen ſaepe non nimis calida ſunt bibenda, ſuſtentetur, deinde inſtrumenta concoctionis per remedia amara, inprimis per extractum fumariae (Vid. *Elixirium roborans et reſolvens.*) et denique extremitates ipſae per balnea frigida roborentur. Pro potu ordinario aqua ſelterana exhiberi poteſt, quae, quodſi illa copia in ſufficienti bibitur, eximium praeſtat uſum.

Paedarthrocace.

Sub hoc morbo ſpecies ulcerum quaedam intelligitur, quae aut ſymptoma rachitidis ſunt, aut ſaltem ſub iisdem circumſtantiis occurrunt.

Infantes de aliquo loco queruntur, in quo nihil videtur, neque preſſione dolor excitatur. Aliquanto

poſt

poſt tumor naſcitur, qui nonnihil tenſus, ſed non durus eſt, at poſt tres aut quatuor ſeptimanas fit rubicundus, denique lividus, erumpit, pusque tenue et rubicundum emittit. Ulcus ipſum uſque ad os penetrat, quod plerumque inſimul invaſum, turgidum et carioſum eſt.

Hic morbus cum ſpina ventoſa non eſt confundendus, a quo in eo diſtinguitur, quod is lente et cum dolore leni incipiat, et generatim multo ſit periculoſior.

Quodſi morbus cognoſcitur, antequam tumor compareat, extemplo puritati et correctioni inſtrumentorum concoctionis eſt ſtudendum, et loco laboranti unguentum mercuriale eſt infricandum. Simulac vero tumor apparet, apertio quamprimum eſt promovenda. Tumor apertione facta ut tumores ſoliti non tractatur. Remedia exſiccantia multum hic nocere poſſunt, et plurimum a natura eſt exſpectandum, cui ſecundum indicationes eſt ſuccurrendum. Quodſi vero ulcus nimium impurum redderetur, mercurius praecipitatus ruber utiliter adhiberi poteſt. Praeterea interne pharmaca reſolventia atque ſanguinem purificantia exhibentur, atque eodem pacto, ut in rachitide, proceditur.

Nonne hic morbus cum carie vertebrarum inferius pertractanda ejusdem fuerit naturae, ſi nempe poſterior ſine omni externa occaſione data oritur?

De Exanthematibus chronicis.

Sub *exanthematibus chronicis* talia intelliguntur, quae non habent febrem comitem, raroque per ſolam naturam ſanantur. Omnia fere vitia cutis huc pertinent. Nobis autem hic ſermo eſt tantum de illis, quae ſine detrimento ſanitatis negligi nequeunt, atque morbos per ſe efficiunt.

Omnia fere ex acrimonia ſcrophuloſa, ſcorbutica et venerea oriuntur. Multa autem ſibi propriam, atque his minime affinem acrimoniam pro cauſa agnoſcunt.

Cruſta lactea.

Morbus apud Germanos ſub nomine *Anſprung* eſt cognitus.

Infantes, inprimis lactentes, ſaepe in facie puſtulis parvis, latis, rubris, vehementer prurientibus, pusque flavidum in ſe continentibus invaduntur.

Etiamſi infantes cum his puſtulis plerumque alacres ſint, illae tamen originem ſuam ex acrimonia interna ducere videntur, quae procul dubio indolis eſt ſcrophuloſae, quoniam experientia oſtendit, tales inprimis infantes illis eſſe obnoxios, qui aut e parentibus ſcrophuloſis ſunt nati, aut tales ſuxerunt nutrices, et quia in hoc morbo plerumque etiam ſcrophulae prodeunt. Diſpoſitio infantum in eas cogno-

ſcitur, ſi facies proportionaliter nimium ſit craſſa, et loca in facie compareant livida, urina puteat, infanteſque libenter faciem fricent.

Morbus uſque ad annum ſextum, ſeptimum durare poteſt, ubi is plerumque per ſe evaneſcit.

Is eſt procul dubio, ut jam innuimus, ejectio acrimoniae internae, e valetudine autem infantum, inertiaque omnium remediorum internorum colligere licet, puſtulas, quodſi illae jam eruperint, non amplius ab acrimonia interna, ſed per ſe, et per frictionem infantum ſuſtentari, et proinde ut morbus cutaneus reſpici poteſt. Nihilo tamen ſecius haud eſt conſultum, puſtulas remediis exſiccantibus tractare, quia retropulſio hujus acrimoniae in cute contentae noxias omnino habet ſequelas. Potius eſt conſiderandum, tamquam quoddam, cui jam natura adſueverit, quodque ſine damno ejus prius ſanari nequeat, quam ipſa ſanationem ſuſcipiat.

Omnia, quae hic inſtituere licet, huc redeunt, ut infans, ſi is adhuc ſugat, ablactetur, inprimis ſi conſtat, nutricem in infantia cruſta lactea laboraviſſe, quoniam morbus non ſolum eſt haereditarius, ſed etiam facile contagioſus.

Remedia contra acrimoniam ſcrophuloſam ſpecifica propterea minus ſunt commendanda, quoniam morbus per ſe non eſt periculoſus, uſus vero horum

remedionum noxius fieri poteſt, nec tamen nos de extirpatione acrimoniae certos eſſe licet.

Natura plerumque ſanationem hujus exanthematis ipſa perficit, febrem excitando, quo ſpecies quaedam inflammationis, ſuppurationis atque exſiccationis exanthematis producitur, atque ita morbus tollitur. Conſultum proinde eſſe arbitror, hanc criſin exſpectare, eo etiam magis, quum ex experientia conſtet, remedia mercurialia, acidum vitrioli et violam tricolorem, aut noxia, aut inertia eſſe.

Saepe videtur, quaſi lympha tantum per irritationem eſſet corrupta. Infantes ad cruſtam lacteam proclives, facile ab ea in quavis dentitione invaduntur. Loco diarrhoeae aut tuſſis conſuetae, hic cruſta lactea comparet, quae iterum exſiccatur, dente erumpente atque adeo nulla amplius irritatione ſuperante.

Achores.

Eſt quaedam ſpecies *puſtularum capitis*, quae aut cum cruſta lactea, aut brevi poſtquam ea evanuit, in conſpectum prodit, ejusdemque eſt indolis.

Aeque eſt innoxia, quam cruſta lactea, eodemque pacto hic etiam proinde otioſos nos eſſe licet.

Favus.

Alia ſpecies *puſtularum capitis* ex ulceribus parvis, pus melli ſimile emittentibus, plusque indolis ſcabiei in ſe continentibus conſiſtit.

Maxima ex parte deſcindendo capillos opitulamur, atque hic jam tutius mercurium praecipitatum album adhibere licet, inprimis ſi ulcus praeterea per veſicatorium per aliquod tempus ſervetur apertum.

Tinea capitis.

Non ita autem ſe res cum *tinea capitis* habet, quae indole ſua maxime a prioribus puſtulis differt. Ea eſt contagioſa, nec facile ſine auxilio artis tollenda.

Cruſta ſicca ſupra caput formatur, quae ſubinde unum digitum eſt craſſa, et modo flava, modo ſubviridis, modo albida eſt, totumque obtegit caput. Plerumque ſimul quispiam locus adeſt, e quo pus emanat foetidum, per quod tinea capitis inoculari poteſt.

Hoc exanthema magis morbus radicum capillorum eſſe, quam e cauſis internis naſci videtur, ſaltem minime per cauſas internas ſuſtentari, quandoquidem cum remediis internis nihil effici poteſt.

Majoris ſunt remedia efficacitatis, per quae capilli, una cum radicibus extirpantur. Hunc in uſum emplaſtra emollientia atque viſcida inſerviunt, quibus caput tegitur, quaeque per aliquod tempus immota relinquuntur, deinde vero detrahuntur, ita ut capilli ſimul cum ſuis radicibus illi adhaereant. Non quodvis autem emplaſtrum hunc in finem eſt aptum. Cum illo ſimul eſcharotica lenia ſunt conjungenda.

Inprimis ſalia lixivioſa ad cruſtam tam firmam atque alias inſolubilem emolliendam ſunt apta.

Plica polonica.

Morbus, a tinea capitis quam maxime atque eſſentialiter differens, capillorum, eſt *plica polonica*, qua inprimis Tartari, Ruſſi et Poloni tentantur, apud quos hoc malum eſt endemicum.

Morbus in eo conſiſtit, quod humiditas ſpecifica viſcida e capite ſudet, qua capilli conglutinantur, et funiculos formant, qui interdum in longitudinem excreſcunt inſignem.

Prae aliis morbis hujus ſpeciei ab acrimonia interna pendere, ab eaque ſuſtentari videtur. Eruptionem hujus humoris ingentes dolores capitis, colli atque artuum praegrediuntur, et niſi eruptio conſequatur, ulcera maligna in aliis locis, inprimis in unguibus, coecitas, convulſiones, deliria naſcuntur; quae vero ſymptomata omnia per eruptionem humoris tolli poſſunt, quae proinde hic ut critica eſt conſideranda.

Morbus eſt haereditarius et contagioſus. Nihil certi praeterea de origine ac indole hujus acrimoniae nobis eſt cognitum. Immundities pro cauſa illius adlata fuit, conglutinatio capillorum inde conſecuta autem a vera plica polonica longe differt.

Neque ars remedium quodvis ſpecificum contra hanc acrimoniam praeſtat. Omnia, quae illa efficere poteſt, ſunt, eruptionem humoris difficilem per remedia emollientia circa caput adplicata, per diaphoretica et veſicatoria promovere, retropulſionemque ejus ſedulo evitare, hinc etiam deſciſſio capillorum concretorum ſumme eſt periculoſa, atque ita morbus ipſe eſt inſanabilis.

Herpes.

Auctores hoc exanthema quoque *impetiginem* appellant. Germanis ea *Flechten*, Gallis *dartres* dicuntur.

Impetigines e minutiſſimis cutis ulceribus conſiſtunt, quae tamen numquam verum pus emittunt, ſed plerumque ſunt ſicca, aut ſaltem humorem mittunt acrem et desquamantur, nec tamen evaneſcunt. A reliquis exanthematibus quoque in eo diſtinguuntur, quod illa ſuperficiem plane cutis occupent, atque aut latius ſerpant, aut ut eryſipelas locum ſuum mutent.

Datur quoddam exanthema, quod quidem indolis eſt impetiginoſae, ſed tamen naturae eſt acutioris, ſimilitudinemque cum exanthematibus eryſipelatoſis habet. Illud *herpes miliaris* vocatur.

Conſtitutiones ſcrophuloſae inprimis illis ſunt obnoxiae, illae tamen quoque ut eryſipelas oriu

ſubinde e ſola acrimonia biliosa. Saepe quoque poſt haemorrhoides ſuppreſſas prodeunt. Acrimonia ipſa gonorrhoeae indolis impetiginoſae eſſe videtur, quia gonorrhoea ſuppreſſa ſaepe *herpetes* in conſpectum prodeunt.

Utrum revera dentur herpetes venerei, an vero ſemper ii tantum ex acrimonia gonorrhoeae oriantur, non ſum decernendo. Conſtat, in ſubjectis venereis ſaepe herpetes obſervari, qui uſui mercurii non cedunt, etiamſi mercurialia cauſtica, inprimis externe adhibita, praeſtantiſſimae in herpetibus ſunt utilitatis.

Generatim hoc exanthema attentionem omnium medicorum meretur. Cognitio indolis originisque ejusdem multum lucis in cognoſcendis ulceribus cancroſis ſuperficialibus, in ſcrophulis, in fluore albo atque in gonorrhoea, praebere poſſet.

Ubi cauſa illius bilis eſt acris, ſaepe aliquot purgantia mercurialia, atque externe veſicatorium herpeti impoſitum, ſufficiunt.

Ubi vero acrimoniam ſcrophuloſam ſuſpicari licet, mercurius praecipitatus albus, et magiſterium ſaturni externe ſunt applicanda, quibus ſaepe ad quatuor vel quinque menſes ſine interruptione eſt continuandum.

Interne bona diaeta, decoctis ſanguinem purificantibus atque diaphoreticis multum ad curationem morbi contribuere licet.

Quodſi praeterea acrimonia venerea ſimul ſuſpicari poteſt, interne mercurius ſublimatus, aut ſolutio mercurii in acido nitri propinatur. Caput rei ſemper eſt diaeta bona, et correctio humorum univerſalis.

Scabies.

Scabies ex ulceribus ſingulis inprimis tempore noctis prurientibus conſiſtit, quae aut ſolum humorem, aut pus verum continent.

In priori caſu ea *ſicca*, in poſteriori *humida* nuncupatur. Non in quavis ſcabie contingit ſuppuratio, ubi autem pus prodit, plerumque illud humor ejusmodi praecedit. Plurimae ſcabies ſiccae fiunt proinde humidae, ſed non quaevis ſcabies humida fit ſicca.

Plerumque primum in manibus erumpit, rariſſime autem faciem invadit.

Naſcitur ea:

1) In conſtitutionibus ſcrophuloſo - ſcorbuticis, ubi ea ut excretio hujus acrimoniae eſt conſideranda.

2) Ex acrimonia venerea, ubi vero ulcera magis dolent, quam pruriunt, atque etiam facile in facie comparent.

3) E contagio externo.

4) Naſcitur ea nonnumquam poſt febres acutas, ubi ea etiam plerumque ſtipatur febricula. Hi

caſus autem ſunt rariores, atque aut tantum in caſtris, aut quoque tempeſtatibus anni ſtatis occurrunt.

5) Subinde ſcabies eſt criſis febris intermittentis, aut melancholiae.

Cauſa eſt acrimonia peculiaris, quae facile inficit. Quidam medici ſpeciem acarorum quandam pro cauſa ſcabiei per contactum externum ſe communicantis exiſtimant, qui ovula in cutem deponere, atque eo ipſo ulcera prurientia producere exiſtimantur. Neque eſt negandum, quia ſaepe haec inſecta in ulceribus ſpeciei ſcabiei in medium prolatae invenirentur. Verum tamen videtur, quam ſi extra vermes conſtitutio cutis peculiaris tamquam fundamentum adſit, in quam in medendi ratione praecipue eſt reſpiciendum. Permutatio ſaltem metaſtatica et ratio ſcabiei critica e ſolis acaris non bene, vel autem e ſingulari conſtitutione cutis vitiata et fluido in ea contento explicari poſſunt.

Ratio medendi pro diverſitate circumſtantiarum indicata inſtituitur.

Ubi acrimonia ſcrophuloſa et ſcorbutica adeſt, ſcopum ſaepe per uſum ſulphuris, inprimis hepatis ſulphuris ſalini, internum conſequimur, quo ſaepius enitendum eſt, ſudorem producere. Niſi hoc ſufficiat, externe mercurius praecipitatus albus in auxilium adhibetur, aut balnea calida imperantur, in

quibus drachma una aut plures hepatis ſulphuris ſolvuntur.

Scabies venerea interne cum mercurio ſublimato, atque externe mercurio praecipitato rubro tractatur.

Scabies e contagio externo maxima ex parte per ſolum externum mercurii praecipitati albi uſum tollitur.

Quodſi ſcabies tantum e puſtulis minutis conſiſtit, et magis ſcabies ſicca, hoc eſt, talis eſſe videtur, e qua tantum humor acris manat, et ſimul quodammodo epidemica eſt, aut ſaltem multi homines ſimul ab ea invaduntur, acidum vitrioli interne exhibitum eximii eſt uſus.

In ſcabie critica nihil omnino eſt inſtituendum; quodſi ea nimium diu duraret, danda eſt opera, ut acrimonia interna per ulcera artificialia aut remedia interna expurgetur.

Lepra.

Species quaedam ſcabiei humidae ſeu herpetum eſt ea, quam Graeci *lepram* appellarunt. A prioribus exanthematibus tantum in eo diſtinguitur, quod non ſolum totum corpus, ſed etiam facies cruſta craſſa furfuracea eſt obducta, ſub qua plerumque cutis cruda jacet.

Vitiligo, morphoea, alphus, leuce, et melas auctorum ſpecies hujus morbi eſſe videntur.

Hoc genus leprae haud raro apud nos occurrit, ac indoles exanthematis vitiliginoſa ſeu herpetica eſſe videtur. Homines ab ea invaſi utplurimum glandulis ſcrophuloſis gaudent, atque horum ego quosdam hepate ſulphuris interne atque externe illud adhibendo ſanavi. Sed nonnumquam etiam conſequitur tabes lethalis.

Bona diaeta, balnea calida, et decoctum e ligno ſancto concentratiſſimum mane et veſperi hauſtum, ita ut ſudor producatur largus, inſignis ſunt pariter utilitatis, praecipue ſi uſus horum remediorum ſatis diu continuatur.

Elephantiaſis.

Hic etiam morbus quidem lepra appellatur, ab ea tamen diſcernitur per plura ſymptomata maligna, et per hoc, quod cutis fiat dura, inſenſibilis et nodoſa, ita ut ea ſimilitudinem quandam cum cute elephantorum obtineat. Pedes inprimis tam deformes fiunt, ut etiam illi pedibus elephantorum ſimiles eſſe videantur, unde igitur etiam nomen enatum.

Praeterea labia intumeſcunt, alae naſi redduntur patulae, et nodi cutis plerumque in ulcera degenerant maligniſſima.

In initio ſuo difficillima eſt cognitu, color tamen cutis, in locis, ubi malum erupturum eſt, mutatur,

atque ea ſit inſenſibilis. Color capillorum pariter in iisdem locis mutatur.

Morbus in Arabia eſt endemicus, et idem, quem Moſes in legibus deſcripſit leviticis. Quodſi is proinde lepra nominatur, a priori in eo diſtinguitur, quod haec lepra arabum appelletur, e contrario illa dicitur lepra Graecorum.

Cauſa eſt miaſma peculiare, quod maximopere a venereo diſtinguitur, nec cum mercurio ſanari poteſt.

Ceterum eodem tractatur modo, ut lepra. Externe in India ſpecies quaedam cuſcutae adhibetur; quae cum ſucco limoniorum in pultem praeparatur, qua maculae et nodi inunguntur.

Singulare hujus morbi eſt ſymptoma laſcivia invincibilis. Hic morbus nonnumquam a priſcis mortalibus per caſtrationem quoque eſt ſanatus. Nonne proinde fons mali ſecretio ſeminis nimium larga fuerit? Et eſt forſitan hic morbus mater acrimoniae gonorrhoeae venereae?

De Ulceribus chronicis.

Etiamſi hi morbi vulgo tamquam ad ſolam chirurgiam pertinentes habeantur, cognitio eorundem tamen medico tanto magis eſt neceſſaria, quum illi cum ſanitate hominis interna plerumque arctiſſimum

habeant nexum, ab eorumque tractatione haud raro vita et mors pendeant.

Pars corporis, cujus partes ſolidae a ſe invicem ſeparatae ſunt, pusque emittunt, *ulcus* nuncupatur.

Eſſentia itaque ulceris conſiſtit in ſuppuratione. Pus ipſum eſt ſuccus lymphaticus mutatus, et procul dubio minime naſcitur e partium ſolidarum reſolutione, quoniam ulcera ſaepe per plures annos ſine mutatione partium ſolidarum notabili permanere poſſunt. Neque eſt excretio e ſanguine, qui in ulceribus conſuetis ab omni pure liber deprehenditur.

In febri variolarum ſecundaria quidem tales puris metaſtaſes oriuntur, ipſa variolarum ſuppuratio autem initio ſemper tantum in puſtulis contingit. Veroſimile proinde eſt, pus eſſe lympham in ulcere mutatam et corruptam. Videlicet cauſa irritans ſpaſmum in finibus vaſorum producit, ita ut per hoc ſecretio lymphae purae impediatur, et loco illius pus producatur. Quo minor hinc acrimonia eſt, eo pus lenitati lymphaticae propius accedit; quo major et malignior autem acrimonia eſt irritans, eo pejus, acrius atque corruptius erit etiam pus.

Cauſa porro irritans aut eſt tranſiens, aut permanens, hoc eſt, acrimonia continetur aut in ſolo ulcere, atque hoc in caſu per ſuppurationem mox ejici poteſt, aut continuatur extra illud, et pergit in ulcus agere, atque hic profecto ſanatio non prius conſequi

poteſt, quam haec acrimonia continuo in ulcus agens ſublata ejectaque eſt. Locus etiam eſt caſui tertio, ubi acrimonia quidem tantum in ulcere adeſt, quae autem ſanguini communicatur atque ita cellam conſtituit penuariam, e quo ulcus perpetuo ſuſtentatur.

Haec acrimonia porro a cauſis aut internis, aut externis oritur. Utraeque aut tranſeuntes aut permanentes eſſe poſſunt.

Acrimonia interna tum eſt tranſiens, cum ea tota in ulcus eſt dejecta, nec ulla amplius nova acrimonia in ulcus agit. Hic e. g. caſus in phlegmone ordinaria externa obtinet. Permanens vero eſt ea, quum acrimonia ſemper adhuc in corpore reſtat, quae pergit ſe in ulcus dejicere.

Acrimoniae externae plerumque ſunt tranſeuntes, permanentes tamen pariter fieri poſſunt, ſanguinem inficiendo, et illic ſibi fontes aperiendo, ut hoc e. g. in ulceribus venereis contingere poteſt.

Momentum rationis medendi generatim huc redit:

1) Acrimoniam tollere, aut eductionem ejus maturare; et

2) partes ſeparatas iterum in contactum referre.

Primum fit aut per eductionem immediatam, acrimoniamque irritantem ſublatam, aut per hoc, ut viribus illius obex ponatur, quemadmodum, e. g. remediis emollientibus ſpaſmum vaſorum tollere, atque eductionem acrimoniae promovere contendimus.

Quamprimum maxima acrimoniae pars eſt ſublata, quod e puris lenitate, et bona partium ſolidarum conditione cognoſcitur, molimur partes ſolidas in conjunctionem ducere, atque ita conſolidationem ſeu ſanationem vulneris promovere. Creditum quidem alias fuit, pus reſolutionem partium ſolidarum eſſe, nec ulcus prius ſanari poſſe, quam natura partes organicas amiſſas rurſus reſtituiſſet; obſervationes autem evincere videntur, primo, quod raro e partibus ſolidis multum amittatur, et ſecundo, quod ſanatio per formationem duntaxat epidermidis contingat. Quamprimum proinde eſt ulcus purgatum, generatio novarum partium non eſt exſpectanda, ſed enitendum eſt, ut partes ſeparatae per ligaturam et pharmaca roborantia, atque adſtringentia, quorſum inprimis aqua frigida ac cortex peruvianus pertinent, ad contactum mutuum adducantur.

Ulcus topicum benignum.

Huc pertinent omnia illa ulcera, quae in corpore ſano ex acrimoniis evaneſcentibus oriuntur, pus emittunt benigniſſimum, et tractatione apta facile ſanantur.

In hac tractatione magis nos otioſos quam agentes praeſtare debemus, quia ipſa natura opus facillime perficit. Illa itaque tantum tollere ſtudemus, quae novam producerent irritationem. Ligatura ſimplex

facilis

facilis atque ad ſummum epithemata emollientia ſunt omnia, quae arti facienda incumbunt.

Ulcus topicum corruptum.

Sub hoc nomine talia intelliguntur, ubi quidem prima ulceris cauſa eſt acrimonia tranſiens, ulcus vero ab aliis cauſis irritantibus alitur atque corrumpitur.

Cauſae ſunt:

1) Quum inflammatio praegreſſa nimium fuit vehemens, ac jam proclivitas ad gangraenam adeſt.

Contendimus hic hanc propenſionem per epithemata ex aqua frigida, cortice peruviano cum ſale ammoniaco tollere, atque ita ſuppurationem bonam promovere.

2) Quodſi inflammatio nimium profunda fuit, nec mature ſatis nec ſufficienter fuit aperta.

Hoc in caſu pus incluſum multum e partibus ſolidis reſolvere ſolet, tantopere etiam illud per hoc in ſua mixtura mutatur, ut illud aditu aëris liberi facillime acquirat qualitatem putridam. Contendimus hic ulcus ſufficienter aperire, atque ab omni pure mundificare, quod poſterius autem per ſola emollientia fieri debeat, niſi proclivitas ad gangraenam adſit.

3) Quodſi acrimonia in ulcere contenta tam eſt vehemens, ut ea perpetuo adhuc inflammatio-

nes partium ſolidarum contiguarum producat, et per hoc ſecretionem boni puris ſupprimat.

Epithemata calida emollientia plerumque hic ſufficiunt ad tenſionem partium ſolidarum tollendam, exitumque acrimoniae promovendum.

4) Quodſi proclivitas ad putredinem adeſt, ulcusque aëri externo nimium eſt expoſitum, qui, ut notum eſt, putredinem promovet.

Quum in quavis ſuppuratione major aut minor gradus putredinis adſit, regula etiam facta eſt fundamentalis, omnia ulcera ab actione aëris externi per aptas et raras ligaturas eſſe tuenda.

5) Quodſi ulcus frigori nimium eſt expoſitum.

Nihil ſuppurationem bonam magis promovet, quam calor, nec quidquam illi magis eſt adverſum quam frigus. Quod optime inde explicari poteſt: quoniam frigus ſpaſmum vaſorum minimorum producit, et calor eam vaſorum parit relaxationem, quae ad ſeparationem boni puris requiritur.

6) Quodſi partes corporis, cui ulcus ineſt, nimis vehementer moventur.

Propterea ulcera in pedibus tam difficulter ſanantur, hinc quies eſt remedium ad ſanationem omnium ulcerum neceſſarium.

7) Quodſi juſto minor gradus inflammationis praeceſſit.

Hujus generis ſunt illa, quae, antequam aperiantur, plurimum in ſe continent humoris aquei. Enitendum hic eſt, per remedia irritantia partes in aliqualem inflammationem ducere, quem in finem plerumque mercurialia cauſtica aptiſſima ſunt. Nonnumquam etiam ſola roborantia atque adſtringentia ſufficiunt.

8) Quodſi partes ſolidae totius corporis nimium ſunt relaxatae et debiles.

Ad bonam ſuppurationem ſemper requiruntur vires, quae proinde, ubi illae ſunt debiles, per pharmaca roborantia, inprimis per corticem peruvianum interne adhibitum, ſunt ſublevandae.

9) Quodſi ulcus male eſt curatum.

Plurimi chirurgorum errorem per nimium uſum remediorum irritantium committunt, atque eo ipſo haud raro ulcera reddunt maligna et diuturna, quae, ſibi ipſis relicta, a natura non ſanantur.

10) Quodſi margines ulceris ſunt ſpongioſi atque indurati, quod ex omnibus cauſis ſuperius adlatis evenire poteſt. Nitimur hic partes ſpongioſas aut per remedia cauſtica idonea, aut per ligaturam, aut per cultrum tollere.

Antequam ad ulcera ab acrimonia interna permanente oriunda venirem, locus hic eſt, de canone

quodam practico dicendi, qui ad hunc diem necdum ſufficienter conſtitutus eſt.

Frequentes adſunt obſervationes, quod multa ulcera, ſi illa jam per tempus diuturnum aperta fuerunt, ſine diſcrimine ſanitatis conſolidari nequeant.

Itaque quidam medicorum ulcera antiqua penitus prohibuerunt ſanare.

Obſervationes tamen quoque non deſunt, multa ulcera antiqua ſine ſequelis fuiſſe ſanata, et quum ulcus ſemper adhuc ſit malum, a quo quivis libenter liberari cupiat, atque ulcus quoque per ſe facile ſequelas noxias poſt ſe trahere queat, operae eſſet pretium, certas habere regulas, e quibus conſtitui poſſet, quae ulcera ſint ſananda, quae non.

Tantum ſaltem ex omnibus experimentis deduci poteſt, quod omnia ulcera, per quantumcunque temporis ea duraverint, et quomodocunque exitum acrimoniae e corpore promoverint, tuto ſanari poſſint, quodſi tantum in vicinia illius fonticulus aperiatur, ex quo non tam facile ſequelae noxiae ſunt pertimescendae, quam ex ulcere ipſo.

Ulcera, quae ab acrimoniis per pharmaca tollendis in corpore aluntur, pariter ſine periculo, quid? quod ſine fonticulo ſanari poſſunt. Hujus generis ſunt ulcera venerea.

Ulcera autem, quae ex acrimonia occulta oriuntur, aut jam tamdiu duraverunt, ut natura huic ex-

cretioni ſit nimium adſueta, haud facile ſananda ſunt, absque fonticulo in locum illorum aperto.

Magnum quoque hic ſitum eſt momenti in obſervatione accurata. Quamprimum in ulcere ſanando minima mutatio in corpore animadvertitur, quae aliquantum extimeſcenda eſſet, aperienda extemplo ſunt ulcera atque in curſum reducenda. Illud duntaxat reſpiciendum incumbit, ut ſuppuratio ſit bona nec nimium larga, ut aeger neque viribus exhauriatur, neque per reſorptionem puris acris atque putridi humores ejusdem corrumpantur.

Ulcera ex acrimonia bilioſa.

Eryſipelas neglectum ſaepe producit ulcera chronica, in quibus remedia interna evacuantia inſignis ſunt efficacitatis.

Dantur etiam ulcera in ſura, quae a corruptione hepatis pendent, et nonnunquam depoſitiones metaſtaticae ex illo eſſe videntur. Oritur nimirum in ſura tumor parvus, durus, profundus, plus aut minus dolens, qui in motu impedimento eſt. Cutis ſupra illum eſt ſine mutatione, et tumor paulatim fit major, manet autem durus. Denique obſervatur in profunditate fluctuatio, ubi tamen apertio jam eſt nimium ſera, quoniam oſſa plerumque jam ſunt invaſa, atque amputatio unicum remedium eſt probabile, quae ta-

men raro a morte tutos reddit, quia facile metaſtaſes aliis in locis contingere queunt.

Ulcera venerea.

Plerumque primum puſtulae rubrae oriuntur, e quibus humor emanat acris, et tum ulcus rubicundum doloris expers formant. Pus eſt flavo-viride, atque odore peculiari, non deſcribendo, praeditum.

Ulceribus exiſtentibus mundis ſatis habemus primo curationem internam, cum eaque connectimus tantum unguentum mercuriale emolliens, iisdem vero ſuppreſſis, tractantur ea cum mercurialibus cauſticis. Quodſi ea cum curatione interna per ſe ſanantur, ſic ſatis certi eſſe poſſumus, virus venereum eſſe eductum. Quodſi autem illa poſt perfectum uſum mercurialium internum ſanari nolint, et tamen ſufficienter ſuppurata, perfecteque munda fuerint, cum remediis exſiccantibus curatio perfici poteſt.

Ulcera ſcorbutica.

Ex *ulceribus ſcorbuticis* manat ſanies foetida cruenta, et partes ſolidae ſunt ſpongioſae, coloreque livido ſunt praeditae.

Acidum vitrioli atque cortex peruvianus interne et externe adhibita, nec non cataplaſmata e daucis egregiae ſunt hic virtutis. Etiam vapores ex aëre fixo ad ulcus admiſſi inſignis hic poſſunt eſſe uſus. V. *Aër fixus.*

Ulcera ſcrophuloſa.

Ulcera ſcrophuloſa habent ſuam ſedem ſemper in glandulis. Suppuratio lente admodum procedit, hinc etiam cum apertione ulcerum non eſt praefeſtinandum. Partes ſolidas fungoſas ea reddunt, et raro manat ex illis pus bonum, ſed plerumque ichor acris, viſcidus.

Ratio primum habenda eſt partium durarum emolliendarum, quod ſaepe per uſum cicutae externum perficitur. Ubi hoc non ſufficit, mercurialia adhibentur cauſtica. Ratio medendi conficitur per balnea frigida, uſum corticis peruviani internum, applicationemque remediorum ſaturnalium externam.

Herpes exedens.

Dantur ulcera, quae tantum in cutis ſuperficie deprehenduntur, ſed facile late ſerpunt, hinc etiam ulcera appellantur phagedaenica, aut etiam eſthiomena. Saepe tam ſunt maligna et pertinacia, ut propendeas illa pro cancroſis habere.

Haud raro interim uſui externo atque interno mercurii ſublimati atque arſenici cedunt. Ubi ea ſunt plana nec nimium late extenſa, ſufficit etiam mercurius praecipitatus albus. Non raro autem ſunt pertinaciſſima, et hinc jure quodam pro ſpeciebus cancri ſunt habita.

Dantur adhuc variae conditiones corporis praeternaturales, quae, etiamſi illae rationem ſufficientem ulcerum minime in ſe contineant, magnam tamen in ea habent vim, et hinc in curatione minime ſunt negligenda. Huc pertinent acrimoniae arthriticae, obſtructiones viſcerum abdominis, haemorrhagiae conſuetae ſuppreſſae, vitia partium ſolidarum, oſſium, ſyſtematis vaſorum, enervatio univerſalis, debilitas partis laborantis topica, acrimoniae exanthematicae et ſ. p. Saepe etiam plures cauſarum indigitatarum concurrunt.

De Cancro.

Cancer diſtinguitur in *occultum* atque *apertum*. Occultus ſuam ſedem in glandulis habet. Tumores glandularum, in quibus ſenſus dolorum lancinantium adeſt, plerumque in ulcera cancroſa erumpunt.

Cancer apertus ſeu *ulcus cancroſum* eſt indolis malignae, late atque alte ſerpentis, ſumme dolentis et foetidae.

Haec ulcera a phagedaenicis in eo diſtinguuntur, quod haec aut ex glandulis induratis orta fuerunt, aut per foetorem ſuum vehementiorem, turgoremque fungoſum, praeſertim autem per pertinaciam ſuam, qua omnibus ſtudiis artis reſiſtunt.

Quum cancer occultus tantum in glandulis deprehendatur, atque in partibus quoque muſculoſis ulcera naſcantur cancroſa, planum eſt etiam, nullumquemque cancrum apertum ex occulto ortum eſſe.

In Anglia ſaepe fumarii ulceribus ſcroti malignis invaduntur, quae ab auctoribus *cancer ſcroti*, ab hominibus autem ipſis *verrucae* appellantur *fuligineae.*

Haec ulcera paulatim iuvadunt teſticulos et per hos propagatur morbus usque ad abdomen, ubi is gangraenam parit letalem.

Quum morbus apud nos non occurrat, veriſimile eſt, fuliginem carbonum foſſilium ſ. lithanthracum ſingularem habere acrimoniam, per quam haec ulcera late ſerpentia producuntur.

Nihil hic praeter extirpationem juvat, atque haec etiam ibi tantum locum habet, ubi teſticuli adhuc aut prorſus nondum, aut ſaltem non ita diu ſunt invaſi. Quamprimum malum uſque ad partes abdominis internas propagatum eſt, res eſt conclamata.

Minime inter auctores convenit, utrum cancer ſit malum tantum locale, an vero e peculiari in corporeque exiſtenti naſcatur acrimonia.

Quum cancer haud raro a cauſis internis ſine omni occaſione externa naſcatur, intelligi nequit, quo jure is pro malo tantum topico haberi poſſit. Requiritur ad eum oppido diſpoſitio ſingularis interna, quae deinde per cauſas alias, inprimis per animi

pathemata et per ceſſationem haemorrhagiarum conſuetarum augetur.

Num autem cancer ſingularem ipſique propriam acrimoniam praeſupponat, ſine qua nullus tumor glandularis in ulcus tranſire poſſit cancroſum, alia eſt quaeſtio, ad quam ego minime adfirmando reſponderim. Obſervatur quidem non raro acrimonia ſcrophuloſa, ſed ſcirrhi ſcrophuloſi non tamen ſemper tranſeunt in ulcera cancroſa. Procul dubio acrimonia, quae per irritationem ſuam ulcus quoddam cancroſum reddit, diverſae admodum poteſt eſſe indolis, et tum lux adfunditur etiam in varias ſpecies horum ulcerum, atque in ea, quae curationem eorundem minus tutam, atque difficilem reddunt. Fieri quoque poteſt, acrimoniam ſerpentem in cancro demum oriri, et per conditionem partium ſolidarum ſingularem produci.

Remediis internis parum adhuc profectum eſt. Cicuta et arſenicum interne atque externe adhibita nonnumquam profuerunt. Nonnumquam etiam ſola diaeta, quies ac alacritas animi, ac potus ſanguinem purificans cancrum occultum diſcuſſerunt. Haec incertitudo in operatione pharmacorum pariter diverſitatem indolis cancri oſtendere videtur.

Extirpatio eſt remedium tutiſſimum, ubi certi ſumus, partes laborantes abſcindi poſſe. Minima glandula indurata anſam novo ulceri cancroſo prae-

bere, operationemque peractam inutilem reddere poteſt. Hoc ſane difficile conſtitui atque praedici poteſt. Cauſa interim jam eſt reperta, quare cancri in mammis tam crebro poſt operationem chirurgicam rurſus redeant. Adſunt nimirum in interiori ſuperficie oſſis ſterni ſub pleura parvae glandulae, quae ab inciſoribus uſque ad noſtram aetatem animadverſae non fuerunt. Quodſi hae glandulae indolis jam ſunt cancroſae redditae, operatio tum eſt fruſtranea, ulcusque iterum erumpit. Hoc ex eo cognoſcitur, ſi dolor in illo loco adeſt lancinans, ubi vaſa thoracis interna inter ſecundam et tertiam coſtam verſus exteriora atque in pectus excurrunt.

Extirpatio generatim in illis cancris utilis eſſe poteſt, qui praecipue e cauſis externis orti ſunt. Rariſſime aut forſitan numquam eſt ea utilis, ubi glandulae jam pluribus in locis indolis ſunt cancroſae, quod tamen ſane difficillimum eſt dijudicatu, hinc etiam hic morbus ſemper adhuc inter inſanabiles numerari poteſt.

Quodſi interim ſedulo curetur, ut omnes cauſae irritantes e medio tollantur, diu cancer occultus ſine noxa adeſſe poteſt, quare in uſu remediorum ſumma adhibenda eſt cautio.

De carie oſſium.

Caries ab exulceratione in eo diſcernitur, quod ea primum tantum in oſſibus locum habeat, et ſecundo naturae gangraenae propius accedat. Nullum pus verum, ſed tantum fluidum acre naſcitur. Neque pars corrupta per ſolutionem, ſed per exfoliationem ſeparatur. Subinde eſt os atrum atque humidum, ſubinde etiam eſt totum album et ſiccum. In poſteriori caſu nullus etiam effluit ichor, atque os eſt totum emortuum.

Quodſi corruptio oſſis ab exterioribus ad interiora propagetur, ea proprie *caries* vocatur; quodſi vero ab interioribus ad exteriora ſerpat, os plerumque fit turgidum, et tum vocatur *ſpina ventoſa.* Quodſi os penitus eſt album et ſiccum, corruptio ſolet appellari *necroſis.*

Cauſa eſt ſemper corruptio vaſorum oſſium, quae ab acrimonia quadam aut eroſa ſunt, aut etiam prorſus deſtructa.

Quo os laborans eſt mollius, eo citius naſcitur caries; quo illud eſt durius, eo difficilius procedit exfoliatio.

In curatione praecipuum eſt, ut vaſa rurſus in ſtatum reſtituantur naturalem, quod tunc tantum eſt poſſibile, quodſi acrimonia in vaſa eſt dejecta. Haec acrimonia indolis rheumaticae, ſcrophuloſae, rachi-

ticae et venereae eſſe poteſt, quod in ratione medendi pro norma inſervit.

Quodſi vero corruptio nimias jam acquiſivit vires, nihil aliud reſtat, quam ſeparatio partium emortuarum. Hoc vero aut natura per exfoliationem, aut ars per inſtrumenta perficit. Ars etiam exfoliationi opitulari poteſt, oſſa nondum penitus emortua per pharmaca exſiccantia et deſtruentia perfecte vita privando, e. gr. terebrando partem laborantem, applicandoque remedia cauſtica, atque evitando, ut in ſanis partibus vicinis ſuppuratio bona perficiatur. Hoc poſterius producitur conando, ut in partibus ſanis irritatio per terebrationem aut perforationem fiat, atque deinde remedia emollientia et ſuppurantia applicantur.

Quodſi vero pars laborans eſt extremitas, tamque magna jam pars oſſis eſt corrupta, ut vires ad exfoliationem non ſufficerent, ad amputationem eſt refugiendum, inprimis ſi articuli ſunt invaſi.

De gangraena, ſphacelo et necroſi.

Circulatione humorum in parte corporis molli ſuppreſſa, humoribusve remanentibus et ſtagnantibus devenientibus acribus et partibus inſenſibilitate gaudentibus, dicitur pars ea tranſire in *gangraenam.*

Tres illius diſtinguuntur ſpecies:

1) *Gangraena*, ubi quidem reſolutio putrida contigit, ſed nondum omnis deletus eſt ſenſus.

2) *Sphacelus*, ubi partes penitus ſunt reſolutae, emortuae, omnibusque viribus organicis privatae.

3) *Necroſis*, ubi nulla reſolutio tenuis putrilaginoſa obſervatur, ſed partes paulatim ſenſibilitatem ſuam amittunt, tum emoriuntur, atque, ſi adhuc vita perdurat, ſeparantur. Hujus generis ulterioris eſt morbus ille qui a Gallis *ergot* nominatur, atque ab auctoribus cum raphania pro eodem habetur. Illi autem, ſaltem quoad phaenomena ſunt diverſi, etiamſi utrique ex nutrimento pravo et corrupto, inprimis ex uſu panis ſordidi, tempeſtate exiſtente humida atque inſalubri, oriantur.

Huc etiam pertinet *necroſis digitorum pedis*, quae nonnumquam in conſtitutionibus rheumaticis ſine omni occaſione externa, et absque omni cauſa interna manifeſta comparet, neque a nutrimento naſcitur ſordido, ſed e contrario magis apud nobiles obſervatur.

Pes dolere incipit, atque in latere digitorum pedis minorum interno oritur macula livida, a qua cutis ſeparata eſt. Pes paulatim intumeſcit, et digiti emoriuntur.

Gangraena aut ex inflammatione atque acrimonia nimium vehementi, aut e debilitate partium ſolidarum nimia naſcitur.

Gangraena partium internarum ſemper fere eſt letalis. Gangraena partium externarum letalis hanc ob cauſam fieri poteſt, quia illa in partes propagatur internas, aut quia humor putridus reſorbetur, qui aut febri malignae putridae anſam praebet, aut etiam immediate per actionem ſuam in nervos peculiarem perimit.

Momentum rationis medendi in eo vertitur, ut ſeparatio partium gangraenoſarum perficiatur. Hoc fit, ſi enitimur, ut in partibus contiguis ſuppuratio producatur bona, ubi tum partes emortuae aut per ſe ſeparantur, aut ſi earum nimis multae adſint, periculumque e reſorptione fuerit extimeſcendum, per amputationem ſunt reſecandae.

Ubi nimium acrimoniae atque inflammationis adeſt, methodum antiphlogiſticam accurate ſequimur, nitimurque partes ipſas immediate emollire. Opium et camphora inſignem hic ſaepe exſerunt virtutem. Ratio inſimul habetur acrimoniarum, inflammationem parientium, augentium eamque pejorem reddentium. Animi quoque pathemata, inprimis moeror et cura quamplurimum ad ſphacelum gignendum contribuunt, quae proinde demulcenda ſunt.

Ubi autem corpus viribus, partes ſolidae tono, atque fluidae levitate et conſiſtentia deſtituuntur, interne cortex chinae cum acido vitrioli aut cum floribus ſalis ammoniaci martialibus et camphora, atque externe pariter cortex peruvianus cum ſale ammoniaco martiali permixtus, ſunt adhibenda.

In necroſi digitorum pedis nullas pariter cortex peruvianus exſerit vires, uti quoque amputatio progreſſui morbi nullum opponit obicem. Opium et ſola cataplasmata emollientia, inprimis ex pice, corruptionem impedire poſſunt.

Generatim in necroſi nihil ab amputatione, attamen aliquid a ſeparatione partium emortuarum exſpectare licet, quam proinde per pharmaca interna roborantia et balſamica promovere enitendum eſt.

De tumoribus.

De illis nobis hic duntaxat eſt ſermo, qui a cauſis pendent internis, aut ſaltem praeter auxilium mechanicum remedia etiam requirunt phyſica.

Dividimus eos:

1) In *tumores albos.*

2) In *tumores aqueos.*

3) In *tumores aëreos.*

De

De Tumoribus albis.

Sub tumoribus albis intelligimus tales, quae a metaſtaſi aut productione acrimoniae cujusdam naſcuntur, facileque in ulcera tranſeunt maligna, absque ſtatu inflammatorio externo manifeſte animadverſo.

Tumor articulorum rheumaticus.

Hic morbus, ſi partes intumeſcentes ſimul etiam ſunt fungoſae, *fungus articuli* vocatur. Is plerumque in articulo genu ſeu poplite poſt laeſiones externas, qualitate humorum exiſtente rheumatica, oritur.

Tumor ſtatim ab initio eſt inſignis, in omni ſua peripheria dolens, atque ſuam ſedem in partibus habet mollibus.

Morbus in initio prorſus eſt indolis inflammatoriae; in poſterum autem ulcera producit maligna, et denique oſſa invadit.

Tractatur proinde ille penitus ſecundum methodum antiphlogiſticam, veſicatoriumque ſurae impoſitum, cum remediis emollientibus parti laboranti applicatis praeſtantis hic ſunt uſus. Inſerviunt etiam epithemata e floribus ſalis ammoniaci in aceto ſolutis. Purificationi humorum ſtudemus, primis viis expurgatis, per potiones inprimis diluentes perſpirationemque promoventes. Inflammatione remittente humores adhuc ſtagnantes per emplaſtrum de ammo-

niaco cum mercurio, et per emplaſtrum reſolvens Schmuckeri, ſunt diſcutiendi, et denique partes per balnea martialia frigida roborandae.

Certum etiam eſt, colophonium in ſpiritu vini ſolutum, externeque ſuperimpoſitum ſubinde egregium eſſe remedium, in tumoribus albis hujus generis, diſcutiens.

Ubi autem res ad ſuppurationem venit, raro alia ratione quam per amputationem ſanari poteſt, quoniam ſuppuratio eſt mala.

Dantur interim caſus, ubi fluctuatio maxime notabilis adeſt, apertioque ejusdem cum commodo fieri poteſt. Natura ipſa ſibi ſaepe etiam per metaſtaſes in articulos pedum opitulatur.

Tumor articulorum ſcrophuloſus.

Aliud genus tumorum alborum in articulis plerumque per ſe oritur in hominibus, qui acrimoniam ſcrophuloſam in corpore habent. Laeſio externa interim etiam cauſam praebere poteſt occaſionalem. Tumor hic paulatim et lente increſcit, et dolor in unico duntaxat tumoris loco ſaevit.

Oſſa tantum hic primo ſunt adfecta, ligamenta vero atque partes molles in progreſſu demum temporis invaduntur. Hinc etiam multi ſcriptorum hunc morbum referunt ad ſpinam bifidam. Quum vero

articulus ſemper ſimul patiatur, majori ſane jure huc refertur.

Raro ars hic quidquam per remedia interna efficere valet. Cicuta interne atque externe adhibita, atque mercurialia, ubi vel minima ſuſpicio miasmatis venerei adeſt, in initio morbi aliquid efficere poſſunt.

Nonnumquam uſus cantharidum internus morbum vincere videtur; nullam tamen mihi curationem cum iisdem ad perfectionem deducere licuit.

Ipſa etiam amputatio eo ſaepe redditur irrita, quod poſt operationem aliae partes denuo invadantur.

Caries vertebrarum.

Hic morbus cum tumore articulorum ſcrophuloſo ſimilis eſſe videtur indolis.

Oritur nimirum debilitas extremitatum inferiorum, ubi columna vertebralis ſenſim incurvatur. Denique pedes penitus reſolvuntur, non tamen fiunt laxi, ut membra vere paralytica, ſed e contrario rigidi.

Morbus principio ſaepe non recte cognoſcitur, et hinc raro tollitur. Poſt mortem vertebrae, imprimis lumborum, ſunt inventae carie adfectae.

Gibborum plurimi oriuntur aut per veram rachitidem aut per hanc cariem. Utrique forſitan morbi inter ſe junguntur adfinitate naturali.

R 2

Quidam medici initio morbi, ulcerum artificialium bonum viderunt effectum.

Et revera multum in eo ſitum eſt, ut pus enatum exitum ſibi nanciſcatur. Ipſa enim ſaepe natura tales producit metaſtaſes in inguinibus atque cruribus. Niſi interim corruptioni oſſium obviam iri poſſit, ſequitur ad extremum propter ſuppurationem nimis largam, tabes et mors.

Hic etiam cardo rei in eo verteretur, ut ratio acrimoniae ſcrophuloſae habeatur, ac methodus medendi interna ad hanc normam inſtitueretur. Optima interim purificantia in uno caſu, e. gr. ſuccus graminis et taraxaci leniter incoctus ad libras propinatus in ſuo effectu exſpectationi meae non reſponderunt.

De tumoribus aqueis.

Illi quoque *hydropes* nuncupantur. Oriuntur aut a ſecretione nimia et reſorptione ſuppreſſa humorum ſeroſorum, aut a laxitate et ruptione vaſorum lymphaticorum, ita ut lympha coagulabilis reſtagnet.

Humor aut in tela celluloſa, aut in cavis corporis, aut in peculiaribus ſaccis et veſiculis continetur. Quodſi aqua in ſacco ſingulari continetur, morbus *hydrops ſaccatus* ſalutatur. Veſicae vocantur *hydatides*, atque ex obſervationibus recentioribus notum eſt, has hydatides nonnumquam veros eſſe vermes

qui a ſcriptoribus hiſtoriae naturalis ad claſſem taeniarum referuntur. In dubio autem res eſt, num omnes hydatides tales ſint vermes, atque utrum per hos vermes tumor ipſe ſeroſus gignatur.

Humor proinde in tumoribus contentus aut eſt ſerum aut lympha. Rariſſimus eſt caſus, ut urina reſorpta tumores producat aqueos. Tumores lacteos non huc refero. Aqua in cerebro contenta parum aut nihil lymphae coagulabilis habet, ſed prorſus in calore evaporat.

Cauſae ſunt:

1) Obſtructio viſcerum abdominis. Quum in febribus quartanis hae obſtructiones tam facile naſcantur, ſaepiſſime etiam eſt hydrops earum ſequela.

2) Obſtructiones vaſorum ſanguiferorum. Ita ſuppreſſio fluxionum ſanguinis conſuetarum et naturalium hydropem producere poteſt. Concretiones vaſorum magnorum quoque, aut excreſcentiae polypoſae, atque aneurismata in illis cauſa hydropis eſſe poſſunt. Et denique huc mechanicae compreſſiones ab excreſcentiis atque a foetu in gravidis pertinent.

3) Obſtructiones vaſorum lymphaticorum. Hic videtur eſſe caſus in illis, qui per nimium abuſum potionum ſpirituoſarum hunc morbum in

ſe trahunt. Saepe quoque ex hac cauſa hydatides veriſimiliter oriuntur.

4) Ruptura vaſorum lymphaticorum. Haec ſaltem ibi locum habere videtur, ubi hydropes poſt violentiam externam oriuntur.

5) Nimia corporis et vaſorum laxitas. Alimenta ſordida atque aër impurus ſaepe producunt hydropes.

6) Acrimonia irritans. Exanthemata retropulſa, acrimonia arthritica, aut colluvies humorum acrium bilioſorum, inprimis in febribus intermittentibus, haud raro producunt hydropem.

7) Debilitas univerſalis. Sic oriuntur hydropes poſt evacuationes efferas, poſt morbos convulſivos, quibus univerſum ſyſtema nervoſum debilitatur. Nonnumquam oritur hydrops poſt febrem quartanam, ubi nobis non licet eſſe certis, utrum hydrops ab obſtructione, an a debilitate oriatur. Quodſi febris rurſus comparet et hydrops tamen augeſcit, ſignum eſt, illum magis e debilitate ortum eſſe.

8) Denique quoque ſaepe proclivitas ad hydropes haereditaria adeſſe videtur.

Prognoſis a conditione viſcerum et virium pendet. Ubi haec bene ſe habent, multum ſaepe efficere licet. Ubi vero tabes jam adeſt, mox plerumque mors ſequitur. Quodſi excretiones inprimis ſudoris atque

urinae facile urgeri poſſunt, neque urina eſt nimium rubra et craſſa, bonum eſt ſignum. Quodſi vero facillime diarrhoea ſequatur, quae non oppido aquam evacuet, magis ea eſt noxia, quam utilis, quoniam ea ſine fructu vires debilitat. Recidivae hydropum ſemper ſunt malae. Pejus adhuc eſt, ſi motus comparent febriles, quoniam tunc plerumque res ad tabem devenit.

Ad ſanationem hydropis remedia requiruntur, quae evacuationem aquae promovent et cauſas ſtagnationis tollunt. Utrumque fit ſaepe per unum idemque remedium. Ubi remedia interna ſine effectu ſunt, ad ſcarificationes et paracenteſin abdominis eſt refugiendum, quod tamen ibi raro juvat, ubi remedia interna apta ſufficienter adhibita fuere.

Aqua frequentiſſime evacuatur per urinam, tum per dejectiones alvi et vomitum, ac denique nonnumquam etiam per ſudorem. Natura hic pro duce eſt habenda, et via illa eligenda, ad quam ineundam ea inclinat, quod mox e modo remediorum operandi animadverti poteſt.

Aqua alias in univerſum in hydrope bibenda erat prohibita. Experientia autem docet, aegros hydropicos, multum ſitientes, per diligentem tantum potionem ſanitati fuiſſe reſtitutos. Tuto proinde concedi poteſt, niſi alias conſtitutio nimium ſit phleg-

matica. Aquae minerales inprimis proſunt, quia illae magis in urinam agunt.

Primum omnium ratio purgandarum primarum viarum habetur, ubi ſubinde jam per hoc finem conſequi licet, inprimis ubi hydropes poſt animi pathemata, et febres tertianas non bene curatas orti fuere, ubi palpabilis fere convaleſcentia poſt unumquodque emeticum obſervatur. Cremor tartari quoque inſignem hic ſaepe praeſtat uſum. Ubi inordinatio ſyſtematis lymphatici e plethora naſcitur, ſaepe miſſiones ſanguinis praeſtantiſſimam exſerere poſſunt virtutem. Quodſi cauſa ſunt ulcera antiqua, aut exanthemata retropulſa, facimus ulcus artificiale, atque exhibemus ſimul ſulphur antimonii, cujus doſis paulatim eſt augenda. Niſi obſtructiones viſcerum nimium ſint inveteratae, conſequimur ſaepe pariter ſcopum per ſulphur antimonii, quod vero ad drachmam unam exhibendum eſt.

In laxitate et debilitate corporis initium facimus cum diureticis lenibus, e. gr. cum millepedis, et denique ſquilla exhibetur, cujus doſis paulatim augenda eſt, quaeque niſi illa in parvis jam doſibus vomitum producat, magnae plerumque eſt efficacitatis.

Ubi ſtatus ſpaſticus adeſt, opium et caſtoreum cum remediis diureticis mixtum ſaepe praeclarum praeſtant uſum.

Ratio ſimul virium corporis roborandarum eſt habenda. Proinde extracta amara in ſolutione ſalis alcali ſaturata cum aceto ſquillitico, (V. *Elixirium reſolvens.*) et denique, aqua educta, cortex chinae exhibetur. Ubi proclivitas ad ſudores adeſt ſalutares, illi ſal quoddam alcali volatile cum aceto ſquillitico ſaturando ſuſtentari poſſunt.

In variis hydropibus purgantia draſtica requiruntur, quem in finem pilulae Janini inprimis ſeſe commendant.

Generatim in methodo medendi hydropum magnum momentum in articulo temporis eſt ſitum, ubi remedium, quod diu jam fruſtra adhibitum fuerat, denique ſubito praeclarum habet effectum; ſed hi articuli temporis pendent a circumſtantiis occultis, quas conſtituere non licet.

Senega, armoracia, oleum terebinthinae, cochlearia, raphanus ſativus, atque roob ſorbi aucupariae inſignem quoque praeſtant utilitatem.

Acrimonia quoque venerea nonnumquam magnam in producendo hydrope partem habere videtur, atque hoc in caſu mercurius nitroſus excellens eſt remedium, quia is provide adhibitus praeſertim agit in urinam.

Oedema pedum.

Pedes oedematoſi facile naſcuntur poſt debilitates ex evacuationibus vehementibus, et facile tum tolluntur per roborantia.

Haud raro etiam facile poſt graviditatem comparent, ubi vero plerumque a vaſibus oriuntur preſſis.

Quodſi cauſa eſt pertinacior, ſequitur utplurimum anaſaca atque aſcites. Et ſi penitus eſt invincibilis, timere licet, cauſas hydropis pectoris adeſſe, quae etiam ipſa mox ſe prodit, dum tumor cum aſthmate et vice verſa mutuo adſunt.

Hydrops anaſarca et leucophlegmatia.

Anaſarca eſt turgor cutis ab humore in tela celluloſa ſtagnante. Quodſi ſimul cum ea adeſt adſpectus cacochymicus, morbus appellatur *leucophlegmatia.*

Omnium plerumque hydropum facillimas is habet cauſas, atque hinc etiam facillimus eſt ſublatu. Purgatio plerumque primarum viarum per emetica et per uſum cremoris tartari largum eſt ſufficiens. Haud raro is eſt ſcarlatinae ſequela, atque hoc in caſu per remedia diaphoretica auxilium adferre poſſumus. Quodſi is aliis hydropibus eſt ſtipatus, eorum praeſertim eſt ratio habenda. Nonnumquam veſicatoria et ſcarificationes per acus evacuationem aquae perfecerunt; ubi vero humores ſunt acres, et vires debiles, hoc au-

dere non licet, facile enim tum ejusmodi vulnera tranſeunt in ſphacelum.

Hydrops aſcites.

Aſcites eſt ſtagnatio aquae in cavo abdominis.

Ab aliis hydropibus diſtinguitur per ſigna ſequentia: Abdomen paulatim fit craſſum. Homine ſtante erecto pars inferior abdominis magis intumeſcit, eo cubante, locus, cui incumbit. Fluctuatio praeterea aquae per tactum manus animadverti poteſt, quae undique, uti extenſio ipſius eſt aequabilis. Signa praeterea plerumque obſtructionis viſcerum abdominis adſunt, reſpiratio eſt difficilis, ſitis adeſt multa, atque excretio urinae rubrae parca. Raro pedes intumuerunt, et partes ſuperiores ſenſim tabeſcunt.

Aſcites multo eſt pertinacior, quam anaſarca, raroque per diuretica domanda. Purgantia draſtica multo majoris ſunt hic efficaciae. (V. *Pilulae hydragogae Janini.*) Et ubi haec etiam ſunt irrita, paracenteſis ſaepe utiliter inſtitui poteſt, ubi tamen attendendum, ut aqua tantum paulatim emittatur, atque in eadem ratione abdomen deligetur, vulnus autem ipſum ſumma cura tegatur, atque ab aditu aëris externi cuſtodiatur, quoniam alias aegroti in emiſſione aquae ſubita facile animo linquuntur, vel etiam mori poſſunt, atque aqua forte remanens per aditum aëris externi facile in putredinem tranſit.

Dantur caſus, ubi reſorptio aquae per ſpaſmum impediri videtur. Quodſi proinde remedia conſueta nihil efficiunt, atque ſymptomata ſpaſmodica, inprimis dyſuria comparet, utiliter opium adhibere licet.

Hydrops pectoris.

Quum hic nullus obſervetur tumor externus, difficulter morbus agnoſci poteſt, etiamſi is oculos exercitatos non facile fallat.

Signa conſueta ſunt: reſpiratio difficilis, brevis et ſpecies quaedam aſthmatis, quod per exercitationem corporis augetur. Facies pallida, turgida. Anxietas in indormiſcendo atque evigilando ſingularis. Manus tumidae. Pulſus irregularis. Difficultas cubandi. Abſentia ſignorum ulcerum atque abſceſſuum in pectore. Quodſi aegroti uno latere facilius decumbunt, quam altero, probabile eſt, aquam tantum in uno latere contineri, ac ſi illi lateribus penitus incumbere nequeunt, in utroque. Palpitatio cordis frequentior, et dolores per pectus oblique tranſeuntes, jubent ſuſpicari, aquam in pericardio eſſe. Quodſi aqua in mediaſtino eſt, facilius ſaepe aegri lateribus incumbere queunt, ſed dorſo difficulter, et pectus illis ad anteriora nimium anguſtum eſſe videtur.

Hic hydrops difficillimus eſt ad ſanandum. Diuretica et reſolventia raro vires exſerunt. Saepius efficitur aliquid per purgantia. Exitus paracenteſeos eſt

incertus, hincque cum cautione ſuſcipienda. Fonticuli in pedibus nonnumquam ſunt utiles.

Nonnumquam aqua ſolummodo in tela celluloſa pulmonum ſe collegit. Quo in caſu morbus *aſthma humidum* ſalutatur, et prodit per adſpectum cachecticum, pedes tumidos, anguſtationem pectoris et tuſſim. Pulſus, uti in anaſarca, mollis atque undulatorius eſſe ſolet. Tractatur hic, uti in anaſarca.

Hydrops peritonaei.

Peritonaeum format nonnumquam ſaccos, aquam in ſe continentes. Morbus ab hydrope abdominis in eo diſtinguitur, quod extenſio abdominis non ſit aequalis, tumorque in quovis ſitu maneat idem. Umbilicus magis prominere ſolet, quam in aſcite.

Praeterea reliquae valetudinis circumſtantiae ſic ſatis integrae eſſe ſolent, atque urina ſicuti in ſtatu ſanitatis excernitur; tumor quoque per annos permanere poteſt, abſque ſequelis admodum pravis inde ſequuturis.

Quodſi morbus diu duravit, per artem chirurgicam eſt ſanandus, hoc eſt, paracenteſis per ſectionem eſt inſtituenda, ut ſaccus una vice evacuari et per ſuppurationem conſolidari poſſit.

Hydrops ovarii.

Verſus fundum abdominis in lateribus tumor obſervatur, ubi alias valetudo plerumque eſt ſecunda.

Fluctuatio tam propter ſitum, quam propter humorem ſaepe difficulter obſervari poteſt, haud raro enim in paracenteſi ſuccus craſſus et melli ſimilis in conſpectum prodit.

Parum hic ars efficere poteſt. Saepe tunicae rumpuntur, et naſcitur aſcites. Purgantia draſtica nonnumquam exſerunt vires quasdam. Tumor etiam nonnumquam tam inſignis fit, ut is aperiri queat.

Hydrops uteri.

In hoc hydrope nulla fluctuatio externe animadverti poteſt, bene autem turgor uteri, aegri quoque ſenſu gaudent, quaſi uterus in procinctu prolabendi eſſet.

Cauſa plerumque eſt debilitas, atque ubi diuretica et reſolventia nihil efficiunt, multum ſaepe per roborantia et balnea frigida efficere licet.

Nonnumquam os uteri eſt clauſum, atque hoc per vapores calidos, remedia pellentia, quoque vel per auxilium chirurgicum eſt aperiendum.

Facile quoque hydatides in utero colliguntur, quae nonnumquam per purgantia exturbari poſſunt.

Hydrops ſcroti.

Hic morbus plerumque eſt ſymptoma hydropum reliquorum, ſubinde etiam per ſe in infantibus occurrit.

Plerumque reſolventia externa atque inciſiones ad curationem ſufficiunt.

Hydrocele.

Hydrocele eſt collectio aquae in tunica vaginali teſticuli.

Aegre hic teſticulum ſentire licet, niſi is ſit alias turgidus et ſcirrhoſus. Tumor eſt pellucidus, niſi aqua ſanguine ſit permixta. Ab hernia carnoſa per ſuam elaſticitatem diſtinguitur. Praeputium et mentula non ſunt ſimul tumida.

Raro quidquam per remedia interna efficere licet. Scrotum propterea eſt aperiendum, quod optime fit per ſcalpellum, etiamſi ſuppuratio nonnumquam difficultates pariat, et ſubinde facilius procedat, ſi apertionem, ſuppurationem, et concretionem ſacci per ſetaceum producere contendimus.

Hydrocephalus.

Turgor capitis ab humoribus aqueis appellatur *hydrocephalus.* Diſtinguitur is in *externum* et *internum.*

Hydrocephalus externus.

Morbus per ſe eſt rarus, nonnumquam autem hydrocephali interni ſequela. Cognoſcitur e tumore integumentorum capitis, qui imprimi poteſt. Aqua inter cutem et galeam aponeuroticam atque pericra-

nium, ſed quoque inter pericranium et cranium ipſum contineri poteſt. Quodſi aqua inter cutem et pericranium eſt, tumor eſt major et mollior. Si vero illa inter pericranium eſt, tumor non tam elevatus eſt, durior et majori dolore ſtipatus.

In priori caſu plerumque ſtatus adeſt cachecticus, in poſteriori caſu morbus per laeſionem externam et per hydrocephalum internum ortum fuiſſe poteſt.

Secundum hanc differentiam ratio medendi quoque inſtituitur. In conditione cachectica inſerviunt reſolventia, diuretica atque amara. Ubi autem corpus alias eſt ſanum, nitimur aquam per inciſiones aut per veſicatoria immediate emittere, atque ad fluxum novum per ſplenia externe adplicata, uſumque internum pharmacorum roborantium praecavere.

Hydrocephalus internus.

Sic appellatur ſtagnatio aquae inter cerebrum et cranium, aut inter membranas utriusque. Num aqua inter cranium et duram matrem contineri poſſit, necdum omnino conſtat, ſaltem neceſſe eſt, hunc caſum eſſe quam rariſſimum.

Morbus tantum in infantibus locum habere poteſt, ubi oſſa cranii cedunt, atque a ſe invicem ſeparantur. Oſſa nonnumquam ſuam craſſitiem ſolitam retinent, nonnumquam autem quoque prorſus pellucida redduntur. Interſtitia quoque ſaepe tempore materia explentur

explentur oſſea. Bulbi oculorum ſemper ad dimidiam partem a palpebra inferiori ſunt tecti. Infantes ſunt quam ſtupidiſſimi, ſomnioſi, nec diſcunt loqui. Pedes ſunt frigidi, et denique paralyſi adficiuntur. Status plerumque cachecticus ſimul adeſt.

Virus ſcrophuloſum, acrimonia febris purpuraceae, et preſſio atque ictus externus huic morbi anſam praebere poſſunt.

Ratio medendi eſt longe difficillima, ac emiſſio aquae immediata plerumque eſt letalis, niſi illa admodum paulatim et tantum per ſcarificationes conficiatur. Enitimur itaque aquam per remedia reſolventia et diuretica educere, quem in finem ego praecipue mercurium nitroſum commendaverim, et ſimul caput per ligaturam ſenſim comprimere, niſi oſſa alias jam ſint concreta.

Hydrops cerebri.

Hic morbus in aquae collectione in cerebri cameris conſiſtit.

Non is eſt rarus in adultis, inprimis in maniacis et melancholicis, longe tamen frequentiſſime in infantibus occurrit.

Ab hydrocephalo interno eſſentialiter non differt, ſed tantum in eo, quod oſſa cranii non diſtendantur.

Ex iisdem proinde naſcitur cauſis, ſaltem in infantibus. In adultis ſequela morborum nervoſorum aliorum eſſe poteſt.

Difficilis eſt agnitu, quoniam nulla contingit extenſio externa, et morbus cum febre lenta verminoſa multum habet ſimilitudinis. Adeſt nimirum non tantum in concoctione animalia, ſed etiam pruritus naſi et dilatatio pupillae. Quodſi igitur ſimul etiam vermes revera adſunt, facilis eſt error in diagnoſi morbi in initio ejusdem. Plerumque infantes horrent lucem. Erecti ſedere nequeunt, ſed anxii inde fiunt, et tentantur tuſſi. Queruntur praeterea de dolore perpetuo ſupra oculos, inprimis ab unis temporibus ad alia. Hic dolor alternat nonnumquam cum doloribus colicis. Super accedunt quoque mox rigiditas colli et convulſiones. Denique reſolvuntur membra, ſupervenit ſopor, pulſus fit minor et celerior, et poſtremo quoque mox mors ipſa ſequitur.

Morbus totus finitur ſaepe intra quatuordecim dies; attamen etiam ad aliquot menſes trahi poteſt. Ab initio pulſus eſt celer, ſed poſt aliquod tempus fit tardus, et ſimul magis inordinatus, quam antea. Calor quoque febrilis manet, et ſymptomata reliqua; ad ſex aut octo dies ante mortem pulſus fit rurſus celer, et multo celerior quam in initio erat, reſpiratio e contrario fit brevis et tarda.

De cauſis et ratione medendi hujus morbi nihil certi conſtituere licet. Quodſi morbus ſtatim ab initio agnoſcitur, ratio ad remedia reſolventia et diuretica adeſt. Veſicatoria quoque in auxilium adhibere ſoleo. Nullum autem exemplum certum hydropis cerebri curati adeſt. Mercurius ſubinde in initio morbi juviſſe dicitur.

Spina bifida.

In cerebri hydrope plerumque etiam pars interior cerebri aqua eſt repleta, quoniam ea e ventriculo quarto facile in medullam ſpinalem deſcendere poteſt; hoc inprimis ſuſpicari licet, quum paralyſes extremitatum inferiorum adſunt.

Subinde, praecipue in infantibus, proceſſus vertebrarum ſpinoſi in parte poſtica ſunt diffiſſi, quibus perioſtium ſpinae dorſi premitur, tumoresque producuntur eminentes, atque unde morbus etiam nomen ſuum nactus eſt.

Apertio horum tumorum ac emiſſio aquae ſemper fuit letalis.

Hydrops articulorum.

Genu inprimis hydropi articulorum eſt obnoxium. Aqua ſtagnat in articuli capſula. Morbus cognoſcitur e difficultate genu movendi, atque e tumore, qui in extenſione pedis oculis offertur, ſeque patitur com-

primi, in flexione genu autem minus eſt obſervandum.

Diſpoſitione cachectica praeſenti e laeſione externa facile naſcitur.

Periculum primum facimus cum empleſtro reſolventi e mercurio et gummi ammoniaco; exhibentur ſimul reſolventia et diuretica interna. Niſi hoc ſufficiat, fiunt cum cautione inciſiones, aut imponuntur ſurae veſicatoria. Aqua educta opera eſt danda, ut membrum per balnea martialia frigida roboretur.

Tumores manuum et talorum aquoſi ſunt fere ſemper hydropis pectoris ſymptomata.

De Tumoribus aëreis.

Tumores hujus generis producuntur ab exſparſione aëris in cavo contenti. Dignoſcuntur atque diſtinguuntur a tumoribus aqueis in eo, quod illi ſine omni colore, elaſtici et doloris ſint expertes.

Emphyſema.

Sic diſpanſio cutis ab aëre inter hanc et telam celluloſam contento nuncupatur. Preſſo ſingularem facit ſtrepitum atque ex uno loco in alium ſe premi patitur.

Emphyſema plerumque per introductionem aëris athmoſphaerici oritur. Sic naſcitur facile poſt vulnera pectoris penetrantia, ubi aër per pulmones laeſos

in telam celluloſam irruit proximam. Per cauſas motum fermentatorium in partibus fluidis excitantes aër fixus quoque in omnibus corporibus praeſens evolvi, et talem cutis diſtenſionem producere poteſt. Hujusmodi caſus occurrunt ſubinde in febribus putridis, in morbis nervoſis, ac in gangraena, dantur etiam venena, praecipue ſerpentes, quorum morſus emphyſema cutis producere poteſt. Ac denique magnus frigoris gradus emphyſema parere poteſt.

Pro hac diverſitate quoque ratio medendi inſtituitur. Aëre extrinſecus introducto, momentum in eo ſitum eſt, ut hae cauſſae tollantur, atque aër ſub cute contentus per inciſiones et ſcarificationes emittatur.

Aëre autem e partibus fluidis evoluto, difficilius ratio medendi procedit, niſi natura ſibi ipſa opituletur. Cauſae hujus fermentationes ſunt occultiores, quam ut regulae certae practicae praeſcribi poſſent. Agitur ſecundum indicationes manifeſtas.

Tympanitis.

Diſtenſio abdominis chronica a flatibus appellatur *tympanites*, quia tumor ſaepe ita tenſus eſt, ut is a contractu ſonum edat.

Per hunc torum ſonantem, per defectum fluctuationis, per id, quod aegrotus melius quam hydropicus ſe habeat, per id, quod abdomen magis ad anteriora, quam ad latera intumuerit, et denique per

id, quod aegrotus raro habeat faciem cachecticam, hic morbus ab hydrope diſcernitur.

A colica flatulenta diſtinguitur per durationem conſtantem, atque a mateoriſmo, quod hic ſit febrium acutarum ſymptoma.

Morbus plerumque obſtructione pertinaci, ſingultu vehementi atque vomitu frequenti eſt ſtipatus.

Aër aut in inteſtinis, aut in cavo abdominis continetur.

In caſu poſteriori aut nulli abeunt flatus, ne tunc quidem cum abdomen detumeſcit, aut illi nullum levamen, aut decrementum abdominis adferunt.

Cauſae ſunt tales, per quas evolutio aëris fixi nimia producitur, atque exitus illius prohibetur.

Suppreſſiones haemorrhagiarum conſuetarum ſubitae, obſtructiones viſcerum pertinaces, ulcera in cavo abdominis, inprimis veſiculae felleae, contractiones inteſtinorum praeternaturales, ſtatusque eorumdem paralyticus, ſunt plerumque ea, quae hunc morbum producunt.

In curatione primo eſt inquirendum, utrum aër in inteſtinis, an in cavo abdominis contineatur.

Quodſi nonnumquam flatus cum levamine abeunt, dolores in inteſtinis adſunt, atque in diſpanſione tumores animadvertuntur inaequales, ſuſpicari licet, aërem tantum in inteſtinis contineri.

In hoc caſu nitimur primo, primas vias purgare, aëremque per remedia externa atque interna antiſpasmodica educere, ubi ſimul dejectionis alvi quotidianae ratio habetur. Contendimus tum in cauſas inquirere easque tollere. Obſtructionibus viſcerum praeſentibus ſulphur antimonii, aut tartarus emeticus, in doſibus ſenſim auctis, exhibetur. Relaxatione ſimul praeſenti remedia dicta extractis amaris et roborantibus miſcentur. Quodſi coarctationes adſunt calloſae, nihil per aërem efficere licet. Quodſi ſolus ſpaſmus adeſſe videatur, opium interne atque externe adhibetur, atque epithemata emollientia abdomini applicantur. Quodſi vero ſtatus adeſſe videatur paralyticus, epithemata frigida e glacie abdomini impoſita inſerviunt.

In omnibus his medendi rationibus ſimul reſpiciendum eſt, num proclivitas in haemorrhagias adſit. Qua animadverſa curandum eſt, ut hae producantur, per quod ſaepe plurimum efficitur.

Quodſi aër in abdomine continetur, atque ab obſtructionibus irreſolubilibus, tumoribusque inſanabilibus originem habet, plerumque nihil efficitur. Numquam hic paracenteſis cum utilitate fuit adhibita.

Saepe contingit, obſtructionem tam pertinacem adeſſe, ut ea per nulla remedia reſerari queat, inprimis ſi ſimul adeſt vomitus frequens. Quo in caſu mihi clyſteres ex aëre fixo, ubi omnia alia remedia

fruſtra adhibita fuere, optimum praeſtiterunt effectum; quum per hoc non ſolum alvum ſoluerem, ſed etiam fluxiones ſaepe producerem haemorrhoidales, quibus tum immediate decrementum abdominis producebatur, omniaque ceſſabant ſymptomata.

Collectio aëris in cavo thoracis datur, cujus vero ſigna penitus conſtitui nequeunt.

De Morbis tabidis.

Quodſi nutritio minime proportionaliter contingit, corpus conficitur macie, viresque labaſcunt, hic ſtatus *tabes* nuncupatur.

Haec tabes naſcitur:

1) Aut inde, quod digeſtio et chylificatio non rite procedat, atque adeo corpus non ſufficienter nutriatur, aut

2) E febre quidem remittente, ſed tamen continua, per quam vires corporis exhauriuntur.

In priori caſu quidem etiam plerumque motus febriles adſunt, quae tamen non pro cauſa tabis, ſed pro ſymptomate totius morbi ſunt habendae.

In caſu poſteriori febris eſt cauſa morbi proxima, et haec febris aut ex iisdem cauſis, quae priorem ſpeciem tabis poſt ſe trahunt, aut ex exulcerationibus internis oritur.

Pro hac diverſitate tabes dividitur:

1) In illas, in quibus tabes non eſt ſequela febris, et quae commodiſſime *tabes* aut *atrophiae* appellantur.

2) In illas, in quibus conſumtio per febrem producitur, febris autem ipſa minime ex exulceratione naſcitur. Hae febres appellantur *febres hecticae.*

3) In illas, in quibus tabes et febris ſequela exulcerationis ſunt. Illae *phthiſes* nuncupantur.

De Atrophiis.

Hi quidem morbi ſemper fere febri lenta ſunt ſtipati; ſed haec febris tum demum oritur, quum jam tabes aliquem gradum eſt conſecuta, et morbus per ſublationem febris non tollitur, quoniam tabes non a febre pendet.

Atrophia infantum.

Infantes ab hoc morbo invaſi, aut prorſus amittunt appetitum, aut difficulter ſatiari poſſunt, inprimis cibis ſolidis et farinaceis. Venter utplurimum eſt turgidus et durus. Dejectiones alvi aut ſunt rarae et durae, aut tenues et copioſae. Noctu ſiti urgentur et facile ſudant. Praeterea corpus, inprimis extremitates paulatim decreſcunt, vigor animi laborat, ac poſtremo febris mortem poſt ſe trahere conſuevit.

Humores nonnumquam in glandulis cutis ſtagnant, et ſe exprimi patiuntur, ubi tandem ſpecies vermis in conſpectum prodit, cui, quum illae pro veris vermibus alias habebantur, nomen *comedonum* inditum fuit. Quae vero neque vermes, neque cauſa ſunt tabis, ſed plerumque ejusdem ſequela.

Cauſa proxima ſemper eſt chylificatio, atque aſſimilatio nutrimentorum impedita.

Cauſae remotae ſunt:

1) Lac nutricum minus ſanum, ſi hae animi pathematibus, inprimis irae ſunt obnoxiae.

Quo in caſu aut alia nutrix eſt quaerenda, aut infans eſt ablactandus.

2) Alimenta inconvenientia et nimis copioſa, aut ut plebeji homines ajunt, ſaginatio immodica (*Verfütterung*). Uſus panis butyro inliti et ſolani tuberoſi nimium frequens in defectu exercitationis corporis ſunt crebro cauſae atrophiae infantum.

Infantes ab hac diaeta paulatim ſunt abducendi, atque in exercitationem collocandi.

3) Obſtructiones glandularum abdominis. Hae ſequela aut acrimoniae ſcrophuloſae, aut ſaginationis immodicae eſſe poſſunt.

Nitimur has obſtructiones per liquorem terrae foliatae tartari cum tinctura rhabarbari aquoſa,

et per aquam benedictam Rulandi tollere, et deinde partes per remedia amara roborare.

4) Immundities atque aër corruptus, quibus ſe- et excretiones turbantur, obſtructionesque in glandulis producuntur.

Aër liber et ſiccus, atque balnea, quae initio calida et paulatim frigida ſunt facienda, ſaepiſſime tollunt morbum, ubi ſane etiam cauſae jam memoratae in cenſum ſunt revocandae.

Phthiſis nervoſa.

Haec tabes a reliquis in eo diſtinguitur, quod ea e debilitate ſyſtematis nervoſi ſingulari oriatur, ubi ſimul omnes functiones ſunt debilitatae.

Oritur ea:

1) Poſt evacuationes nimias, e. g. haemorrhagias, ſudores et diarrhoeas.

2) Poſt pathemata animi permanentia, inprimis ſollicitudines et moerorem.

3) Poſt morbos nervoſos diu perdurantes e. gr. poſt convulſiones.

4) Poſt abuſum potuum ſpirituoſorum.

Summa rationis medendi huc redit, ut corpus rite nutriatur, animo per recreationes et exercitationem corporis alacritas comparetur, et poſtremo nervi per corticem peruvianum interne adſumtum, atque per balnea martialia roborentur.

Quodſi aegri potibus ſpirituoſis nimium ſunt adſueti, non illi his ſimul et ſemel adimendi, ſed paulatim ad abſtinentiam ab iis adſuefaciendi, quem in finem pharmaca in potibus ſpirituoſis ſunt exhibenda.

Tabes dorſalis.

Hic morbus eſt ſpecies quaedam phthiſis nervoſae. Ea tamen ab illa per ſuam cauſam et medendi rationem diſtinguitur.

Symptomata ejusdem ſingularia ſunt, protuberantia proceſſuum ſpinoſorum vertebrarum dorſi peculiaris, et ſenſus, quaſi aegrotis fornicae per dorſum reperent. Adſunt praeterea plerumque dolores in artubus et vires animi paulatim ſeneſcunt.

Morbus ex evacuatione ſeminis nimia naſcitur.

In medendi ratione cum alimentis cautio ſumma eſt adhibenda, quia illa ſecretionem ſeminis augent. Lac, fructus horaei, olera, ſubtractio objectorum irritantium, uſus aquarum martialium internus et balnea frigida ſunt ea omnia, quae hic ars adferre valet.

Maraſmus ſenilis.

Cum aetate vires decreſcunt, et partes fiunt durae et rigidae. Hinc omnes laeduntur functiones, nec nutritio ſufficienter procedere, neque corpus per excretiones ab impuritatibus ſeſe exonerare poteſt.

Aër liber, exercitatio corporis, alimenta levia et nutrientia, uſus vini veteris modicus atque animi alacritas ſaepe morti diu praecavere poſſunt.

De Febribus hecticis.

Febris diuturna lenta, ubi corpus tabeſcit, et vires exhauriuntur, quae tamen non eſt ſequela exulcerationis, *febris hectica* ſalutatur.

Febris quidem plerumque eſt continua, tamen exacerbatur ad veſperam, noctu parit calorem, ſitim et ſudorem, et ſomnum reddit aut inquietum, aut ſaltem non reficientem. Exacerbatio parva praeterlabens poſt prandium quoque comparet. Lingua raro eſt impura, ſed plerumque rubra. Febris per plures annos manere poteſt, ſi conſtitutio et diaeta bonae ſunt, et cauſae in efficacia ſua alternant.

Cauſa hujus febris proxima ſemper eſt acrimonia quotidie in ſanguinem tranſiens, quae in diſpoſitione ſenſibili febrem producit hecticam.

Haec febris ſecundum cauſas eſt diſtinguenda, quae fons hujus acrimoniae ſunt, et ſecundum quas etiam medendi ratio inſtituitur. Raro enim aut numquam recta via adverſus febrem agere licet, etiamſi ubique, in quavis differentia cauſarum et medendi rationis ad eam pertinentis, praeſertim conſervationis et correctionis virium habenda ſit ratio.

Frequentiſſime occurrunt ſpecies ſequentes:

1) Febris e ſaburra primarum viarum oriri poteſt, quam ibi ſuſpicari licet, ubi nullae aliae cauſae ſeſe offerrunt, atque appetitus aut deeſt, aut a proportione eſt nimius.

Haec colluvies minime eſt per purgationes evacuanda, quia hoc vires nimium debilitaret. Enitendum proinde eſt, ut ea primum reddatur mobilis, et deinde per emetica evacuetur. Tota medendi ratio per terram foliatam tartari, atque aquam benedictam Rulandi, praebendo ea primum in doſi refracta, deinde eandem aquam benedictam exhibendo pro emetico, perfici poteſt. Quamprimum impuritates ſunt eductae, cortex chinae eſt praebendus, ad recidivas praecavendas, ubi eodem modo ut in febribus intermittentibus procedimus.

2) Vermes, inprimis in infantibus, ſaepiſſime ſunt cauſa febris hecticae conſumtoriae.

Hic etiam purgantia, inprimis mercurialia quam diligentiſſime ſunt evitanda. Primum anthelmintica amara, ante meridiem et veſperi potiones ſalinae refrigerantes, et tum in dies emeticum exhibentur. Poſtremo amaris adhuc vitriolum martis addi poteſt, quo non tantum mucus inteſtinorum deſtruitur, ſed etiam inteſtina roborantur.

3) Debilitas inſtrumentorum concoctionis chymificationem impedire, aut illi noxia eſſe poteſt, quod ex abſentia impuritatum aliarumque cauſarum atque inde cognoſcitur, quod homines quidem appetitu gaudeant, ſed ſtatim ſaturentur, et difficulter concoquant.

Bona et ſecundum ipſorum propriam experientiam rite conſtituta diaeta, abſtinentia ab omnibus potulentis ſpirituoſis, calidis atque exaeſtuantibus, cum exercitatione corporis ſufficienti, uſuque corticis chinae continuato plurimum hic efficere debent.

4) Per evacuationes nimias debilitati univerſali ac irritabilitati nervorum occaſio praeberi potuit, e. gr. per immodicum pharmacorum evacuantium uſum in febribus acutis ac intermittentibus, per ſudores nimis largos, diarrhoeas, ſalivationes, ulcera externa, atque in nutricibus per lactationem nimium diuturnam. Hoc in caſu facile colliguntur humores impuri; propter defectum adſimilationis ac irritabilitatem magnam, minima atque alias innoxia acrimonia febrem producit.

Remedia nutrientia et roborantia hic irritabilitatem primum imminuere debent, et tum acrimonia aut e corpore per ſe exoneratur, aut deinde ſine noxa educi poteſt. Nitimur ſimul

evacuationibus, ſi illae adhuc perdurant, intercedere.

5) In morbis acutis, criſi exiſtente incompleta, ſubinde acrimonia remanet, febri lentae occaſionem datura.

Enitimur primo hoc in caſu impedimenta criſeos e medio tollere, et tum evacuationes, per quas prius natura materiam educere propendebat, augere. Quibus in caſibus in univerſum ſulphur antimonii, in doſibus paulatim auctis, optimas vires exſerere ſolet.

6) Acrimonia bilioſa per animi pathemata perdurantia; per iram, moerorem, ſollicitudinem ſuſtentari, et per eam febris hectica produci poteſt.

Quo in caſu totum momentum in eo vertitur, ut animus in quietem redigatur, atque objecta hujusmodi pathemata excitantia auferantur. Acrimonia ipſa per emetica lenia eſt exturbanda.

7) Exanthemata retropulſa haud raro febrem hecticam producunt.

Quodſi hae ſunt indolis acutae, veſicatoria, pharmaca diaphoretica ac diuretica inſerviunt. Quodſi exanthemata ſunt chronica, ut ſcabies, herpetes, atque alia hujusmodi, contendimus, ut haec iterum reſtituantur, aut per remedia hunc in finem proficua exſtirpentur.

8)

8) Evacuationes conſuetae et ſuppreſſae pariter inter febrium hecticarum cauſas pertinent, e. gr. haemorrhagiae et ſudores in extremitatibus ſuppreſſi.

Quandoquidem in omnibus febribus hecticis conſervationis virium habenda ſit ratio, non facile in haemorrhagiis ſuppreſſis ad miſſionem ſanguinis nos induci patiendum eſt, ſed ad ſummum partibus ipſis hirudines applicandi, ac opera danda, ut fluxus ſanguinis per motum et fomentationes reſtituantur. Poſterius etiam in ſudoribus ſuppreſſis plerumque eſt ſufficiens.

9) Obſtructiones ac indurationes in viſceribus pariter per impedimentum ſe- et excretionum febrem hecticam producunt.

Hic reſolventia cum roborantibus ſociantur, quoniam alias in nimia virium proſtratione facile naſcitur hydrops.

10) Acrimoniae etiam ſingulares et ſpecificae huc pertinent; dantur inprimis febres hecticae ex acrimonia ſcorbutica et venerea.

Ratio medendi hic pro diverſitate harum acrimoniarum inſtituitur. Ubi miaſma venereum pro cauſa haberi poteſt, mercurius dulcis in connubio cum cortice chinae et diaeta lactea inſervit.

11) Hydropibus ſuperaccedit ſaepe febris hectica, ut ſequela et ſymptoma ejusdem, quae hydrope ſublato ſaepe ceſſat.

12) Ac poſtremo debilitas univerſalis ac inſanabilis febrem hecticam poſt ſe trahere poteſt, ut hic caſus ſaepe in maraſmo ſenili, phthiſi nervoſa et dorſali obtinet.

De Febribus phthiſicis.

Quodſi differentiam certam inter hecticam et phthiſes facere velimus, febres illae tabidae, quae e reſorptione materiae purulentae naſcuntur, *phthiſes* ſunt nominandae.

Exulceratio proinde ſeu purulentia interna, febrem producens tabidam, *phthiſis* nuncupatur.

Dantur quidem caſus, ubi febris conſumtoria in exulcerationibus non e reſorptione puris naſcitur, ſed eſt vera febris hectica, ut etiam revera exulcerationes internae ſine omni febre locum habere queunt. Sed hoc in definitione morbi nihil mutat, nec detrimento eſt practico.

Generatim quidam medici pus non pro cauſa febris materiali exiſtimant; num autem febris phthiſica per pus reſorptum producatur, vel num ea ſequela irritationis cum exulcerationibus internis ſtipatae ſit inflammatoriae, vel num denique materia febrilis

proinde oriatur, ut pulmones obſtructae ac aliqua ex parte deſtructae acrimoniam excernere non poſſint, qua tollenda functio ſua naturalis conſiſtit, cum certitudine determinari non poteſt, nullo autem eſſentiali in medendi rationem influxu gaudet. Hic eo redit, ut contra cauſas ſuppurationis agatur.

Haec ſuppuratio itaque aut eſt ſequela inflammationis manifeſtae; aut oritur etiam priori ſtadio inflammationis minime animadverſo; aut materia non eſt pus verum, ſaltem non eſt ſequela ulceris, ſed tantum lympha alia ratione corrupta.

Pus ipſum aut manat ex ulcero ordinario aperto, et tum appellatur *exulceratio;* aut illud in ſacco contentum eſt peculiari, et tum vocatur *vomica;* aut exoneratum eſt in cavum pectoris, et facit *empyema;* aut continetur in cavo abdominis, et tum *aſcites purulentus* ſalutatur.

Ubi inflammatio adeſt manifeſta, ſuppurationem ſuſpicari licet, ſi vires ſunt nimis debiles, aut nimis actuoſae, quam ut inflammatio reſolvi poſſet, ſi inflammatio eſt nimia, ſi acrimonia humorum inſignis adeſt, ſi morbus non bene eſt tractatus, ſi catarrhi acuti nimium diu durant, ſi pharmaca reſolventia non ſunt ſatis efficacia, e. gr. dolor poſt miſſionem ſanguinis non mitigatur, ſi ſtadium reſolutionis elapſum eſt, dolor remittit, functiones vero partis labo-

rantis manent laeſae, criſesque ad reſolutionem neceſſariae ſupprimuntur.

Ubi nulla praecedit inflammatio manifeſta, ſuppuratio eſt extimeſcenda, ſi pars aliqua doloribus frequentibus eſt expoſita, ſe- et excretiones ejusdem nimium ſunt copioſae, aut etiam ſecretio atque evacuatio praeternaturalis aliqua ex parte contingit, et tum pars in functione manet laeſa, ſymptomataque quaedam febrilia parva, praeſertim horror, obſervantur.

Nodi nonnumquam in ſuppurationem tranſeunt, nec dolor, nec inflammatio praecedat.

Ubi nullum adeſt ulcus, humor quidam in corpore relaxato, ubi ſimul humores ſunt acres, per ſtagnationem diuturnam purulentus fieri, et phthiſim producere poteſt, quod pariter e doloribus partis laborantis, ex motibus parvis febrilibus, ad quos tamen nullae aliae cauſae animadvertuntur, colligere licet.

Exulceratio ſola doloribus plerumque eſt ſtipata.

Ortum vomicae tum licet ſuſpicari, quum in inflammatione dolor mox in ſenſum mutatur preſſorium, ſigna ſuppurationis comparent, neque tamen ulla puris evacuatio contingit. Quamdiu talis vomica eſt clauſa, nulla ſequitur phthiſis, etiamſi ea febrem producere poſſit hecticam. Sed hic ſtatus non ſemper durat, ſed aut ex parte aperitur, ita ut pus non prorſus evacuari poſſit, ſed pars ejus aliqua reſorbetur in

ſanguinem, febremque producit conſumtoriam; aut tota aperitur. Hoc in caſu pus aut e corpore educitur, aut ſeſe exonerat in cava corporis, atque aut empyema, aut aſcitem purulentum producit.

Cauſae, quae, praeter inflammationem, ſuppurationem producere queunt, ſunt:

1) Laeſiones externae, quibus aut vaſa partium lacerantur, aut ſaltem maxime debilitantur, ita ut fluidum in vaſis contentum ex iisdem erumpat, et per ſtagnationem in pus mutetur.

2) Stagnationes materiae arthriticae et calculoſae, quae primum plerumque e tuberculis conſiſtunt duris, quae, quamdiu illa ſunt dura, *tubercula* vocantur *cruda*, ſi vero in ſuppurationem tranſeunt, appellantur *tubercula cocta*. Haec tamen tubercula ante ſuppurationem in partibus vicinis quandam inflammationis ſpeciem efficere videntur, quia tum plerumque dolore acriter pungente, ſed nulla febri proportionale ſunt ſtipata. Ceterum ſedem in tela pulmonum celluloſa habent, atque inde oriunda phthiſis ſua natura ab illa diverſa eſſe videtur, quae ſequela indurationum glandularum in arteriae aſperae branchiis eſt.

3) Exanthemata retropulſa. Inter acuta morbilli, inter chronica ſcabies facile ſuppurationibus internis anſam praebere poſſunt.

4) Ulcera externa, naturae jam conſueta, ſi ea praemature ſanentur, cauſa ſuppurationum internarum ſieri poſſunt.

5) Stagnationes ſanguinis ex haemorrhagiis conſuetis et ſuppreſſis.

6) Acrimoniae peculiares; huc inprimis acrimoniae rheumaticae, ſcrophuloſae, ſcorbuticae et venereae pertinent.

7) Variae exulcerationes contagioſae eſſe videntur, quod in phthiſi pulmonali haud rarum eſt.

8) Datur quoque diſpoſitio quaedam, vi cujus exulcerationes internae ſine omni cauſa manifeſta oriuntur.

Omnes hi morbi ſunt periculoſiſſimi, atque in medendi ratione eorum huc fere omnia redeunt:

1) Ut cauſae ſuppurationis tollantur, quod ſaepiſſime eſt difficillimum.

Ubi minima ſuſpicio inflammationis adeſt, methodus antiplogiſtica in toto ſuo ambitu locum habet.

Ubi e contrario ſtagnationes magis ſunt indolis ſpaſticae, opium eſt quam maxime proficuum. Neceſſe eſt etiam hoc in caſu, diaetam aliquanto magis eſſe nutrientem, quam in priori.

Tubercula e materia arthritica et calculoſa in initio ſuo agnitu ſunt difficillima, et poſtea, etiamſi ea ſe manifeſtaverint, ſublatu ſunt diffi-

cilia. Illa diſcuti non poſſunt; et proinde, ſi illa incipiant reſolvi, omnia ab eorum ejectione totali ſunt exſpectanda, quae vero per antiſpasmodica atque emollientia eſt promovenda.

Exanthemata retropulſa aut rurſus reproducenda ſunt, aut per reſolventia et diuretica educenda, aut per ſpecifica tollenda. Saepe hic camphora utiliſſimam ſe praeſtat. Loco ulcerum externorum conſolidatorum in eodem loco fonticuli et ſetacea fiunt.

Haemorrhagias ſuppreſſas contendimus, quoad ejus fieri poteſt, rurſus reducere, aut earum defectum per miſſionem ſanguinis atque hirudines, pro ratione virium, compenſare.

Quodſi praeterea ſimul obſtructiones in viſceribus abdominis adſunt, quae pariter congeſtiones ſanguinis verſus thoracem producunt, exercitatio corporis in aëre libero, inprimis equitatio, quae vero tantum in hoc ſolo caſu utilis eſſe poteſt, nec generatim commendanda, inſervit. In multis enim phthiſibus proclivitas ad ſuppurationem per aërem liberum augetur. Ex hac ratione multis navigationes plurimum conducunt, quoniam in mari aër eſt humidus atque adeo minus liber.

Contra acrimonias ſingulares ſpecifica verſus ea inſervientia utuntur. In acrimonia rheumatica veſicatoria continuo uſurpata proſunt.

Perſpiratio phthiſicorum, tanto magis autem conſpurcatio cum illorum excretionibus, quam diligentiſſime ſunt evitanda.

Diſpoſitio naturalis vix ac ne vix quidem domari poteſt.

In omnibus caſibus ſollicite ea evitantur, quaecunque ſuppurationem promovere poſſunt, omnes exaeſtuationes, ſeu eae fiant per motum, ſeu per animi pathemata, ſeu per uſum remediorum internorum. Nitimur proinde omnes ſe- et excretiones, qaantum quidem fieri poteſt, in curſu ſuo conſervare, jubemus aegrum in aëre puro, tamen minime concentrato verſari, quoniam is reſolutionem purulentam promovet; cavemus illis ab animi pathematibus, et ſumma obſervatur cautio cum uſu remediorum balſamicorum, ac corticis chineae, qui poſterior numquam prius locum habet, quam ubi nulla amplius extimeſcenda eſt ſuppuratio.

Quodſi praevidetur, proclivitatem ad ſuppurationem propter diſpoſitionem naturalem eſſe nimiam, ulcera artificialia eximiae ſunt utililatis. Minime ad pus praeſens evacuandum, ſed ad

ſtatum inflammatorium tollendum, qui fere ſemper praecedit, nitimur.

2) Ubi jam ſuppuratio vera adeſt, ſollicitos eſſe oportet de pure educendo, quod poſitu et conditione partis adfectae aut per remedia interna, aut per apertionem externam in contiguitate partis ſuppurantis fieri poteſt.

Ulcera externa artificialia tunc inprimis ſunt uſus praeſtantiſſimi, ſi ulcus internum cum tela celluloſa communi ita cohaeret, ur pus per celluloſam adſumi, itaque ita ad ulcus externum deferri queat. Illa etiam extenus utilia eſſe poſſunt, quatenus per ea pus jam in ſanguinem transgreſſum educitur, etiamſi effectus eorum hoc in caſu non ſit tam ſalutaris, quoniam ea tranſitum puris in ſanguinem augere poſſunt, nec tamen fontem ulceris tollunt. Multum itaque in eo ſitum eſt, ut ſciatur, utrum ulcus ab acrimonia interna alatur, an vero educto pure ſanari queat.

3) Ratio praeterea ſemper eſt habenda virium conſervandarum; omnes evacuationes immodicae ſunt evitandae, et propter febrem quidem nulli cibi calefacientes, verum tamen ad vires conſervandas nutrientes e regno vegetabili ſunt praebendi, ne ulcus ob vires deficientes acre et malignum reddatur.

Cortex quidem peruvianus gaudet hoc in caſu proprietate pus corrigendi. Ubi autem proclivitas univerſalis ad ſuppurationem adeſt, non eum adhibere licet, quoniam alias quidem ſuppuratio jam praeſens corrigi, ſed ſimul etiam novae occaſio praeberi poteſt.

Generatim ibi tantum cortex chinae locum habet, ubi plus adeſt laxitatis, quam inflammationis, pus liberum habet exitum, nec reſorbetur. Nulla norma medendi rationis eſt magis letalis, quam febrim e pure reſorpto natam per corticem chinae ſupprimere velle.

4) Ubi nullum adeſt ulcus verum, ſed lympha tantum in viſceribus relaxatis acris ac purulenta redditur, cortex peruvianus, atque aër fixus, ita adhibitus, ut is e ſale lixivioſo, atque acido vitrioli in ventriculo demum evolvatur, uſum habet omnino praeclarum.

Phthiſis pulmonalis.

Phthiſis pulmonalis e doloribus in thorace vagantibus cognoſcitur, qui praeſertim ſub oſſe ſterni, ſed tamen quoque in aliis locis originem ſuam habere videntur, e tuſſi, quae initio levis et brevis, attamen permanens eſt, atque per inſpirationem facile excitatur. Praeterea vox aliquantum eſt rauca plerumque profunda aut clangoſa. Reſpiratio fit difficilis. Hor-

rores quoque frequentiores cum vertigine atque anxietatibus comparent. Exſcreatio ſenſim fit purulenta, atque in ore ſaporem ſulſo-dulcem excitat. Lingua aut eſt ruberrima aut fuſca. Pulſus fit febrilis, ac denique ſequitur febris vera tabida.

Nonnumquam diſpoſitio naturalis et connata ad ſuppurationem in pulmonibus adeſt. Haec e facie oblonga, collo longo, humeris altis et pectore plano cognoſcitur. Dentes plerumque colore puro lacteo gaudent. Cutis eſt tenera, atque in malis conſpiciuntur maculae vividiſſime rubrae. Aegri ſunt animi maxime ſenſibilis atque ad iram proclives. Illi ſaepe etiam collo obſtipo ſunt obnoxii, atque animadvertitur in illis pronitas ad haemorrhagias, inprimis ad haemoptyſin atque haemorrhoides. Hic ſtatus quidem diu durare, ſed etiam inſenſibiliter in phthiſin pulmonum tranſire poteſt. In hac diſpoſitione morbus intra annum decimum quintum et trigeſimum quintum ſe prodit, et quidem eo maturius, quo citius ſubjecta creſcunt. Tubercula in pulmonibus quidem pariter e diſpoſitione naturali naſci poſſunt, ſed etiam non raro e materia arthritica ac exanthematibus retropulſis, ubi etiam diu ante tabem tuſſis brevis, lenis adeſt, quae plerumque negligitur.

Phthiſis, quae poſt inflammationes pectoris veras oritur, in initio ſuo clarius ſeſe manifeſtat. Niſi inflammatio pulmonis ad ſummum intra quatuordecim

dies reſolvatur, dolor quidem remittit, ſed reſpiratio aliquantum difficilis et tuſſis parva, ſicca remanent, atque aegrotus quodam latere incumbere non poteſt, nullum fere eſt dubium, quin vomica fuerit orta, quae quidem per aliquod tempus clauſa manere poteſt, ita ut omnes motus febriles ceſſent, aegrotusque augeſcere videatur, ſed minimis occaſionibus praebitis, aut penitus rumpitur, aut ex parte aperitur, pus in ſanguinem transmittit, et per hoc febri tabidae dat anſam.

Acrimoniae rheumaticae, venereae et ſcrophuloſae haud raro occaſionem ſuppeditant phthiſibus, quae pariter ſenſim ſenſimque naſcuntur atque hinc ſaepe neglectae radices agunt.

Hujus plerumque generis eſt illa phthiſis, quae e ſuppuratione tracheae et bronchiorum oritur, atque inde *phthiſis trachealis* ſalutatur. Diſtinguitur ab aliis ſpeciebus per reſpirationem inſigniter anxiam, et per raucedinem vocis pertinacem et conſtantem.

Et denique catarrhi neglecti, atque inveterati ſaepiſſime ſunt cauſa cujusdam ſpeciei phthiſeos, ubi quidem nullum adeſt ulces verum, attamen pulmones ita ſunt relaxati, ut illi ſtatio humorum corruptorum et purulentorum evadant, qui partim iterum in ſanguinem reſorbentur, et tabem pariunt.

Haec ſpecies tabis *phthiſis pituitoſa* appellari ſolet, atque ab aliis ſpeciebus in eo diſtinguitur, quod ha-

bitus phthiſicus deſit, plus adſit relaxationis quam irritabilitatis, initium ejus fuerit catarrhale, dolor non facile lancinans, ſed magis preſſorius, exſcreatioque majorem habeat pelluciditatem atque viſciditatem, quam pus verum.

Natura exſcreationis ſaepe difficile eſt cognoſcenda. Plerumque pus facilius cum aqua commiſcit, atque ab illa celeriter ſe diſcernit, quam mucus. Diagnoſis autem certa e proxime prolatis circumſtantiis eſt determinanda.

In hac ſpecie phthiſeos ſaepe quoque ſunt alii fluxus pituitoſi critici, e. gr. fluor albus, haemorrhoides mucoſae, fluxus narium. Atque haud raro ea per rheumatiſmum tollitur chronicum.

Etiamſi in omnibus his ſuppurationibus non ſemper ſtadium inflammationis praegreſſum obſervari poſſit, molimina ſuppurationis tamen per tenſiones in thorace ſpaſticas ſeſe produnt, quae tum e circumſtantiarum nexu pro eo agnoſci atque accipi debent, quod illa ſunt.

Ubi vomica nata eſt, quae non ſtatim rumpit, quaeque ſe a pure penitus per tracheam exonerat, ſtatus plerumque eſt conclamatus. Quodſi ea manet clauſa, pus in ea contentum eo fit acrius, et deinde, ſi in ſanguinem tranſire poſſit, eo vehementorem febrem producit. Si vero mox poſt ortum ſuum rumpitur, per tracheam omnis exoneratur, nulla ſequitur

febris, tuſſis remittit, atque appetitus et ſomnus boni ſunt, ſanationem expectare licet. Si vero ſymptomata poſt rupturam magis augeſcunt, quam decreſcunt, ſignum eſt, quod aut continuo novum pus producatur, aut pus atque ulcus praeſens acre et malignum fiat.

Quodſi vomica in procinctu eſt rumpendi, oriuntur plerumque vertigines, anxietates, lipothymiae, tremor in artubus et ſenſus ſuffocationis. Quodſi ea ita rumpitur, ut pus in cavum thoracis effundatur, atque empyema producat, reſpiratio quidem ad breve tempus fit facilis, ſed mox adhuc difficilior fit quam antea erat, aegri ſentiunt gravitatem in diaphragmate, tergo commode incumbere, aut ſe pronos flectere non poſſunt, atque ſi nulla adhuc adfuiſſet febris lenta, ea jam oritur, aut vehementior fit.

Quodſi febris jam tam diu duravit, ut aegroti in lecto manere cogantur, atque exſcreatione exiſtente libera, tamen excretiones colliquativae comparent, manus intumeſcunt, et conatus ad dejectiones alvi frequentes ſentiuntur, mors non longe abeſt, quae tum aut e virium exhauſtione, aut e ſuffocatione ſequitur.

Sphaera activitatis artis in illam inprimis extenditur periodum, ubi natura ſuppurationem moliri incipit. Curandum tunc eſt primo, ut omnes cauſae, quae ſtagnationibus atque inflammationibus in thorace anſam praebere poſſunt, tollantur, et ſecundo,

ut inflammationi jamjam incipienti, per regimen antiphlogiſticum accuratiſſimum, in ratione tamen virium inſtituendum, occuratur.

Methodo antiphlogiſtica non obſtante, diaeta tamen nimium tenuis eſſe non poteſt, quia ipſae ſtagnationes inflammatoriae ſemper fere e ſpasmis, atque adeo e quadam debilitatis ſpecie oriuntur.

Ubi jam ſuppuratio adeſt, natura et diaeta conveniens plurimum efficere debent. Ratio primari habetur puris educendi. Omnia ea e medio tolluntur, quaecunque egeſtionem puris ſupprimere poſſunt, atque inflammationibus novis interceditur. Sal ammoniacum in decocto quodam demulcenti virtutem hic exſerit tam reſolventem atque expectorantem, quam etiam temperantem febris. Sed ſaepe hoc etiam eſt nimium irritans, atque haud raro ab omni uſu pharmacorum efficacium abſtinendum eſt.

Diaeta hic etiam non quidem calefaciens, neque tamen debilitans ſed nutriens eſſe debet, ne vires per motus febriles nimium profligentur.

Ad ruptionem vomicae multi medicorum conati ſunt praeſcriptiones dare, quae autem longe ſunt incertiſſimae. Saccum vomicae pleura et membrana pulmonis propria conſtituente, ſaepe fonticuli et ſetacea ſuper loco adfecto proficua eſſe poſſunt. Paracenteſis eo minus hic eſt ſecura, quo ſigna ſedis vomicae ſunt incertiora. Ubi empyema adeſt, nonnum-

quam evacuatio puris per paracenteſin perfici poteſt, ſed haud raro etiam per hoc mors acceleratur.

In phthiſi pituitoſa ars plurimum valet. Aër fixus et cortex chinae mirabiles hic ſaepe exſerunt vires. (V. *Aër fixus* et *cortex peruvianus.*) Potius hic etiam balſamica locum habent. Sic e. gr. myrrha in connubio cum ſale lixivioſo et tantillo acidi tartari eſſentialis exhiberi poteſt.

Omnium autem minime in phthiſi tracheali arti quidquam efficere licet, inprimis ſi jam morbus diu duraverit. Vapores emollientes, veſicatoria, et remedia diaphoretica in morbi initio ibi uſum praebere poſſunt, ubi ea eſt ſequela catarrhi aut rheumatismi. In morbi progreſſu cortex peruvianus cum mercurialibus permixtus, inprimis cum ſolutione plenckiana, atque ulcera artificialia externa ſunt pharmaca ſecuriſſima atque efficaciſſima, ad morbum etiamſi non impediendum, tamen trahendum et mitigandum. Saepe nihil amplius quam demulcentia exhibere licet.

Phthiſis hepatica.

Ulcus hepatis ſeſe prodit, per ſenſum in hypochondrio dextro preſſorium, per colorem cutis flavum, et per turbas in appetitu, in concoctione atque in ſedibus. Cauſae etiam praegreſſae lucem in conſtituendo morbo foenerantur. Exſcreatio puris e pulmonibus deeſſe, ſed etiam adeſſe poteſt, uti pus etiam

etiam per reſorptionem alias ve vias educi queat. Pus inprimis ad ſuras ſe dejicere, ibique ulcera formare ſolet, quae vero raro ſtatum allevant, ac etiam per ſe facile redduntur maligna. Reſpiratio ſuper haec eſt difficilis, et tuſſis, ſuffocatio propenſioque ad vomendum adſunt.

Vomica inter peritonaeum, et membranam hepatis exteriorem formari, tumorem gignere, et tum per apertionem artificialem evacuari poteſt. Sed quoque in cavum abdominis aperiri, aſcitem purulentum, et per hunc mortem producere poteſt.

Phthiſis lienalis.

Hic ſaepe intumeſcentia hypochondrii ſiniſtri, et pulſatio obſervantur. Cubitus aegro ad latus dextrum fit moleſtus. Utplurimum primum intumeſcit per ſiniſter. Aegroti plerumque ſunt triſtes et moroſi. Morbus rarius occurrit, quam reliqui, atque in medendi ratione ſumma rei in eo verti videtur, num ulcus verſus exteriora aperiri poſſit.

Phthiſis renalis.

Exulceratio renum praeter cauſas ſolitas quoque e calculo oriri poteſt. Aegri ſentiunt gravitatem in regione lumbari, et torporem in femore lateris adfecti. Pus obſervatur in urina.

Evacuatio puris per remedia lenia diuretica, quorſum inprimis aër fixus pertinet, ac per epithemata

emollientia maxime promoveri, morbusque ſaepe per hoc jam ſanari poteſt, niſi adſit calculus, qui novas iterum ſemper producit inflammationes.

Phthiſis uterina.

Praeter cauſas ordinarias ea quoque e coitu nimium frequenti oritur. Exulceratio facile redditur maligna ac carcinomatoſa, auxiliumque utplurimum eſt juſto ſerius, quum illud ab aegris quaeritur. Hic per injectiones purificantes et demulcentes e radicibus recentibus conſolidae majoris, cicutae et ſcordii opitulamur.

Phthiſi exiſtente indolis magis mucoſae, atque e fluore albo nimium frequenti et diuturno orta, adhibenda ſunt roborantia externa atque interna. Forſitan quoque vapores ex aëre fixo, immediate ad partem adfectam admiſſi eximium praeſtare poſſunt uſum.

Phthiſis meſenterica.

Haec plerumque ex acrimonia ſcrophuloſa naſcitur, atque in perpetuum fortaſſe eſt inſanahilis, quoniam pus facile in cavum abdominis exoneratur.

Phthiſis inteſtinalis.

Exulceratio inteſtinorum aut eſt ſequela venenorum admodum corroſivorum, aut dyſenteriae. Nihil

pariter amplius effici poteſt, quam per demulcentia exitus puris promoveri, novisque inflammationibus praecaveri.

De Morbis nervorum.

Morbi, in quibus ſyſtema inprimis nervoſum eſt invaſum, ac in quibus laeſio facultatis ſenſitivae et locomotivae contingit, ab auctoribus *morbi nervorum*, ſeu *morbi nervoſi* ſunt appellati.

Morbi ſyſtematis nervoſi in duas diſpeci poſſunt claſſes primarias; primo in illos, ubi ſyſtema nervoſum tam ſenſibile eſt, ut etiam parvae cauſae, quae in conſtitutionibus naturalibus nullam producunt mutationem, magnam jam in illis producant inordinationem. Hi ſunt illi, quos ego alibi ut morbos nervoſos proprie ſic dictos deſcripſi, quique a ſcriptoribus *morbi nervoſi ſine materie* appellantur; ſecundo omnes reliquae nervorum laeſiones, quae e manifeſtis, atque in conſtitutionibus etiam validis ſufficientibus naſcuntur cauſis, et qui a ſcriptoribus *morbi nervoſi cum materie* vocantur.

Quodſi definitionem meam de morbis nervoſis ſequi velimus, morbi tantum prioris claſſis nomen *morbi nervoſi* merentur, claſſis poſterioris tantum *morbi nervorum* appellari deberent.

Non ego hic in conſtituendis ſpeciebus huic diviſioni inhaerebo, ſed hanc diverſitatem in cauſis ſingulorum morborum adlaturus ſum, ut etiam hic tantum mihi magis cum morbis generalioribus res eſt in univerſum, quippe mala magis particularia ad morbos particulares rejecturo.

Antipathia.

Conditiones nervorum certae dantur, quarum vi quaedam res, in alios mortales parum aut nihil virium habiturae, effectum prorſus ſingularem atque inſolitum exſerunt. Sic e. gr. quidam homines e felis exhalatione liquuntur animo, ita tali quidam a quibusdam pharmacis, cibis aliisque objectis horrore invaduntur, ut illi ſenſationem illorum penitus ferre nequeant.

Hic eſt morbus nervoſus ſine materie, isque ex idioſymcraſia oriri vulgo dicitur, hoc eſt, quod is rationem ſuam in proprietate corporis peculiari, individuali ac proprio agnoſcat.

Morbi hujus generis aut ſunt connati, aut per educationem contracti. In utroque caſu difficiles ſunt ad tollendum, ſciendi tamen illi ſunt, ut in tractatione aliorum morborum nosmet ſecundum illos dirigere queamus.

Malum hypochondriacum et hyſtericum.

Symptomata ſyſtematis nervoſi tranſitoria e ſingulari nervorum debilitate, cauſisque, quae prorſus non ſufficientes eſſe videntur, oriunda, atque in quae opium ſpecificam exſerit virtutem, ſunt ea, quae ego ſub titulo praeſcripto complector. Et quemadmodum in febribus contradictorium ſymptomatum character eſt febris nervoſae, ita etiam in malis nervorum chronicis, contradictorium, et minime in ratione ſolita exiſtens, eſt character hypochondriae atque hyſteriae.

In viris ſaepiſſime haec ſymptomata cum obſtructionibus viſcerum abdominis, atque in mulieribus cum vitiis uteri ſunt conjuncta, quare unus idemque morbus, pro diverſis ſpeciebus acceptus atque ille *hypochondria*, hic vero *hyſteria* fuit appellatus.

At ſaepiſſime neque obſtructiones notabiliter, neque vitia uteri inſignia obſervantur, uti etiam morbus in mulieribus ſimul vitiis hepatis, lienis reliquorumque viſcerum ſtipatus eſſe poteſt.

Alterutrum proinde horum nominum eſt derelinquendum, aut idem morbus in viris *hypochondria*, in mulieribus *hyſteria* eſt appellandus.

Quo magis ſymptomata cauſas ſolitas, manifeſtas ac ſufficientes agnoſcunt, eo minus ea nomen noſtri morbi merentur. Quo cauſae ſunt occultiores, quo

leviores, quoque magis inſufficientes illae videntur, eo magis illis deſcriptio noſtri morbi competit.

Diſtinguendus itaque hic morbus pariter eſt in morbum cum materie, atque in morbum ſine materie, in caſu tamen priori cauſa materialis non ita comparata eſſe debet, ut ea in omnibus conſtitutionibus eadem producat ſymptomata, quia is tum nomen noſtri morbi non meretur. Rarius hic morbus in viris reperitur ſine materie, frequentius in ſexu ſequiori.

Symptomata tanto naſcuntur ocyus, tanto ſunt vehementiora, eo citius tranſeunt, eoque facilius per opium ſe domari patiuntur, quanto minus morbus eſt cum materie, et quo magis proinde e debilitate atque irritabilitate ſyſtematis nervoſi oritur ſingulari.

Diſpoſitio ad hunc morbum e ſenſibilitate morali inſolita atque praeternaturali cognoſcitur, homines ſunt triſtes, incerti animi, diffidentes et timidi, licet certis occaſionibus nimium vehementes. Concoctio vitioſa et proclivitas ad flatus peculiaris ſimul adeſt. Reliqua ſymptomata ſunt intemperies ſubitae et palpitatio cordis ſine plethora, reſpiratio impedita, et ſenſus quaſi in trachea aliquid haereret, nec tamen quidquam adeſt, niſi ſpaſmus, quod ſymptoma poſterius appellatur *globus hyſtericus;* lypothymiae occaſionibus minimis praeſentibus; proclivitas in diarrhoeas, ſine erroribus in diaeta praegreſſis; vomitus

bilis viridis; ſitis ſine calore; vertigo, absque plethora aut ventriculo infirmo ut cauſa; frequens ſputatio, frigefactio facilis et q. ſ. a.

Haec debilitas atque irritabilitas ſyſtematis nervoſi per cauſas maxime debilitantes produci poteſt, e. gr. per evacuationes juſto frequentiores, per animi pathemata et contentiones perſeverantia; ea quoque a natura adeſſe poteſt, nec alia ratio ſufficiens reddi queat.

Cauſae occaſionales, quae diſpoſitione praeſenti, ſymptomatibus hypochondriacis atque hyſtericis anſam praebere, eadem augere pertinaciaque reddere queunt, praecipue ſunt:

1) Diaeta inepta, e. gr. cibi difficulter concoquendi, uſus potulentorum calidorum, vita exiſtente ſine corporis exercitatione.

2) Evacuationes impeditae, quibus natura eſt adſueta, aut per quas ipſa ſibi opitulari conatur, e. gr. haemorrhagiae, ſudores.

3) Animi pathemata, e. g. ira, pavor, moeſtitia.

4) Stagnatio muci et bilis atrae in viſceribus abdominis, qua functiones concoctionis et chylificationis turbantur.

5) Acrimoniae peculiares, e. gr. acrimonia ſcrophuloſa, ſcorbutica, arthritica.

6) Obſtructiones viſcerum abdominis.

Symptomata, ratione medendi exiſtente apta, raro ſunt periculoſa, aliis tamen morbis pernicioſis anſam praepere poſſunt. Nonnumquam diſpoſitio hypochondriaca cum annis evaneſcit.

In medendi methodo res eſt magni momenti, indolem horum ſymptomatum noſſe. Miſſio ſanguinis et remedia frigefacientia in vertigine et palpitatione cordis hyſterica, remedia evacuantia in defectu appetitus, obſtructioneque alvi hyſterica non ſolum ſunt inertia, ſed etiam ſequelis longe nocentiſſimis occaſionem dare queunt.

Ubi in exacerbationibus periculum adeſt, aut illae nimium ſunt graves, exhibenda ſunt ſola antiſpasmodica, atque inter haec opium atque oſſa foetida, niſi adſit plethora manifeſta minimeque dubia.

Extra acceſſiones contendimus primo cauſas manifeſtas tollere. Imperamus diaetam convenientem, enitimur evacuationes conſuetas reſtituere, aegros ab animi pathematibus cuſtodire, in ſocietatem gratam introducere, exercitationem corporis ſufficientem comparare; bilis atra impuritatesque primarum viarum aliae educuntur per ſolventia atque evacuantia; obſtructiones abdominis tolluntur (V. *Pulvis ecphracticus* et *elixirium reſolvens*); et contra acrimonias ſingulares adhibentur remedia hunc in finem inſervientia.

In mucoſitate atque obſtructione viſcerum abdominis prodeſt uſus ſuccorum herbarum reſolventium

perſeverans e. gr. Leontodon taraxaci, marrubii, fumariae et ſ. p. Eadem haec remedia, in forma enematum adhibita, ſaepe eximium effectum praeſtiterunt.

Ipſam nervorum debilitatem enitimur tollere, contendendo ut omnes cauſae debilitantes e medio tollantur, martem interne exhibemus, (V. *Tinctura martis apertiva atque adſtringens*) atque aegris balnea frigida multumque exercitationis corporis ordinantur.

De animi Morbis.

Huc pertinent vitia facultatum animi ſingularia, quae rationem ſuam non in natura hominis propria, ſed in cauſis praeternaturalibus ſingularibus agnoſcunt. Species eorum praecipuae ſunt ſequentes:

Amneſia.

Ita vocant *memoriam infiniter infirmam*, ubi tamen facultas judicandi non ſimul immediate eſt debilitata, quamvis ea ſemper ſimul laborat.

In memoria debili ſemper facultas ideas combinandi deeſt, atque extenus neceſſe eſt, profecto etiam facultatem judicandi ſimul laborare. Aegrotus tamen de rebus, quarum meminit, accuratiſſime judicare poteſt.

Memoria debilis naſcitur:

1) E nimia contentione atque occupatione animi, ac praecipue judicii varia.

2) E coitu atque onania nimium frequenti.
3) E laeſionibus capitis externis.
4) E pathematibus animi vehementibus.
5) E cephalalgiis diu perſeverantibus.
6) Ex uſu potulentorum ſpirituoſorum nimium largo.

In primo caſu per aliquod tempus aegro a negotiis eſt abſtinendum. In ſecundo a coitu, ſedulo evitando irritamenta externa, lavando ſe frigide, atque interne pharmaca roborantia adſumendo. Et ſic pariter ratio reliquarum cauſarum tollendarum habetur, quarum medendi ratio jam in pluribus locis eſt tradita.

Omnes cauſae enumeratae quoque hydrocephalo atque hydropi pectoris anſam praebere poſſunt, quorum, memoria infirma, ſemper fere eſt ſymptoma princeps.

Amentia partialis.

Aegri dantur, qui tantum in una re minus recte judicant, in omnibus aliis autem ſane et rite cogitant. Huc e. gr. pertinet imaginatio, quumquis perſuaſum ſibi habet, pedes ſibi vitreos fragibiles eſſe *Noſtalgia* quoque certo reſpectu huc pertinet. Haec ſpecies morborum plerumque cauſas habent morales, quae perveſtigandae ſunt, et contendendum, ut eae pariter moraliter tollantur. Peſſima noſtalgiae ſymptomata per reditionem in patria tolluntur. Sic etiam alii morbi hujus ſpeciei per expletionem neceſſitatis phan-

taſticae ſanari poſſunt. Ubi ſolummodo ingenium laborat, et nullae appetentiae vehementes immiſcentur, vitium veriſimiliter in cerebro ipſo ſitum eſt, et propterea tanto difficulter eſt tollendum.

Melancholia et Mania.

Triſtitia, puſillanimitas atque amor ſolitudinis ſingularis, una cum judicio minus recto unius aut plurimum objectorum appellatur *melancholia.*

Delirium univerſale vehemens, ſed chronicum vocatur *mania.*

Utrique morbi maxime in ſuis cauſis conveniunt, propterea ego quoque eos hic conjungo.

Melancholia gradus hypochondriae adauctus eſſe poteſt, ea tamen quoque ſine omni diſpoſitione hypochondriaca oriri queat.

Mania gradus melancholiae auctus eſſe poteſt, non tamen ſemper ſtadium praegreditur melancholicum, ſed naſcitur ea ſubito, atque haud raro ſine omni melancholia atque hypochondria ſuper ante tollitur.

Mania diſtinguitur a phrenitide per durationem longiorem, porro quod in mania vires non deſint, et tertio per abſentiam febris, quae quidem in fine ſuperaccedere, attamen non pro cauſa delirii haberi poteſt.

In mania quoque adeſt plerumque ſpecies quaedam inſenſibilitatis adverſus irritationes nonnullas.

E. gr. aegri ſentiunt plagas, ſed calorem aut frigus, aut veſicatoria, et ſ. p. non ſentiunt.

Nonnumquam morbus eſt periodicus, atque aegroti in temporibus bonis omnium actionum factarum recordarunt.

Quo cauſae ſunt minus manifeſtae, minusque vincibiles inveniendae, quo morbus jam diutius duravit, quo pulſus eſt langidior ac tardior, eo minus ſpes ad convaleſcentiam adeſt, et tum aegri plerumque tabe, rariſſime morbis acutis moriuntur.

Cauſae vulgatiſſimae ſunt:

1) Diſpoſitio hypochondriaca atque hyſterica, aut etiam alia debilitatis, ſenſibili totisque ſyſtematis nervoſi ſpecies, ita ut parvae ac minus notabiles cauſae jam ſufficiunt ad morbum producendum.
2) Pathemata animi vehementia, ut ira, pavor, moeror, gaudium.
3) Contentiones animi perſeverantes, ingens quoque inſtinctus et cupiditas, quae expleri nequit.
4) Evacuationes nimiae.
5) Exanthemata retropulſa, ut ſcabies.
6) Haemorrhagiae conſuetae ſuppreſſae.
7) Vitia cerebri organica, etiamſi ſectiones cadaverum nihil certi hac in re conſtituerint. Cerebrum aut nimis durum, aut nimis molle deprehenditur, quod quidem etiam omnino ſequela

morbi eſſe poteſt, haud raro gaudet cerebrum habitu etiam prorſus naturali. Obſervationes non deſunt, ſolutiones piae matris probabilem maniae cauſam fuiſſe. At ego vidi piam matrem per humorem gelatinoſum ſolutam, in homine e vulnere capitis extincto, qui aliquot horis ante mortem integra uſus eſt ratione. Saepe invenitur, cranium firmiſſimum dura matre cohaerere; ſubinde etiam adeſt aqua inter illa, quae vero ſaepius adhuc inter duram et piam matrem deprehenditur, ut et generatim haec poſterior maxime in hoc morbo laborare videtur. Sed etiam haud raro contingit, ut jam innuimus, ut nullum prorſus vitium cerebri animadvertere liceat.

8) Impuritates bilioſae, inprimis ejus generis, quae atrabilis vocatur.

9) Obſtructiones viſcerum abdominis.

10) In puerperis non raro occurrit ſtatus melancholicus, ſaepe in maniam degenerans, ſummeque eſt periculoſus. Nonnumquam praeter cauſas enumeratas metaſtaſes lacteae cauſa eſſe videntur; videre mihi tamen caſus licuit, ubi morbus erat letalis, neque tamen ullas cauſas morbi aut mortis detegere potueram.

11) Nec deſunt obſervationes, morbum fuiſſe haereditarium, infanteſque ſtatim poſt nativitatem ſpecimina virium et ferocitatis inſolita edidiſſe.

Ratio primum in medendi methodo habetur cauſarum craſſarum. Quodſi plethora adeſt, venae ſectio inſtituitur. Saburra biliosa, obſtructionibusque viſcerum praeſentibus, propinatur tartarus emeticus, aut aqua benedicta Rulandi in doſibus ſenſim ſenſimque auctis, quo non raro jam finem conſequi licet. Plethora abdominalis in languido atque haud celeri pulſu indicat pellentia, et hic caſus eſſe videtur, ubi helleborismus veterum locum habet.

Corpore materia ſcabioſa ſcalente hepar ſulphuris ſalinum applicatur, aut enitimur ſcabiem per inoculationem iterum retroducere.

Debilitatem atque irritabilitatem ſyſtematis nervoſi conamur per roborantia, veſicatoria et balnea frigida tollere. Ubi nullas novimus cauſas manifeſtas, periculum cum camphora in doſibus paulatim auctis facere licet, quae ſaepe inſignem exſerit virtutem, inprimis natura per motus febriles ſuccurrente, aut ſi morbus e metaſtaſibus lacteis originem ducere videatur. Quodſi evacuationes ſufficientes ſint factae et tamen activitas eſt nimis magna, opium in magnis doſibus prodeſt.

Cauſae morales ſingularem merentur attentionem. Ac generatim multum in medendi ratione hujus morbi in tractatione aegrorum morali ſitum eſt momenti. Minime eſt contendendum, per haud neceſſariam reſiſtentiam aegros adhuc magis irritare, ſed aut aegro-

rum voluntati ſatisfacere, aut eorum attentionem ab objectis ejus rabiei deducendo diligentiam adhibere, atque haec generatim tantum, quantum fieri poteſt, tollere.

De Convulſionibus.

Contractio muſculorum imperio voluntatis ſubjectorum praeternaturalis vocatur *convulſio.*

Muſculo in contractione manente aut ſaltem paulatim ſe retrahente appellatur *convulſio tonica.*

Quodſi vero contractio et retractio mutuo et cito ſibi invicem ſuccedant, *convulſio clonica* ſalutatur.

Crampus.

Sic appellatur convulſio tonica dolore ſtipata e cauſis tranſeuntibus, inprimis in ſuris, percepta.

Convulſiones.

In aegris hypochondriacis atque hyſtericis ſubinde convulſiones clonicae oriuntur, quae vero tranſeuntes ſunt, nullumque conſtituunt morbum peculiarem.

Triſmus.

Triſmus aut eſt ſymptoma aliarum convulſionum, aut per ſe oritur, praeſertim noctu ex irritatione in primis viis, quam aut vermes aut impuritates pro-

ducunt acres, ſecundum quae medendi ratio eſt inſtituenda.

Riſus ſardonius.

Hoc ſymptoma eſt rariſſimum, et ſaepe cum ſpasmo cynico confunditur. In riſu ſardonio aeque percutitur diaphragma motu convulſivo, atque in riſu naturali.

Alias creditum fuit, riſum ſardonium ſemper per inflammationem diaphragmatis produci, obſervationes autem hanc opinionem refutarunt. Morbus e cauſis reliquarum convulſionum, imprimis autem per eſum ranunculi ſcelerati produci poteſt.

Spaſmus cynicus.

Convulſiones muſculorum faciei appellantur *ſpasmus cynicus*, qui aut eſt ſymptoma aliorum ſpasmorum, aut naſcitur per ſe e vulneribus tendinum moxillae extremitatumque, ubi praeter uſum opii nihil aliud remanet, quam ſeparatio tendinum laceratorum tenſorumque totalis.

Chorea ſancti Viti.

Aegri hoc in morbo in inquietudine et motu ſunt continuo, ita ut illi motus manuum et pedum coërcere nequeant, ubi illi plerumque perfecte ſibi ſunt conſcii, nonnumquam etiam ſunt extra ſe.

Morbus

Morbus frequentiſſime inter decimum et quartum decimum annum obſervatur, nonnumquam tamen ille etiam aetate provectiores invadit.

Adeſt plerumque acrimonia in corpore ſingularis, materiaque irritans, e. gr. vermes, exanthemata retropulſa, et ſimilia, cujus rei in medendi methodo ratio eſt habenda. Num morbus in Italia revera morſu tarantulae produci queat, jure in dubium revocatur.

Epilepſia.

Hic morbus per paroxyſmos chronicos convulſionum clonicarum apparet, ubi aegri ſimul omni conſcientia ſunt privati. Hae convulſiones plerumque ſunt univerſales, ſed nonnumquam etiam tantum particulares.

Acceſſiones tam quoad vehementiam, quam etiam quoad durationem ſunt admodum variae. Maxime ordinarie 10 aut 20 minuta durant. Rariſſime tantum ſunt periodicae. Durante acceſſione reſpiratio plerumque eſt difficilis, atque utplurimum ſpuma ex ore oritur. Pulſus in exacerbationibus eſt ſpasmodicus, celer atque inordinatus.

Nonnumquam acceſſionem praegrediuntur alia ſymptomata ſpaſtica, e. gr. vertigo, urina tenuis et pallida. Subinde ſentiunt aegri ſpasmum in quopiam loco occipere, ſemperque ulterius ſerpere, quodque *aura epileptica* nuncupatur. In quibusdam accedunt

tantum noctu paroxiſmi. Saepe acceſſiones in pleni lunio facile rurſus comparere obſervantur.

Praeter debilitatem atque irritabilitatem ſyſtematis nervoſi univerſalem diſpoſitio etiam ad eam haud raro eſt haereditaria, eaque ſaepe tam occulta, ut detegi prorſus nequeat.

Ad cauſas occaſionales praecipue pertinent ſequentes:

1) Colluvies biliosa acris in primis viis et generatim omnia, quaecunque ventriculum atque inteſtina irritant e. gr. vermes, praeſertim in adultis taeniae.

2) Evacuationes efferae.

3) Materia exanthematica, e. gr. ſcabies, materia varioloſa.

4) Materia arthritica.

5) Evacuationes ſuppreſſae tam ſanguinis, quam etiam inveteratorum diu jam conſuetorum et ſubito ſanatorum ulcerum.

6) Eadem cauſa, quae febrem intermittentem producere poteſt.

7) Cauſa phyſica aut mechanica irritans in cerebro, aut in aliis partibus ſyſtematis nervoſi. E. gr. depreſſio partis cujusdam cranii, feſtucae, indurationes membranarum, et ſ. p. Saepe haec vitia tantum ad cauſas pertinent praediſponentes.

8) In infantibus epilepſia ex irritatione dentitionis, e lacte acri, atque e ſaburra in primis viis acri naſci poteſt.

9) Pathemata animi vehementia, inprimis pavor atque ira.

10) Quum calculi e veſicula fellea in inteſtinum duodenum, aut e renibus in veſicam urinariam deppelluntur, oritur ſaepe ex irritatione per hoc producta epilepſia.

11) Morbus quoque tam e coitu nimium frequenti in corporibus debilibus atque irritabilibus, quam etiam e nimia abſtinentia in ſubjectis conſtitutionis fervidiſſimae oriri poteſt.

12) Subinde nulla cauſa eſt detegenda occaſionalis, ubi tam morbus aut verum eſt ſymptoma nervoſum, aut etiam, quod ſaepius obtinet, e vitiis in ſtructura partium naſcitur: In utroque caſu mutationes quam minime notabiles ad acceſſionem producendam ſunt ſufficientes.

Symptomata leviora non ſemper ſunt optima. Spuma in ore nihil praecipue nunciat periculoſi; ea veriſimiliter e ſpasmo vaſorum minorum naſcitur. Quodſi morbus jam diu duravit, proclivitas ad eum ſit tanta, ut is poſtea e leviſſimis cauſis oriatur.

Generatim in prognoſi morbi momentum ſitum eſt in cauſis, num illae ſint manifeſtae et vincibiles, nec ne. Proclivitas haereditaria extirpatu eſt difficilis.

Quodſi is anta annum decimum quartum oritur, neque morbus eſt haereditarius, cum annis plerumque ceſſat. Poſt annum vigeſimum quintum eſt pertinaciſſimus, difficulterque tollitur, niſi is ab aliis morbis ſanabilibus pendeat. Eſt etiam pertinacior, ubi is ſenſim ſenſimque, quam ubi ſine omni proclivitate ſubito natus eſt. Nonnumquam epilepſia per febrem quartanam, nonnumquam per metaſtaſes tollitur.

Durante paroxysmo nihil faciendum eſt, niſi impediendum, ne aegri per ictum aut caſum damnum ſibi inferant. Servatio et refractio pollicum aegros multo laſſiores reddit, quam ſi illi ſibi ipſis relinquantur. Atque odoratae acres facile pulmonibus nocere queunt. Subjectis hyſtericis omnino res foetidae, ut aſſa foetida, pennae aduſtae ante naſum ſervari poſſunt. Quodſi paroxysmus eſt admodum vehemens, nimisque diu durat, opera eſt danda, ut enema emolliens antispasmodicum injiciatur.

Poſt exacerbationem conamur ſemper diaphoreſin lenem promovere atque conſervare.

Medendi ratio ſecundum cauſas manifeſtas inſtituitur. Ulcera artificialia bonum plerumque praeſtant effectum, inprimis in loco, ubi aegri initium acceſſionis percipere poſſunt; materia varioloſa remanente ea totam ſaepe curam abſolvere poſſunt. Ubi nulla cauſa manifeſta tollenda animadvertitur, et cum ſimilitudine veri opinari licet, debilitatem atque irritabi-

litatem ſyſtematis nervoſi ſingularem praecipue in cauſa eſſe, periculum cum ſpecificis eſt faciendum. Hujusmodi ſunt opium in doſibus ſenſim ſenſimque auctis, ſal ammoniacum veneris, cardamine, camphora, folia aurantiorum, cortex chinae, aſſa foetida, mercurialia, valeriana, moſchus atque oleum animale Dippelii. Viſcum in morbis convulſivis ita ſe habere, quam china in febribus intermittentibus, dictum quidem eſt, per experimenta autem non evictum, propter varietatem cauſarum tantopere differentem etiam impoſſibile. Plus paulo a floribus Zinci ſperare licet.

Niſi malum radicitus tollere liceat, et morbus probabilirer e vitiis cerebri inſanabilibus oriatur, omnes res irritantes congeſtionesque producentes e medio tollere enitendum eſt, per quod etiamſi non omnibus, plurimis tamen acceſſionibus praecavere poſſumus.

Spasmo in extremitatibus incipiente per ligaturam ſubinde propagatio ejusdem ſupprimi poteſt. Nonnumquam etiam nervus in eo loco felici cum ſucceſſu eſt perſciſſus.

Eclampſia.

Epilepſia nonnumquam eſt indolis acutae, et tum appellatur *eclampſia.*

Talis eſt plerumque in infantibus tenellis et puerperis, ubi morbus aut mox tollitur, aut fit letalis.

Morbus hic ſemper eſt ſymptomaticus, quare medendi ratio illius ſecundum medendi methodum morbi principalis inſtituitur.

Raphania.

Convulſiones clonicae magis in convulſionibus irregularibus, quam motibus continuatis conſiſtentes, quae ſemper cum dolore in membris pruriginoſo incipiunt, atque indolis ſunt acutae, appellatur *raphania.*

Eſt illi praeterea ſingulare et proprium, quod ea ſit contagioſa, a quo tantum infantes lactentes excipiendi eſſe videntur, quibus ea non facile communicatur.

Morbo admodum vehementi, ſub lypothymiis contractio membrorum ſpaſtica doloribusque ſtipata, preſſio in ſcrobiculo cordis ſuffocatioque a muco oriuntur.

In ſpecie leniori ſpasmos ſemper ſenſatio formicationis praegreditur.

Pulſus plerumque eſt tardus, intermittens et parvus, atque morte appropinquante fit celer.

Morbus quidem remiſſiones facit, plerumque tamen extremitates manent contracti, atque apices digitorum manus ac pedis torpore hebetes.

Conſcientia plerumque adeſt, niſi alias febris et dolores delirio anſam praebeant.

De morbi cauſa variae exſtant opiniones. Quidam enim deducunt a ſemine raphani raphaniſtri in pane ſimul cocto, atque inde morbus nomen etiam obtinuit; alii a lolio temulento, item alii a rubigine. Alimentum ineptum rationem hujus morbi in ſe continere quam veroſimillimum eſt, omnibusque experimentis conforme.

In omnibus hujus generis aegris fere copioſe vermes in inteſtinis ſe oſtendunt, quarum evacuatio eſt utiliſſima.

In medendi ratione itaque nulli rei tantopere ſtudendum, quam purgationi primarum viarum. Quo facto, ſpasmisque adhuc continuatis, utiliter valeriana in connubio cum camphora adhibetur.

Nonnumquam natura per exanthema indolis ſcabioſae ſibi ipſi eſt opitulata. Morbi mihi occurrunt convulſivi maxima cum raphania gaudentes ſimilitudine, qui pariter per eruptionem ſcabiei ſunt ſoluti.

Hunc morbum ab eo, qui in gallia ſub nomine *ergot* eſt cognitus, toto coelo differre, in capite de gangraena, ſphacelo et necroſi jam ſuperius dixi.

Tetanus.

Sub *tetano* ſenſu generali intelligitur quaevis convulſio tonica, ubi plerumque, non tamen ſemper,

conſcientia deeſt. Species ejus principes ſunt ſequentes:

1) *Tetanus* ſtricte ſic dictus, eſt convulſio tonica muſculorum trunci atque extremitatum, ita ut corpus ſecundum longitudinem extenſum, durum atque immobile maneat.

2) *Opiſthotonus* eſt convulſio tonica illorum muſculorum, qui caput verſus ſpinam dorſi retrahunt.

3) *Emproſthotomus* eſt convulſio tonica muſculorum caput verſus pectus trahentium.

4) *Spasmus maxillae inferioris*, ubi maxilla inferior verſus ſuperiorem trahitur, osque per nullam fere vim aperiri poteſt.

Nonnumquam omnes hae ſpecies in uno eodemque morbo occurrunt.

Morbus nonnumquam eſt chronicus, ſubinde indolis acutae.

Acutae eſt indolis plerumque in regionibus auſtralibus calidis, ubi is cito poſt refrigeria naſcitur, atque utplurimum intra dies undecim necat.

Praeterea ab omnibus cauſis irritantibus, e quibus convulſiones reliquae oriuntur, produci poteſt. Inprimis irritationes in ventriculo atque inteſtinis ſpasmos hujus generis excitare poſſunt, hinc tetanus maxillae haud raro eſt ſymptoma dyſenteriae. Nec deſunt experimenta, quod ſubjecta in aëre inflammabili

in lipothymiam incidentia in tetano vero reperiantur, ſicuti generatim in regionibus calidis aër athmoſphaericus magno hunc in morbum influxu gaudere videtur.

Spasmus maxillae inferioris quoque facile ſequitur poſt laeſiones aut irritationes tendinum tam in muſculis maxillae ipſius, quam in muſculis finium extremitatum. In infantibus facile e lacte ſaburraque in primis viis acri naſcitur, ubi is fere in diebus 3 aut 4 occidit, niſi intra hoc tempus opitulari liceat. In regionibus calidis infantes huic morbo inprimis nono die poſt partum ſunt obnoxii. Nonnumquam materia variolarum cauſa tetani eſſe eſt mihi viſa. Spasmi ſaltem eruptionem variolarum nonnumquam praecedentes, magna cum illis, qui in tetano obtinent, gaudent ſimilitudine. Infantes ſaepe etiam ab hoc tetano in epidemiis variolarum invaſos fuiſſe vidi.

Magna mihi etiam adeſt ratio ad credendum, hydropem cerebri omnino nonnumquam cauſam hujusmodi ſpasmi eſſe, quoniam is haud raro iisdem ſymptomatibus eſt ſtipatus, quae illum morbum comitantur.

In acceſſionibus balnea calida atque frictiones adhibentur.

In ſpasmo maxillae enitimur colluviem per clyſteres educere, et quamprimum vel minima adeſt

X 5

apertura, exhibetur opium, dum tuto evacuantia propinari queant.

Ubi laeſiones tendinum adſunt, conamur hos perſcindere, aut irritationem praeſentem per epithemata emollientia atque opium tollere.

Morbo ex refrigerio orto, omnia a balneis calidis et pharmacis diaphoreticis lenibus ſunt exſpectanda. In quibusdam tetani et ſpasmi maxillae inferioris ſpeciebus, balnea frigida atque infuſio ſubita cum aqua frigida nonnumquam auxilium adhibuerunt.

Reliquis cauſis manifeſtis pro re nata occuritur.

Infrictio mercurii ſaepe ſalutares exſeruit vires, ubi nulla cauſa manifeſta erat detegenda.

Recentiori aetate multum a frictione cum magnate ſuperficioria auxilii fuit promiſſum, quod certe, inprimis in ſpasmo maxillae a refrigerio oriundo, omnibus aliis remediis fruſtra adhibitis, tentare licet.

Ad ſpasmum maxillae in infantibus praecavendum eſt conſultum, deligatione umbilici ſanguinem ex parte in ventre remanentem ante deligationem caute exprimere, norma, quae ſaltem numquam nociva eſſe, atque igitur perſequi poteſt.

Tremor.

Tremor extremitatum atque capitis continuus oriri poteſt e cauſis ſequentibus:

1) Ex evacuationibus nimium largis, praecipue ſeminis.

2) Ex uſu narcoticorum nimis immodico; tremor hic in quovis narcoticorum uſu rurſus remittere ſolet, uti hic caſus e. gr. in potatoribus vini, et ſpiritus aduſti obtinet.

3) Operarii in fodinis argenti vivi haud raro e mercurio deglutilo invaduntur tremore.

4) E pathematibus animi vehementibus diuque perſeverantibus.

5) E ſpasmis; hoc in caſu tremor plerumque eſt tranſiens.

6) Ex acrimonia rheumatica.

7) E paralyſi.

8) Ex aetate provecta.

Omnibus his cauſis conamur occurrere, uti alibi dictum eſt.

Contractura.

Hic quidem morbus proprie non eſt morbus nervoſus, huc tamen eatenus pertinet, quatenus per eum motus muſculorum eſt ſuppreſſus.

Ea in induratione tendinum et ligamentorum partium immobilium conſiſtit.

Cauſae ſunt:

1) Contentio membrorum vehemens et diuturna. Sic oriuntur colli obſtipi ex inclinatione continua.

2) Spasmus, qui per longam continationem talem contractionem tendinum et ligamentorum parit.

3) Catarrhi, in quibus acrimonia catarrhalis talem contracturam producere poteſt.

4) Paralyſes; ita nonnumquam talia membra contracta poſt colicam pictonum remanent.

5) Acrimonia ſcorbutica, ſcrophuloſa, venerea atque arthritica.

Succeſſus medendi rationis ab eo pendet, num tendines et ligamenta adhuc emollitionis atque extenſionis fibrarum ſuarum ſint capacia, quod perficere contendendum eſt per pharmaca emollientia, antiſpasmodica, diaphoretica lenia atque roborantia. Aſſa foetida inſignem hic exſerit virtutem. Ubi ſimul partes ſunt admodum turgidae, ſetacea quoque utiliter applicari poſſunt,

Morbi adhuc reliqui ſpasmodici et nervoſi jam ſequuntur.

Vertigo.

In vertigine aegri videntur ſibi, objecta ſubito et celeriter circa ſe moveri videre. Quodſi objecta naturaliter et ſine colore videntur, eſt *vertigo ſimplex*; ſi vero objecta non clare et cum coloribus videntur, *vertigo* eſt *tenebricoſa*; ſi ſimul abeſt conſcientia, ita

nt ſe ipſos tenere nequeant, ſed ad terram incumbunt, *vertico* eſt *caduca.*

Cauſae ſunt:

1) Debilitas ex evacuationibus nimium largis, e. gr. haemorrhagiis.
2) Saburra in primis viis.
3) Potulenta ſpirituoſa nimium copioſe hauſta, uſusque plantarum narcoticarum.
4) Spasmi hyſterici.
5) Obſtructiones in viſceribus abdominis.
6) Eruptio haemorrhagiarum atque exanthematum inſtans.
7) Humores in cerebro extravaſati.
8) Nimia plethora.

Plerumque vertigo plethorae adſcribitur, quod tamen tunc tantum obtinet, quodſi natura evacuationum ſanguinis eſt adſueta, et tempus earum appropinquat aut jam praeteriit. Hoc in caſu miſſio ſanguinis, aut promotio reliquarum haemorrhagiarum naturae conſuetarum eſt omnino utilis.

Ubi extravaſatum in cerebro ſuſpicari licet, plerumque alia adhuc ſymptomata trepanationem requirentia adſunt.

Ubi exanthemata inſtant, eruprio illorum per frictiones, epiſpaſtica et diaphoretica eſt promovenda.

Obſtructiones viſcerum abdominis enitimur per reſolventia, diaetam aptam, exercitationem corporis ſufficientem, atque animi alacritatem tollere.

Vertigine exiſtente hyſterica, aliquot guttae laudani juvant.

Colluviem in primis viis conamur educere, et potus ſpirituoſos venenaque narcotica aut per acida domare, aut per emetica exturbare.

Ubi debilitas eſt cauſa, proſunt inprimis cibi concoctu faciles, nutrientesque, remedia roborantia atque balnea frigida.

Lipothymiae.

Quodſi quis generatim viribus deficit, appellatur hoc *debilitas*, quodſi autem per acceſſiones et ſubito mutatio ſingularis atque inertia virium vitalium oritur, *lipothymia* ſeu *defectio animi* nuncupatur.

Species diſcernuntur ſequentes:

1) *Lipothymia.* Eſt defectio animi ſubita et tranſitoria, ubi pulſus non mutatur, et conſcientia manet.

2) *Syncope.* Hic pulſus et reſpiratio ſunt ſimul debilitati, calor eſt imminutus, et conſcientia abeſt.

3) *Aſphyxia.* Hic otiantur omnes vires, nec pulſus, nec reſpiratio eſt animadvertenda, et ſtatus a morte nulla alia re diſcernitur, quam, quod

hic nulla locum habeat putredo, etiamſi defectio animi per plures dies permaneret. Signum tantum ſuppreſſae atque adhuc non mortuae vis vitalis eſt non coactus capitis ſitus.

Lipothymiae oriuntur aut e circulatione ſanguinis impedita, aut ex aliqua ſingulari in nervos irritatione.

Cauſae remotae ſunt:

1) Cauſae morales, e. gr. meditatio diuturna atque animi pathemata.

2) Debilitas naturalis, quae ſemper fere eſt indolis hyſtericae, atque ubi cauſae minimae defectionibus animi anſam praebere poſſunt.

3) Exhauſtio virium, e. gr. fames, defectus ſomni, evacuationes efferae.

4) Cauſae in primis viis irritantes, e. gr. vermes, impuritates, venena narcotica, e. gr. ſolanum furioſum, hyoſcyamus et ſ. p.

5) Nimia virium contentio in partu, in exacerbationibus podagricis et doloribus vehementibus.

6) Lipothymiae ſaepe ſunt ſcorbuti ſymptoma.

7) Frigus atrox.

8) Propter defectum aëris athmoſphaerici, e. gr. ſub aqua atque in aëre fixo nulla reſpiratio locum habet.

9) Polypi cordis et vaſorum magnorum, aneuriſmata, vomicae, obſtructiones viſcerum.

In lipothymiis, ubi circulatio ſanguinis non vehementer laeſa eſt, aër liber atque adſperſio cum aqua frigida optima ſunt remedia. Ubi cauſae debilitantes ſunt praegreſſae, facies et manus vino lavari poſſunt. Aquae adoratae ſunt plerumque aut inertes, aut nocere poſſunt. In ſubjectis hyſtericis autem tamen inſerviunt res foetidae, uti: aſſa foetida, caſtoreum, pennae aduſtae et ſimilia.

Extra paroxysmos contendimus pro re nata nutrice et roborare, cauſasque irritantes a medio tollere, ubi ſimul ſemper remedia antiſpasmodica ſunt adhibenda. Ita e. gr. aſſa foetida et valeriana et ut anthelminticum, et ut evacuatorium adhiberi poſſunt.

Venena narcotica ſubito ſunt evacuanda, et per uſum acidorum frequentem inactiva reddenda.

In partu, in exanthematibus erupturis, in paroxysmis podagricis nonnumquam plethora eſt cauſa, quod vires deficiant, atque in contentione earundem animi defectio ſuper accedat. Miſſio ſanguinis hic eximium exſerit virtutem, praeſuppoſito, quod vera plethora, aut potius proclivitas ſanguinis ad evacuationem adſit.

Defectione animi e doloribus nimis atrocibus orta, iisque indolis ſpaſticae exiſtentibus, juvat opium. Etiam in doloribus ex inflammatione natis, illud utile eſſe poteſt, quodſi prius omnibus methodi antiphlogiſticae requiſitis ſatisfactum fuerit.

In

In aſphyxia ſimul in reſtitutionem reſpirationis eſt cogitandum. Hoc fit per aërem in os aut naſum inflandum, qua in re autem caute eſt agendum, et quidem ita, ut ſemel ac ſimul magnam aëris copiam in pulmones inſpirare nitatur, tum pectus comprimatur, et tunc temporis inſpiratio iterum iterumque inſtituatur, quoniam alias, ſi nimium cito aër inſpiretur, aeger plus ſuffocare, quam aërem haurire poteſt.

Ad aëris inſpirationem nuper tubi aërem in ſe continentes ſunt conſulendi, qui ex hac ratione ſunt praeponendi, quod per hoc magis aërem purum in pulmones ſtantes ducere et qua de cauſa quoque ad reſpirandum efficaciter irritare poſſimus, inprimis quodſi tubos aërem in ſe continentes cum aëre dephlogiſtico implere poſſimus.

Infantes recens nati ſaepe in partu difficili fere ſemimortui in lucem prodeunt, per balneum calidum autem, cui nonnihil vini admiſcetur, per enema e tabaco, inſpirationemque aëris utplurimum iterum ad vitam ſuſcitari poſſunt. Ubi plethora adeſſe videtur, admittitur, ut quidquam ſanguinis ex umbilico excurrat.

In rigore e frigore non ſunt aegri in locum calidum transferendi, ſed calefactio leniter procedere, ſenſim ſenſimque atque intrinſecus incipiendo fieri debet. Corpus primum tegitur nive, atque incipimus illud leniter fricare, tum conamur illi potum aliquan-

tum calidum, e. gr. infuſum theae cum tantillo vini propinare; poſtquam frigore tentatus aliquantum ſe recepit, contendimus illum in motum corporis collocare. In loca calida non prius is eſt transferendus, quam penitus ad ſe redierit, et tum etiam cubiculum paulatim eſt calefaciendum.

Aqua ſuffocati continuo in aërem liberum transferuntur, calefiunt, atque illorum extremitates fricantur, clyſteres illis irritantes applicantur, inprimis de tabaco, et ſi minima plethorae ſuſpicio adeſt, faciesque eſt ruberrima, vena ſecatur. Quo facto, ad reſpirationem reſtituendam reſpicitur, ac etiamſi ſententiae illae minime applaudicor, quod aqua ſuffocati per apoplexiam veram moriantur, aëris inſpirationem tantum pro remedio ultimo tempore adhibendo exiſtimo, quoniam tunc, ſi aegri in aëre libero converſant, defectus aëris non magis ſola aſphyxiae cauſa eſſe poteſt. Quamprimum minima ſenſatio adeſt, illis emeticum propinatur, quem in finem aqua benedicta Rulandi a ʒvj. ad ℥j. aptiſſimum eſt, ſimul in extremitatibus pergitur fricandis.

Eodem modo illi tractantur, qui in aëre fixo exhalationibusque verſati ſunt narcoticis, niſi, quod hi ſtatim aqua frigida adſperguntur, artusque aceto vini lavantur, et clyſteres ex aceto applicantur.

Quodſi in ſub aqua ſuffocatis ratio ad credendum adſit, fauces nimia limi atque impuritatum copia eſſe

completetas, atque eos jam hac e cauſa ſpiritum haurire, aut ex ſe emittere non poſſe, bronchotomia eſt inſtituenda.

Fulmen duplici ratione agere videtur, primo ut ictus electricus, et ſecundo ut materia, qua aër eſt corruptus, ad reſpirandumque ineptus redditus. In priori caſu contingit paralyſis, in poſteriori ſuffocatio. Immediate poſt effectum difficulter haec differentia conſtitui poteſt. In omni vero caſu optime agitur, quodſi initio eadem tentantur, quae in ſuffocatis ab exhalationibus narcoticis facere conſuevimus; quodſi tum remanent paralyſes, propriam illae requirunt curationem.

Agrypnia.

Agrypnia eſt ſaepe ſymptoma febrium. Praeterea illa oritur:

1) E doloribus vehementibus.

2) E pathematibus animi cruciantibus.

3) E ſpasmis hyſtericis.

4) E debilitate ventriculi, indeque oriunda concoctione difficili.

5) Per aetatem decrepitam.

Pro hac indicantium diverſitate quoque medendi ratio dirigitur.

Dolores ſunt ſymptoma aut inflammationis, aut irritationis immediatae in nervos. In utroque caſu

adhibere licet opium, niſi ulla plethora, niſi colluvies in primis viis, niſi obſtructio alvi adſit, atque in inflammatione ſimul reſolventia, emollientia atque attenuantia in ſufficienti copia exhibentur.

Sopor.

Tres gradus *ſoporis* ſeu *ſomni praeternaturalis* discernuntur:

1) *Coma;* ubi ſomnolentia adeſt perpetua, e qua aegri excitari poſſunt. Quodſi illi continuo dormiunt, vocatur *coma ſomnolentum*, ſi vero ſecundum intervalla vigilant, aut tamen ſomnolenti et turbati ſunt, *coma vigil* nuncupatur.

2) *Lethargus.* Hic ſimul debilitas magna, reſpiratio difficilis, et dejectio animi tanta adſunt, ut aegri continuo omnia obliviſcantur, et de nulla re ſint ſolliciti.

3) *Carus.* Hic ſomnus tam eſt profundus, ut aegri fere penitus excitari nequeant, ubi ſimul reſpiratio eſt difficilis et tarda.

Coma vigil eſt plerumque febrium ſymptoma, in morbis e vermibus quoque occurrit. Reliquae ſpecies naſcuntur ex humorum abundantia, exhalationibus narcoticis et mephiticis, e podagra, eryſipelate et ſcabie retropulſis, ex extravaſationibus in cerebro, ita ut hoc per illas prematur, uti e. gr. in laeſioni-

bus, metaſtaſibus, hydrocephalo et ſ. p., e diuturna et vehementi actione radiorum ſolarium, ex animi adfectibus, ex evacuationibus nimiis, e ſpasmis hyſtericis, in ſcorbuto, in peripneumonia notha, ex aetate provecta et multis aliis cauſis indeterminatis, aut per conſenſum, aut per compreſſionem cerebri immediatam agentibus.

Lethargus plerumque febricula atque habitu cachectico eſt ſtipatus, et ſubinde ut morbus chronicus occurrit.

Carus utplurimum cauſas habet magnas atque invincibiles, atque aliquot dies duntaxat durat.

Coma ſomnolentum per plures annos continuari poteſt, uti ejus exempla non deſunt.

Somnus ipſe naturalis nimius enervat jam vires, et proinde adfectus ſoporoſi ſemper inter morbos perniciosos pertinent. Illi, qui e repletione oriuntur, atque ubi proinde vires magis ſuppreſſae, quam deſunt, faciliores ſunt ſublatu, quam illi, ubi vires deficiunt atque exhauſtae ſunt. Facilius quoque auxilio eſt locus, ubi cauſae per conſenſum agunt, quam ubi illae cerebrum immediate premunt.

Excitantia ibi tantum habent locum, ubi cauſa vapores ſunt narcotici, in reliquis caſibus ſemper ſecundum indicationes agendum eſt. Enitendum eſt, ut omnes congeſtiones verſus caput impediantur, hincque jubendum, ut aegri ſedeant erecti.

Plethora ſola raro eſt cauſa, quodſi autem redundantia humorum adeſt, qui ſunt educendi, atque alias plethora adeſt, ante evacuationem, inprimis ſi ſordes verſus ſuperiora turgeſcant, emeticumque requirant, aliquantum ſanguinis e venis pedum mitti poteſt.

Quodſi metaſtaſes ſunt cauſa, ſtudemus illas per veſicatoria atque epiſpaſtica, per frictiones et diaphoretica denuo verſus cutem reducere.

In laeſionibus capitis trepanatio in auxilium adhibenda, ad materiam extravaſatam et prementem ejiciendam.

Ubique cum remediis neceſſariis combinanda ſunt antiſpasmodica, inprimis ubi adeſt diſpoſitio hyſterica atque hypochondriaca.

Ubi vires deficiunt, et ſopor ex inanitione naſcitur, plerumque res eſt conclamata.

Narcotica conamur aut per emetica educere, aut per acida effectum eorum infringere.

Paralyſis.

Muſculis vim ſuam motricem amittentibus, pars, cui illi movendae erant deſtinati, appellatur *paralytica.*

Nonnumquam pars ſimul omnem amiſit ſenſibilitatem, rarius ſenſatio dolorem excitans cum ea eſt conjuncta. In defectu motus quoque dantur gradus.

Nonnumquam in membris paralyticis locum habent convulſiones.

Pulſus in partibus paralyticis plerumque eſt debilior et minor, nonnumquam prorſus deeſt.

Paralyſis extremitatum *paralyſis* ſenſu ſtrictiori vocatur. Quodſi pars corporis dimidia tota, capite excepto, eſt paralytica, *hemiplegia* nuncupatur; et toto corpore, excepto capite, paralytico, morbus *paraplegia* ſalutatur. Paralyſis, quae ſequela colicarum eſt, *pareſis* vocari ſolet.

Morbus ſubinde ſubito invadit, nonnumquam eum ſurditas et ſenſus frigoris in membris praegrediuntur.

Cauſae ſunt:

1) Plethora, in conſtitutionibus corporis nimium ſenſibilibus.
2) Exhalationes ſaturninae atque arſenicales.
3) Acrimonia rheumatica, ſcrophuloſa, ſcorbutica, arthritica, venerea et ſcabioſa.
4) Pathemata animi vehementia et frequentia, inprimis ira et pavor.
5) Evacuationes fortes atque enervantes. Ita naſcuntur ſubinde paralyſes, poſt dyſenterias atque haemorrhagias.
6) Paralyſis etiam ut morbus periodicus occurrit.
7) Debilitates nervorum hyſtericae aut aliae.
8) Dolores vehementes; ita plerumque ſequuntur paralyſes poſt dolores colicos vehementes. Diffi-

cile interim eſt conſtituere, num hic paralyſis revera ſit ſequela dolorum, an potius e depoſitione materiae morbificae naſcatur metaſtatica.

9) Vomica ganglium thoracicum, e quo nervi prodeunt brachiales, premere atque ita paralyſin manus producere poteſt.

10) In hydrocephalo interno et ſpina bifida paralyſes extremitatum inferiorum facile naſcuntur.

11) Diligenter etiam in paralyſibus extremitatum inferiorum inquirendum eſt in columnam vertebralem. Curvaturae ſpinae dorſi per cariem vertebrarum violentiamque externam productae paralyſin poſt ſe trahere poſſunt, quae tantum per reſtitutionem columnae vertebralis, atque adeo difficillime tolli queunt.

12) Vulnerationes nervorum immediate paralyſes pariunt.

13) Denique poſt plerasque apoplexias remanent paralyſes.

Quo paralyſis diutius duravit, eo difficilius tollitur. Eo eſt pertinacior, quo praecurſores diutius praeceſſerunt. Ea etiam eſt difficilis, quodſi ea ſequela aliorum morborum eſt. Motibus febrilibus praeſentibus, prius ſanationem expectare licet. Membris vero prorſus relaxatis, auxilium plerumque eſt irritum.

In curatione ratio cauſarum materialium tollendarum eſt habenda.

Acrimoniis ſingularibus remediis illis oppoſitis occuritur.

Ubi ſola plethora cauſa eſſe videtur, cogitandum eſt de miſſionibus ſanguinis, haemorrhagiisque conſuetis reſtituendis.

Ubi vapores ſaturnini cauſa ſunt, acida vegetabilia, mercurialia, et demulcentia inſignem ſaepe praeſtiterunt uſum.

Contra exhalationes arſenicales inſerviunt oleum aniſi, et balnea ſulphurea, quae etiam in acrimoniis ſcrophuloſis et ſcabioſis ſumme ſunt ſalutaria.

Adfectione rheumatica praeſente, inprimis tranſpirationis auctae eſt ratio habenda, quem in finem tinctura guajaci volatilis eſt aptiſſima.

In adfectibus animi bilis educendae per uſum continuatum aquae benedictae Rulandi atque ipecacuanhae, nervorumque per balnea frigida roborandorum ratio eſt habenda, quae poſteriora pariter poſt enervationes locum habent.

Quodſi morbus eſt periodicus, is corticem chinae requirit; quodſi eſt hyſtericus, ab initio opiata, deinde roborantia martialia proſunt.

Ubi nulla cauſa manifeſta detegi poteſt, nonnumquam aër fixus interne adhibitus inſignem praeſtat utilitatem.

Infrictiones irritantes, inprimis e cantharidibus, quoque externe applicari poſſunt. Vid. *Ungt. nervin.*

In ſola debilitate artus vino lavari, aut etiam balnea e formicis adhiberi poſſunt.

In uſu remediorum externorum conamur nervis partis adfectae quam proxime accedere, e. gr. in paralyſibus extremitatum inferiorum remedia externa lumbis, poplitibus, atque inguinibus applicantur; in paralyſibus brachiorum et manuum hunc in finem locus ſeptimae vertebrarum colli, et ſub adhaeſione muſculi deltoidis eligitur. In paralyſi linguae per apertionem venae ſublingualis ſaepe auxilium adfertur.

In rheumatismis inveteratis ſaepe electriſatio inſignem habuit utilitatem.

Apoplexia.

Acceſſio ſubita, in qua aegri ſenſibus privantur, paralytici redduntur, et cum reſpiratione difficili in ſoporem labuntur, *apoplexia* ſalutatur.

Morbus itaque conſiſtit e ſopore cum ſtertore et paralyſi. Laborant inprimis ſenſus et vires muſculares. Per reſpirationem et circulationem continuatam diſtinguitur morbus ab aſphyxia, quam alias primo intuitu, ubi paralyſis membrorum non ſtatim cognoſci poteſt, facile cum ea confundere licet.

Ubi tota conſcientia, omnesque motus ſublati ſunt, vocatur morbus *apoplexia exquiſita*, ubi vero conſcientia aliqua adeſt, nec omnes motus deficiunt, appellari poteſt *parapoplexia.*

Morbus aut eſt ſequela aliorum morborum, aut exiſtit per ſe ſolus. In poſteriori caſu plerumque praegrediuntur per aliquot annos praecurſores, e. gr. vertigo, cujus aut nulla, aut ſaltem nulla cauſa proportionata conſtitui poteſt, torpor membrorum tranſitorius, proclivitas ad ſomnum, qui tamen non eſt recreans, oblivio, triſmus tempore noctis, involuntaria emiſſio urinae, et denique gravitas linguae proximam acceſſionem apoplexiae ipſius minatur.

Acceſſio tum finitur aut intra duo ad ſummum intra tres dies cum morte, aut oritur febris, exacerbationes faciens intermittentes, cum quibus tamen ſemper adhuc novae acceſſiones ſunt extimeſcendae.

Haec febris ſaepe eſt febris nervoſa vera, et recidivus et mors tunc ſemper in diebus criticis ſunt extimeſcendi.

Quodſi haec febris bene tractetur, per ſuam criſin aegrum penitus reſtituere poteſt, plerumque tamen remanet paralyſis, etiamſi febris ceſſaverit.

Raro morbus invadit in aetate juvenili, ſed plerumque initio aetatis provectioris. Subjecta valde ſenſibilia, facile in ſpasmos proclivia, quae cibis maxime nutrientibus calefacientibusque utuntur, vitam agunt ſedentariam atque inſimul collo praedita ſunt brevi, craſſo, intraque humeros depreſſo capite, ſunt ad hunc morbum prae aliis proclivia.

Cauſa apoplexiae proxima eſt paralyſis partis illius ſyſtematis nervoſi, quae ad conſcientiam, ſenſationem atque motum muſculorum ſumme eſt neceſſaria.

Num haec pars ſyſtematis nervoſi tantum in cerebro reperiatur, decernere non auſim. Inſignia capitis vitia, nullas ſaepe paralyſes, vitiaque in ſenſatione poſt ſe trahunt, ſaltem non per ſe, ſed tum demum, quum haec vitia ad medullam extenduntur ſpinalem.

Paralyſis cerebri oriri poteſt e violentia externa. Quo in caſu contingit concuſſio atque adeo contuſio cerebri. Vidi interim caſum, ubi demum die tertio conſcientia praeſente perfecta, os nonnihil diſtorſum fuit, etiamſi poſtea in ſectione corporis cerebrum ſanguine obductum deprehenſum fuerit. Ea quoque e collectione humorum ſeroſorum et lymphaticorum in capite produci poteſt, qui vero caſus ſunt rariores. In vulneribus capitis ſaepe extravaſatum largum talium humorum absque apoplexia propria invenitur.

Quam frequentiſſime collectio ſanguinis in vaſis cerebri adeſt, quae nonnumquam tanta eſt, ut vaſa rumpantur ſanguisque erumpat. Verum tamen injuſte ſane hoc extravaſatum pro cauſa apoplexiae habitum fuit, quandoquidem vero admodum ſit ſimile, illud unam ex ſequelis ejusdem eſſe, quamvis negari nequeat, ſymptomata illud reddere poſſe graviora.

Haec paralyſis nervorum ad ſenſationem atque motum pertinentium aut oritur e capitis vitiis, et tum eſt apoplexia idiopathica, aut e congeſtionibus ex irritatione partium diſſitarum natis, et tum morbus eſt conſenſualis. Priores ſunt rari et ſemper fere inſanabiles.

Congeſtiones utplurimum e ſpasmo circulationem humorum ſupprimente oriuntur, ita ut illi in cerebro aut verſus alios nervos colligantur. Dantur interim etiam omnino caſus, ubi collectio non e ſpasmo, ſed inde oritur, quod refluxus ſanguinis e capite per vitium organicum impediatur. Et ſic forſitan adhuc aliae cauſae dari poſſunt, quae tamen adhuc cum certitudine conſtitui nequeunt. Num apoplexia ſine collectione humorum in cerebro naſci poſſit, num cerebrum contractionis ſpaſticae ſit capax; et num preſſio aut irritatio in alios nervos, aut in ſubtiliſſimos fines nervorum jam ſufficiat, ad apoplexiam producendam, difficillimum eſt decernere, etiamſi rationes a vero non abludentes hanc in rem adferri queant. Id ſaltem conſtat certo, ſubinde poſt mortem nihil inveniri, quo cerebrum premi potuiſſet, ut etiam e contrario ſaepe ulcera inſignia, ſuppurationes, collectiones aquae, excreſcentiae oſſeae atque alia hujusmodi deprehenduntur, nec tamen ſymptomata praegreſſa fuerunt apoplectica.

Indoles plurium cauſarum remotarum quoque ita comparata eſſe videtur, ut illae immediate in nervos agant. Apoplexia univerſalem enervationem excipiens, uti etiam multae aliae paralyſes partiales vix ſane e ſola preſſione vaſorum ſanguiferorum in nervos explicari queunt.

Apoplexia cum febribus nervoſis maxima gaudere affinitate videtur, et ſaepe ea eſt febris revera nervoſa, cujus primum ſtadium aut praenuncia apoplexiae conſueta conſtituunt, aut quod inſenſibiliter praeterit, aut denique quoque ut in acutis febribus nervoſis prorſus deeſt.

Circumſtantiae, ſub quibus congeſtiones, collectiones atque irritationes excitari poſſunt, ſunt:

1) Plethora et proclivitas naturae ad ſanguinem ſuperfluum evacuandum.

2) Redundantia humorum mucoſorum atque aquoſorum inclinatione ad ſpasmos praeſenti.

3) Pathemata animi ſubitanea.

4) Collectio ſordium acrium bilioſarum atque vermium in primis viis.

5) Perſpiratio impedita in acrimoniae rheumaticae abundantia, et ſudores ſuppreſſi, quorum natura eſt conſueta.

6) Obſtructiones viſcerum abdominis.

7) Apoplexia pariter occurrit ut morbus periodicus.

8) Nimia ingurgitatio ventriculi.

9) Calefactio e potulentis caput tentantibus.

10) Vapores narcotici.

11) Calefactio in radiis ſolaribus.

12) Refrigerium ſubitum.

13) Arthritis retrograda.

14) Exanthemata retropulſa.

15) Polypi cordis et vaſorum majorum, tumores atque aneurismata.

16) Enervatio univerſalis ex evacuationibus nimiis.

Extravaſatio et preſſio cerebri ex omnibus his cauſis, ſed etiam e laeſionibus externis, ulceribusque in cerebro lente exortis, excitari poſſunt.

E diverſitate cauſarum enumeratarum defectus diviſionis apoplexiae in apoplexiam ſanguineam et ſeroſam patet, quamvis haec differentia omnino adſit, neque negligi debeat. Tantum notandum eſt, congeſtiones etiam ſanguinis verſus caput, atque adeo apoplexiam ſanguineam per redundantiam humorum mucoſorum atque aquoſorum produci poſſe. Quodſi proinde hanc diviſionem in medendi ratione applicare velis, non ad indolem humorum in capite collectorum reſpicias, neceſſe eſt, ſed ad naturam cauſae irritantis atque congeſtionem producentis. Apoplexia, e congeſtione ſanguinis verſus caput nata, quae per humores mucoſos atque aqueos in ventre eſt producta, ut apoplexia ſanguinea tractari non poteſt,

atque adeo ad errores practicos evitandos neque ita eam appellare licet. Naturae quam maxime convenientes apoplexiae dividuntur in *ſanguineas*, *gaſtricas* et *malignas*.

Periculum morbi pendet partim ex indole cauſarum vincibili, partim ex acceſſionis vehementia.

Quo apoplexia eſt perfectior, eo eſt pernicioſior. Quodſi aeger deglutire nequeat, pariter eſt periculoſum, licet nonnumquam violenter aliquid detrudi poſſit. Itidem eſt periculoſum, ſi febris non continuo compareat. Malum eſt, ſi remedia nullas exſerunt vires, partes internae paralyticae eſſe videntur, atque excrementa invitis abeunt. Quo diutius praecurſores praegreſſi ſunt, eo pejus; tanto pejus, ſi acceſſio non ſit prima. Quodſi illa ſymptomatice ex aliis morbis oritur, ſemper eſt periculoſior, quam ſi ea per ſe veniat.

E cauſis enumeratis patet, in apoplexiis praecipue methodum medendi trifariam locum habere, nimirum antiphlogiſticam, evacuantem ac diaphoreticam, quae autem ſaepiſſime invicem conjungi debent.

Momentum medendi rationis non tantum in eo vertitur, ut humoribus collectis locum faciamus, ſed etiam ut cauſae congeſtionum ſeu ſpasmus tollantur. Ratio praeſertim primum habetur congeſtionum verſus caput. Hunc in finem jubetur aeger ſedere erectus. Quodſi facies eſt ruberrima, pulſus magnus et

plenus,

plenus, inprimis in arteria carotide, ac generatim habitus adeſt plethoricus, continuo mittitur ſanguis, ad quod, ſi acceſſio eſt vehemens, vena jugularis eligi poteſt. Quodſi ratio ſimul reſtitutionis fluxionum ſanguinis conſuetarum ſit habenda, in pede potius mittitur ſanguis. Quantitas miſſionis ſanguinis, et repetitio ejusdem e conditione pulſus et conſtitutione aegri ſunt determinandae.

Immediate poſt miſſionem ſanguinis adminiſtratam adhibetur enema, quod, ſi ſola ſenſibilitas et plethora adſunt, tantum emolliens, ſordibus vero in primis viis bilioſis praeſentibus, laxans, atque in redundantia humorum mucoſorum, irritans eſſe debet.

Eodem tempore, nitimur, ubi ſolus ſpasmus et plethora adſunt, temperantia atque antiſpasmodica interna exhibere. Quumque plerumque in abdomine adſint tenſiones, praeter clyſteres emollientia quoque in abdomine infricari poſſunt.

Veriſimiliter etiam ſub his circumſtantiis epithemata frigida, miſſione ſanguinis atque reſeratione alvi praemiſſis, capiti imponi poſſunt.

Quodſi nulla adeſt plethora, aut ſaltem ſanguis ſufficienter miſſus, alvusque eſt ſoluta, epiſpaſtica plantis pedum et veſicatoria ſuris applicantur.

Quodſi redundantia humorum bilioſorum atque mucoſorum ſimul adeſt, laxans ſatis forte, et ſi certi

ſumus, ſordes primario tantum in ventriculo contineri, emeticum exibetur.

Generatim non quaevis apoplexia requirit miſſiones ſanguinis. E contrario hae nocere poſſunt, ubi vires deficiunt, facies eſt pallida, pulſus parvus atque abundantia humorum aquoſorum atque mucoſorum adeſt.

Ubi tranſpiratio et ſudores ſoliti ſunt ſuppreſſi, partes vaporibus emollientibus et balneis foventur: Eodem plane pacto proceditur in exanthematibus retropulſis atque anomaliis podagricis, ubi vero epiſpaſtica et veſicatoria omne curationis abſolvunt punctum. Ubi refrigerium cauſa occaſionalis fuit, alexipharmaca et camphorata proſunt.

Apoplexia e vaporibus narcoticis requirit uſum acidorum internum atque externum.

In debilitate univerſali, ſpasmisque hyſtericis nulla aut ſaltem raro evacuatio locum habet. Balneum calidum, cui admiſceri poteſt vinum, moſchus, valeriana aliaque antiſpasmodica, juxta cum epiſpaſticis plurimum efficere debent.

Febris in apoplexia non eſt per temperantia imminuenda, ſed potius, inprimis ubi obſtructiones in viſceribus abdominis ſuſpicari licet, efficacia ſimul adhibenda ſunt reſolventia. Plerumque is medendi rationem febris nervoſae prorſus requirit.

Quodſi acceſſiones ſunt periodicae, opera danda eſt, ut illi mature per uſum corticis peruviani largum occuratur.

Ecſtaſis.

Quidam datur morbus, ubi quidem motus non ſunt ſuppreſſi, ſed aegri attentionem ſuam tantopere in unum defigunt objectum, ut ii conſcientiam omnium aliarum rerum prae illo amittant, et hic ſtatus appellatur *ecſtaſis*.

Morbus ſemper fere naſcitur e cauſis moralibus, nec eſt periculi expers. Recreatio animi, exercitatio corporis, diaeta apta, balnea frigida et medicamenta roborantia atque antiſpasmodica ſunt hic cum inſigni utilitate adhibenda. Is tranſitum in ſequentem exhibet morbum.

Catalepſis.

Catalepſis eſt morbus, qui plerumque paroxsymos ſervat, in quibus aeger omni facultate movendi, omnique conſcientia privatur, et quidem ita, ut is eo ſitu maneat, quo incipit adfectus, ubi vero membra flexibilitatem ſuam retinent. Raro acceſſiones ultra ſpatium dimidiae horae perdurant. Dantur interim caſus, in quibus ſtatus catalepticus eſt continuus.

Morbus diſtinguitur ab epilepſia per abſentiam convulſionum; a tetano per flexibilitatem membrorum; atque a lipothymia, quod pulſus, reſpiratio et

ſitus, ſtatus et motus, in quo aeger proxime erat, nullam patiantur mutationem.

Morbus omnes jam ſaepius adductas cauſas omnium reliquorum morborum nervoſorum agnoſcit, ubi tamen vitium ſingulare ſyſtematis nervoſi fons malorum eſſe debet, quoniam is plerumque difficillime tollitur.

Acceſſiones raro ſunt letales, et morbus tantum per ſequelas fit periculoſus, quas is poſt ſe trahit. Haec ſunt apoplexia, paralyſis, hydrops, tabes.

Quandam curavi catalepſin per evacuantia primarum viarum, quae veriſimiliter ex irritatione lumbricorum erat producta.

Catochus.

Auctores diverſos cum hoc nomine connectunt conceptus. Commodiſſime is ſtatus ita appellatur, qui catalepſi eſt ſimilis, ubi vero membra ſunt inflexibilia. A tetano diſtinguitur hic ſtatus per reſpirationem non impeditam, et generatim in eo, quod non tam plurimi ſpaſmi interni in eo obſerventur.

In medendi ratione itaque eadem fiunt, quae in catalepſi.

Somnambulismus.

Aliquot ſpecies *ſomnambulismi* ſunt obſervatae, quae autem proprie tantum gradu ab invicem differre videntur.

In minimo morbi gradu loquuntur et movent ſe aegri durante ſomno, manent vero ſimul in lecto.

In ſecundo gradu aegroti durante ſomno ſurgunt, et diverſa occipiunt negotia, ſed facillime excitari atque reduci poſſunt.

In tertio gradu non tantum in ſomno invaduntur, ſed etiam interdiu, dum negotia obeunt, ita ut extemplo conſcientiam amittant, ſed pergunt unum vel alterum negotium continuare, ubi vero non tam facile ſunt excitandi.

Nihil in evigilando meminerunt actionum pertractatarum, atque igitur illarum minime ſibi conſcii eſſe videntur. Hae actiones plerumque imitationes illarum eſſe videntur, quae illi ſaepius, aut ſaltem ſemel vigilantes executi ſunt. Variae interim obſervationes docent, res illos in actiones introducere, quae tantum ab impreſſionibus in paroxysmo ipſo contingentibus excitari queunt, atque hinc quandam reflexionem atque judicium requirunt. Hoc de impreſſionibus in tactum inprimis valet, quae omnino conſcientiam in illis excitare videntur.

Praeter cauſas omnium reliquorum morborum nervoſorum conſuetas quoque obſervatum fuit, morbum eſſe haereditarium, et nonnumquam illos ab eo invadi, qui rebus narcoticis atque inebriantibus ſunt abuſi.

Non eſt conſultum, illos e paroxysmis excitare, ſed tantum ſunt impediendi, ne damnum ſibi inferant. Nonnumquam tamen poenae, durante acceſſione, quidquam profuerunt. Electricitas hic inſignis eſſe uſus dicitur. Ceterum contendimus vitioſum in corpore detegere, e medioque tollere, ubi ſaepe felices eſſe poſſumus, niſi morbus ſit haereditarius.

Hydrophobia.

Hydrophobia eſt averſatio omnium potulentorum aquoſorum, ita ut aegri ſaepe ad ſolum conſpectum aquae in ſpasmos et convulſiones incidant vehementiſſimos. Triplex hujus morbi ſtatus eſt diſtinguendus.

Primus eſt *hydrophobia ſymptomatica.* Haec eſt ſymptoma aliorum morborum, et plerumque eſt tranſitoria. In inflammationibus, et febribus nervoſis, in morbis nervorum chronicis oriri poteſt, uti etiam ex abuſu potulentorum ſpirituoſorum et plantarum narcoticarum, raroque requirunt curationem peculiarem.

Secunda hujus morbi ſpecies eſt *hydrophobia ſpontanea,* quae in hominibus tantum rariſſime occurrit. Ex animi pathematibus vehementibus orta eſt viſa. Quoque illi caſus huc pertinere videntur, ubi morbus poſt frigus magnum atque aeſtum ſuperatum eſt ſecutus.

Tertia ſpecies eſt *hydrophobia a morſu canis rabidi.*

Quodſi hoc in morbo e morſu orto ſimul adeſt delirium, is *rabies canina* vocatur.

De illo tantum morbo mihi hic ſermo eſt, qui poſt morſum animalis rabidi eſt ortus, quumque delirium ſaepiſſime deſit, et vice verſa nonnumquam nulla adſit hydrophobia, morbus tamen quoad eſſentialia ſemper maneat idem, duos poſteriores ſtatus conjungo, etiamſi ad hoc nomen aptum deſit.

Generatim obſervatur hoc in morbo affectio ſpasmodica peculiaris. Plerumque adeſt ferocia et meticuloſitas in facie aegroti. Nonnumquam eſt pupilla admodum dilatata, et color uveae mutatus. Stomachus et cutis pariter maxime laborant, ille doloribus et vomitu, haec ſenſibilitate nimia. Nonnumquam aegri ſunt omnino rationis compotes, libenter biberent, ſed non ſunt bibendo. Nonnumquam adeſt ſimul etiam delirium, ſubinde aegroti cupiunt mordere, et ſpuunt in faciem circumſtantium. Nonnumquam optime bibere poſſunt, reliquis autem ſignis effectuum ſputi virulenti in ſyſtema nervoſum gaudent.

Cauſa hujus morbi eſt ſaliva in vulnus immiſſa, quae effectu in nervos ſpecifico eſt praedita.

Quatenus hoc contagium per morſum progrediatur, difficile eſt conſtituere. Inveniuntur obſervationes conſignatae, e quibus clarum eſt, morſum etiam omnino ſanorum et minime rabioſorum animalium, quin etiam morſum hominum ſanorum hydropho-

biam concitaſſe. Et rurſus citantur obſervationes, ſecundum quas, hic morbus tantum per halitum animalis rabidi, et ſanguinem hominis hydrophobici propagatus fuiſſe dicitur.

Id ſaltem certum eſt, quod morſus canis rabidi ſemper fere hunc morbum poſt ſe trahat, atque hic per contagium propagetur. Quoad iſte furor, qui in hominibus ab aliis cauſis et ſine morſu revera rabidi canis oritur, ſit contagioſus, adhuc non evictum eſt.

Signa, e quibus rabies canis cognoſcitur, ſunt ſequentia: per aliquod tempus antea canis fit triſtis, atque adverſum cibum et potum ſuumque dominum indifferens; initio tamen vocem domini ſui ſequitur, aures atque caudam demittit, non latrat, ſed tantum murmurat. Mox nec ſuum dominum agnoſcit amplius, atque incipit, omnia circa ſe mordere. Denique occipit diſcurrere, ſed numquam recta via, ſed in crucem atque oblique, promittit linguam, quae ſicca et livida eſt, atque occipit, quidquid illi occurrit, mordere. Tum decidit ſubito, rurſus proſilit, mordet circa ſe, et tum plerumque intra ſpatium 24, ad ſummum 48 horarum perit.

Morſus in ſtadio ultimo ſemper fere eſt contagioſus.

Qua re hic morbus in canibus producatur, difficile eſt conſtituere. Tempeſtas calida, nutrimenta exaeſtuantia, et defectus potus plurimum ad hunc

morbum contribuere videntur. Notum eſt, lupos, feles et plura animalia ab eo invadi. Lytta ſic dicta, quam canes ſub lingua gerunt, veriſimiliter eſt pars glandulоſa, quae forſitan hoc in morbo omnis noxae eſt expers, niſi illa forte ad ſecretionem ſputi virulenti aliquid conferat. Alii anatomici eam pro parte ligamentoſa exiſtimant, ad linguam in canibus tam longam ſuſtentandam.

Vulnus poſt morſum hujusmodi ortum, non facile tranſit in ſuppurationem, ſed cito conſuevit ſanari. Effectus ejus modo ſerius, modo citius apparet. Diſpoſitio ſingularis, irritabilitas nervorum, exaeſtuationes atque adfectus animi, inprimis metus, omnino hunc adfectum maturare poſſunt. Symptomata rabiei quoque tanto maturius ſeſe exſerere ſolent, quanto vulnus glandulis ſalivalibus propius adjacet. Non deſunt obſervationes, ubi hydrophobia aut delirium poſt 4 aut 6 ſeptimanas demum, quin nonnumquam poſt totidem et plures menſes erupit.

Primus effectus, qui ſe oſtendit, ſunt, dolores in vulnere, aut in cicatrice, color fuſcus et tumor ejusdem, et, cicatrice erumpente, morbus prope adeſt. Oriuntur anxietates, triſtitia, inſomnia, palpitationes cordis, frigus, defectus appetitus et ſitis, dolor vulneris propagatur jam in totum membrum, et tum hydrophobia ſubito ad conſpectum aquae, aut dum aegri bibere conantur, ſe prodit. Quidam medica-

menta fluida haurire poſſunt. Alii revera bibere poſſunt, ſed hauſtum rurſus evomunt, adhuc alii nulla invaduntur hydrophobia, ſed aliis ſymptomatibus nervoſis. Pulſus ſemper fere eſt ſpaſticus, ſed non ſemper febriculoſus. Aegri ſentiunt ſaepe calorem ardentem, inprimis in faucibus atque parte morſa. Nonnumquam ſitis tanto eſt vehementior, quanto hydrophobia eſt major. Saepe tam ſunt ſenſibiles, ut illi neque lucem, neque minimum aëris motum, nec ullum ſtrepitum leviſſimum ferre queant. Durantibus ſpasmis ſubinde depulſio urinae violenta, atque erectio membri virilis ſequuntur. Nonnumquam delirant, nonnumquam rationis ſunt penitus compotes. Quidam vehementibus torquentur doloribus in ſcrobiculo cordis, atque in inteſtinis. Quidam mordent, aut cupiditati mordendi, ratione etiam integra, reſiſtere nequeunt. Quid? quod nonnulli etiam latrare dicuntur, quod vero procul dubio tantum lamentatio atque expreſſio doloris eſt, aut ab extenſione organorum vocis oritur. Hic ſtatus tres aut ſeptem dies durare poteſt, tum naſcuntur lipothymiae, aegri incidunt in ſoporem, et denique conſequitur mors.

Nonnumquam morbus gaudet remiſſionibus. Quoque obſervaſſe dicitur, hoc in caſu paroxysmos in plenilunio lubenter recurrere.

Cauſa hujus morbi proxima non eſt ſita in vitio pharyngis ſingulari, quae ſaepe ſine omni mutatione

viſibili poſt mortem fuit inventa. Deglutitio etiam ciborum ſolidorum facile procedit, inprimis ſi bolus jam oeſophagum eſt conſecutus.

Deprehenſae quidem poſt mortem fuerunt inflammationes ventriculi atque inteſtinorum, ut etiam bilis atra putrida, ſed haec magis ſunt effectus quam cauſa morbi.

Cauſa proxima ſpasmus in nervis ſingularis eſſe videtur, qui cum aliis vitiis ſyſtematis nervoſi nihil habet communis, quum non deſint obſervationes, homines inter tempus morſus et morbi variolas et febres quartanas ſatis feliciter ſuperaſſe.

Syſtema nervoſum hoc in morbo praecipue eſſe invaſum, non tantum e ſymptomatibus, ſed etiam inde apparet, quod hic opium, ut in aliis multis morbis nervoſis, ſaepe in doſibus auctis nullas exſerat vires narcoticas.

Morſus canis in ultimo rabiei ſtadio ſemper eſt pernicioſior, quam in primo, aut quam morſus animalis alias ſani. In priori caſu morbus maturius et ſubito oritur.

Morbus ſibi ipſi relictus ſemper eſt letalis. Ars quoque raro aliquid efficere poteſt, licet exempla curationum felicium non deſint. Ubi diu praecurſores morbi praegreſſi ſunt, facilius licet opitulari, quam ubi morbus ſubito exortus eſt. Ubi vero morbus jam ſummum ſuum gradum conſecutus eſt, et vires jam

ſunt collabefactae, quantum quidem adhuc arti efficere licet, omne auxilium eſt irritum.

Vis proinde artis inprimis uſque ad prophylaxin duntaxat extenditur. Opera nimirum danda eſt, ut venenum in vulnere contentum eluatur, et tranſitus ejusdem in humores impediatur. Ubi ſumma rei in eo eſt ſita, ut pars morſa, quantum fieri poteſt, extirpetur, ſcarificetur, et vulnus quam diutiſſime in ſuppuratione ſervetur. Optime hoc perficitur per ſedulam cantharidum inſperſionem, quae hunc in finem eo plus merentur fiduciae, quum etiam ex uſu ejus interno aliquot experimenta felicia habeantur. Credo equidem etiam mercurium praecipitatum rubrum utiliter hic applicatum iri. Haec autem agendi ratio in vulneribus tantum recentibus locum habet; quum illud jam coaluit, non prodeſt eam aperire. Multi etiam commendant ſtatim ab initio miſſiones ſanguinis largas. Quum vero in progreſſu plurimum in eo ſitum eſt, ut irritabilitas ſyſtematis nervoſi tollatur, cum miſſione ſanguinis, uti etiam cum omnibus medicamentis debilitantibus ſumma eſt cautio adhibenda.

Secunda pars curationis eſſet, antidotum quoddam ſpecificum contra venenum reſorptum adferre. Lichen terreſtris, belladonna, mercurialia, canthariides et ſcarabaei majales magnam quidem utilitatem praeſtitiſſe feruntur, etiam antiſpaſmodica, atque inter haec praeſertim moſchus, adhibita nonnumquam

eum uſu fuerunt, quamvis illa vix ut antidotum veneni haberi, ſed veriſimiliter tantum lenimen ſpasmorum ab illis expectari poſſit. Sed obſervationes, quae de effectibus horum medicamentorum circumferuntur, multo ſunt incertiores, quam ut hic aliquid certi de illis conſtituere liceat. Semper quidem, quod me attinet, libentius primum remedia diuretica in doſibus ſenſim ſenſimque auctis adhiberem, minimum enim temporis diſpendium eſt periculoſiſſimum, nec ullum tempus periculis faciendis ſupereſt. Maximam praeterea habeo rationem tranſpirationis conſervandae atque promovendae. Hunc in finem cantharides, ſcarabaei majales, radix ſenegae, camphora, ſolutiones theriacae in ſpiritu ſalis ammoniaci volatili, (V. *Potio antilyſſa*) et denique mercurius nitroſus (cujus internum uſum ego infrictionibus mercurii tacito magis praeaeſtimaverim, quandoquidem facile ſit poſſibile, venenum per poſteriores, ita ut miaſma venereum, in corpus repelli poſſit, ſi prope ad vulnus infrictio inſtituatur) omnino utiles eſſe poſſunt. Aliquando adhibui interim poſt morſum praeter extirpationem ſuppurationemque partis morſu vulneratae ſuſtentatam frictiones mercuriales, nec ulla conſecuta eſt hydrophobia. Sed remediorum mercurialium effectus jam erupto morbo non ſatis celer et tutus eſſe mihi videtur. Utor hoc in caſu libentius indicatis remediis diaphoreticis et diureticis. V. *Potio antilyſſa*.

Quodſi reſorptio veneni impediri viresque ejusdem infringi nequeunt, et hydrophobia jam in ſummo gradu adeſt, tertia curationis pars adhuc remanet, nimirum ſyſtema nervoſum contra vires veneni inſenſibile reddere. Hunc in finem moſchus atque opium in magnis doſibus exhibentur, atque omnes irritationes evitare conamur. Ex hac cauſa poſteriori aegri non ſunt ad aquam cogendi. Raro autem et forſitan, quantum ars uſque adhuc valet, numquam hic quidquam efficere licet. Nervi omnem ſenſibilitatem adverſus medicamenta antiſpaſmodica amiſiſſe videntur.

Eductio veneni per vulnus, per ſudorem et per urinam manet igitur indicatio ad ſanationem hujus morbi principalis, quae ibi forſitan numquam ſequitur, ubi quisquam ab animali quodam rabido in *ultimo* rabiei ſtadio *primum* eſt morſus.

De Morbis partium ſingularum.

Huc primum illi pertinent, ubi tantum partes ſingulares laborant, et cauſa morbi ſimul in parte adfecta reperitur, quique *morbi idiophatici* ſeu *topici* vocantur. Huc ego ſecundo refero illos morbos, qui quidem e conſenſu oriuntur, ubi proinde in toto corpore conditio adeſt praeternaturalis, ubi vero tamen tantum functio cujuspiam partis ſingularis eſt laeſa.

De Morbis cutaneis.

Morbos cutaneos principes jam in ſectione de exanthematibus chronicis pertractavimus. Illos tantum hic adhuc ſuperadditurus ſum, qui quidem ſemper fere, ut iſti, ſaltem maxima ex parte, e cauſis naſcuntur internis, verum tamen potius pro malis topicis ſunt habendi, quia illi tantum partes cutis ſingulares invadunt, et raro cum moleſtiis plurimis ſunt conjuncti.

Ephelis et Lentigo.

Ephelides naſcuntur, quodſi radiis ſolaribus ſaepius nosmet exponimus.

Tales plane prodeunt maculae etiam ſaepe, quamvis cutis actioni ſolis non fuerit expoſita, et tum vocantur *lentigines*, quoniam illae colore et figura lentibus ſunt ſimiles.

In utroque caſu tamen ſequela acrimoniae internae eſſe videntur, quoniam praecipue tales homines ab illa invaduntur, qui aut acrimoniae rheumaticae, aut obſtructioni viſcerum abdominis ſunt obnoxii.

Diaeta bona, remedia ſanguinem purificantia, et ſufficiens corporis exercitatio, una cum uſu externo magiſterii ſaturni ſunt curationis remedia.

In gravidis obſervantur ſubinde tales maculae, quae tamen per extenſionem ſuam majorem ab illis diſtinguuntur, et poſt partum rurſus evaneſcunt.

Gutta roſacea.

Sic appellatur rubor naſi et faciei praeternaturalis, qui lingua germanica *Kupfer* vocatur, et plerumque ſequela eſt abuſus potulentorum ſpirituoſorum. Nonnumquam tamen indolis eryſipelatoſae eſſe videtur, atque hoc in caſu reſolventia, inprimis emetica in parvis doſibus, acidum vitrioli, et laxantia antiphlogiſtica, praeſertim cremor tartari inſignis ſunt uſus.

Erythema.

Sic appellatur rubor cutis inflammatorius tranſitorius.

Is e frictione, ex acrimoniis externis irritantibus; e. gr. e ſic dicto rhus toxicodendron, ex inſectorum morſu, e combuſtione, atque e frigore oritur.

Ubi acrimoniae ſunt cauſae, inſerviunt externe emollientia, atque interne acida et laxantia antiphlogiſtica. Ubi cutis eſt aduſta, applicari poteſt extractum ſaturni attenuatum, atque in membris frigore peruſtis petroleum, ſeu oleum cerae.

Lichen.

Exanthema indolis lenis herpeti ſimile, non admodum pruriens, in quo cutis ſubjecta non indureſcit, epidermis vero deſquamatur, *lichenes* vocantur.

Praeter

Praeter medicamenta ſanguinem purificantia inſerviunt externe herba boni henrici recens et magiſterium ſaturni.

Naevus maternus.

Naevi materni diverſae ſunt naturae, et ſubinde ſunt ſolae maculae, ſubinde excreſcentiae. Priores plerumque ſunt inſanabiles, poſteriores nonnumquam per ligaturam extirpari poſſunt.

Therminthus.

Therminthi ſunt puſtulae doloribus ſtipatae, margine purpureo-rubro atque apice nigro inſtructae, figura et magnitudine piſis ſimiles, hinc in germanico paſſim vocantur *Erbſenblattern.* Nonnumquam tranſeunt in gangraenam, utplurimum tamen cruſta tertio aut quarto die decidit, hinc etiam germanis dicuntur *Schaelblaſen.*

Cauſa eſt acrimonia putrilaginoſa, ubi opera eſt danda, ut illa per acida et laxantia antiphlogiſtica tollatur.

Epinyctis.

Epinyctes ſunt puſtulae ſingulares, in extremitatibus in conſpectum prodeuntes, noctuque praecipue admodum dolentes.

Illae nonnumquam pure mucoſo ſunt impletae, naſcunturque ex acrimonia interna.

Ad earundem medendi rationem requiruntur remedia ſanguinem purificantia atque balnea.

Externe juvant folia recentia ariſtolochiae rotundae, chenopodii boni henrici et quarundam ſedi ſpecierum.

Varus.

Vari naſcuntur plerumque ex alimentis acribus atque exaeſtuantibus, atque igitur per ſolam diaetam evitari, per laxantia antiphlogiſtica tolli poſſunt.

Malum mortuum.

Malum mortuum conſiſtit in puſtulis cum cruſtis horridis, duris et ſubnigris, quae ſubinde decidunt, ſed iterum excreſcunt, et ſub quibus cutis eſt rubra, ſed ſicca. Nomen inde habet, quia nulla obſervatur acrimonia ſingularis, puſtulae non ſunt contagioſae, neque ulterius ſerpunt.

Lenia mercurialia cauſtica, externe adhibita, plerumque cum diaeta bona, atque aliquot laxantibus ad curationem ſufficiunt.

Intertrigo.

Sic appellatur *excoriatio* infantum. Naſcitur ex urina acri, ſaepe autem etiam e lacte acri, ita ut ea ſaepe per ſola remedia externa purificantia atque exſiccantia, e. gr. per lavationem cum aqua frigida, et conſperſionem cum farina lycopodii non ſemper tolli

queat, tum vero infans aut alteri nutrici lactandus dari, aut ablactatio inſtitui debet.

Comedones.

In infantibus nonnumquam e cute materia viſcida pinguedinea exprimi poteſt, quae tum figura vermis gaudet.

Symptoma naſcitur plerumque in glandulis obſtructis, ubi nutritio non ſatis procedit, et quum infantes hoc in caſu facile tabeſcant, nuncupati ſunt vermes falſo ſic dicti *comedones.*

Externe inſerviunt balnea cum furfuribus ad poros cutis aperiendos, perſpirationemque promovendam. Interne exhibentur remedia ad obſtructiones tollendas proficua. Vid. *Liquor terrae foliatae tartari.*

Phtiriaſis.

Species *phtiriaſeos* diſtinguuntur ſequentes:

1) Phtiriaſis capitis, quae inprimis in infantibus eſt obvia.

2) Pediculi pubis et ſuperciliorum, qui a gallis appellantur *morpions.*

3) Pediculi veſtium.

4) Exſtant exempla phtiriaſium internarum, ubi pediculi ex oculis, naribus, auribus, et ſub cute aliarum partium prodeunt, ubi aegri maxime tabeſcunt et facile moriuntur.

Cauſa harum quatuor ſpecierum eſt immunditiés externa et contagium, acrimoniaque materiae transpirabilis ſingularis.

Exhibentur proinde purificantia interna. Externe infuſum ſeminis ſabadilios, aut unguentum mercuriale eximiae eſt utilitatis.

De Morbis capitis.

Cephalalgia.

Doloribus capitis integrum caput occupantibus, aut ſaltem nullo in certo loco deprehenſis, vocantur *cephalalgia.* Quodſi dolor eſt ingens et conſtans, appellatur *cephalaea.*

Quodſi is tantum dimidiam capitis partem occupat, is *hemicrania* et *migraine* ſalutatur.

Quodſi tantum in exiguo loco ſentitur, vocatur *clavus.*

Datur dolor chronicus in facie, ita ut ſubinde malae, ſubinde tempora doleant; dolor fere non ceſſat, in vehementia ſua tamen remittit ſaepius, ceterum redit tam interdiu, quam noctu. Aegri dolores per minimum motum excitare poſſunt, quamvis preſſio vehementiſſima in partes adfectas nullos pariat dolores.

Cauſae dolorum capitis ſunt:

1) Congeſtiones ſanguinis e neglectu et ſuppreſſione miſſionum ſanginis atque haemorrhagiarum conſuetarum.

2) Sordes bilioſae in primis viis.

3) Vermes in inteſtinis.

4) Potulenta narcotica.

5) Obſtructiones viſcerum abdominis.

6) Acrimonia catarrhalis, arthritica, rheumatica et ſcabioſa.

7) Miaſma venereum.

8) Acrimonia ſcrophuloſa; ex hac inprimis dolor in facie indigitatus naſci videtur.

9) Vapores plumbei atque arſenicales.

10) Debilitas hyſterica. Clavus plerumque hanc agnoſcit cauſam.

11) Haud raro eſt morbus etiam periodicus; ubi is tum ſubinde *colica capitis* appellatur.

12) Eſt porro ſaepe ſymptoma morborum oculi.

13) Cephalalgiae vehementiſſimae e dente carioſo naſci poſſunt.

14) Vitia in capite, e. gr. excreſcentiae, ulcera, aqua, vermes in ſinubus frontalibus.

15) Polypi atque aneurismata aliaque vitia in ſyſtemate vaſorum. Sic occurrit mihi caſus cephalalgiae, typum febris quartanae ſervantis, adverſus quam omnia hunc in finem adhibita remedia irrita fuere, et denique cum morte finita fuit. Aliquot ſanguinis uncias in cerebro quidem inveni, ſed hoc neque mortis, neque morbi cauſa eſſe poterat, licet aeger morte obierit

apoplectica. E contrario vaſa capitis ſanguifera erant pleniſſima, et quum in cauſam hujus collectionis inquirerem, nihil mihi deprehendere licebat, quam inſolitam turgeſcentiam venarum magnarum in cavis thoracis atque abdominis, cujus rei iterum nullam aliam cauſam quam hepar vitioſum obſervare poteram. Omnia viſcera erant quam ſaniſſima; tantum hepar erat laxum, ſanguinem in ſe continebat ſpiſſum, atrum, et viſcidum, et veſica fellea erat vacua et tam exigua, ut ſe primo adſpectui ſubduceret, et quaerenda eſſet.

Ubi congeſtiones ſanguinis ſunt cauſa, aut haemorrhagiae conſuetae ſunt reſtituendae, aut mittendus eſt ſanguis. Adhibentur ſimul temperantia atque antiſpasmodica in auxilium.

Potum narcoticum, ſaburram billioſam et vermes nitimur educere, atque obſtructiones inteſtinorum reſolvere.

In acrimonia catarrhali et rheumatica, emollientia, veſicatoria et ſetacea, atque nonnumquam uſus valerianae internus praeclarum praeſtant uſum.

Ubi miasma ſuſpicari licet venereum, utendum eſt cauſtico mercuriali.

In cephalalgiis ab acrimonia ſcrophuloſa, et quidem praecipue in doloribus faciei cicuta ſalutarem

ſaepe habuit effectum. Quoque uſus magnetarum externus effecit levamen viſibile.

Exhalationes ſaturninas atque arſenicales contendimus per oleoſa atque acida corrigere, atque eductionem illarum per balnea et remedia involventia et diaphoretica promovere.

Ubi morbus eſt periodicus, proſunt reſolventia et cortex peruvianus, quamvis is haud raro omnibus remediis reſiſtit.

In debilitate hyſterica inſervit opium, quod interne et externe adhibere licet, et quod ibi etiam eximium praeſtat uſum, ubi vitia capitis ſuſpicari licet.

Externe ſaepe utiliter emplaſtrum veſicatorium perpetuum Janini, cucurbitae ſiccae, ſal cornu cervi aliaque remedia irritantia applicantur. Cephalalgiae quoque ſubinde a mutatione ventorum pendent. Hi ſunt forſitan caſus, in quibus electricitas et cura magnetica aliquid efficiunt. Nonnumquam poſt cephalalgias diuturnas ſequitur haemorrhagia narium vehemens, qua quidem cephalalgiae tolluntur, ſed facile formantur in cavitatibus frontalibus aut etiam omnino in ipſo cerebro vomicae, quarum ruptura ſubita letalis fieri poterit.

Inflammatio membranarum cerebri.

Hic morbus ſemper motibus febrilibus eſt ſtipatus, atque hinc locum habere potuiſſet in ſectione de re-

liquis morbis inflammatoriis. Quum vero febris ſaepe ſit minus animadvertenda, ſignaque hujus inflammationis quam maxime ſint ambigua, niſi eam e cauſis praecedentibus colligere liceat, non ultra illos caſus me extendo, quam ubi morbus poſt laeſionem capitis externam violentam oritur, atque eatenus refero illum inter morbos particulares.

Nec invenitur hic morbus vulgo in libris medicinae manualibus, ſed rejicitur in chirurgia in caput de vulneribus capitis. Quemadmodum autem haemoptyſis e violentia externa orta minime morbus chirurgicus appellari poteſt, ſic nullo plane jure haec etiam inflammatio membranarum cerebri e cauſis externis orta e numero morborum internorum excludi poteſt, tanto etiam magis cum ea per ſe forſitan nullam omnino requirat opem chirurgicam.

Quodſi poſt ictum aut lapſum in caput, aut poſt concuſſionem ejus violentam vomitus cum motibus febrilibus comparet, atque haec ſymptomata perſeverant, ratio adeſt, ut *inflammationem membranarum cerebri* aut jam praeſentem, aut ſaltem extimeſcendam colligamus. Verſa vice experientia docet, quod poſt laeſiones capitis violentas nulla ſaepe animadvertuntur ſymptomata inflammationis jam tamen praeſentis, quodque ubi horrores comparent, haec eſſe ſigna ſuppurationis incipientis.

Quodſi ſimul vulnus externum adeſt, atque hoc pallidum fit, pericraniumque ſolvitur, parem corruptionem durae matris colligere licet, quoniam duae membranae ſunt connexae. Hic interim caſus eſt forſitan rariſſimus, quoniam primo dantur caſus, ubi corruptio pericranii non ſemper corruptionem durae matris poſt ſe trahit, et ſecundo in caſibus periculoſis praecipue pia mater laborat.

Inflammatio aut ſtatim poſt laeſionem, aut etiam poſt aliquod tempus demum, quod conſtituere non licet, atque usque ad quatuor ſeptimanas trahi poteſt, oriri queat. In priori caſu in vulneribus penetrantibus ſequela vulnerationis immediatae eſſe, aut etiam in vulneribus minus penetrantibus per ſolam concuſſionem cerebri et revulſionem membranae cerebri produci poteſt. Longe rariſſime ſunt omnino extravaſata ut cauſa inflammationis reſpicienda.

Creditum alias fuit, inflammationem cerebri ſemper deliria pro ſequela habere, quare phrenitis atque inflammatio menyngum fuere ſynonima. Mirandum eſt, quomodo homines tamdiu hoc in errore potuerint perſeverare, quum tam frequenter caſus occurrant, qui contrarium evincunt. Documentum evidens et communefaciens, quantopere theoriae excoecent!

E contrario experientia docet, quod vires animi hoc in morbo penitus maneant imperturbatae, et tan-

tum uno aut altero die ante mortem ſeneſcant, ubi ſtupor aut delirium tranquillum comatoſum comparent.

Pulſus ſtatim ab initio ſpaſticus atque inaequalis eſſe conſuevit; pro differentia conſtitutionum eſt ſimul aut plenus aut parvus. Vomitus contingit tantum prioribus diebus, veroſimiliter in inflammationis ſtadio, et cum exacerbationibus febris, qui ceterum nullum ſervant typum fixum, comparere videtur. Nonnumquam per vomitum ejicitur tantum potus adſumtus, haud raro etiam bilis viridis. Raro aegri queruntur de dolore capitis fixo, niſi adſit vulnus, in ſomno autem ſunt ſoliti ſaepe manum verſus locum praecipue laborantem movere. Saepe illis caput eſt grave, nec illud poſſunt ſervare erectum. Queruntur ſubinde de dolore ventris, ſubinde miſſio urinae fit illis difficilis. Quinto aut ſexto die comparet plerumque etiam ſubſultus tendinum, denique conſequuntur paralyſes, coma vigil, et die nono, undecimo, quin etiam demum decimo nono mors.

In ſectione invenitur plus aut minus veſtigiorum inflammationis, prout ſuppuratio jam aut perfecte contigit aut non. Nonnumquam inter duram matrem et cerebrum adeſt pus flavo-viride, nonnumquam reperitur tantum humor mucilagineus inter piam matrem atque arachnoideam. Nonnumquam deprehenduntur membranae hepatis inprimis partis concavae

inflammatae, ſed dantur etiam caſus ubi vomitus adfuit, ubi nec ventriculus, nec hepar ne minimam quidem conditionem praeternaturalem habent.

Utrum vomitus hic per conſenſum nervorum, an per circulationem ſanguinis mutatam producatur, nondum conſtat inter medicos. Prius videtur eſſe veroſimillimum, quia bilis viridis ſaepe per vomitum ejecta ſyſtema nervoſum invaſum eſſe oſtendit, et quia, ut jam innuimus, in ventriculo atque hepate ſaepe nihil praeternaturaliter mutati invenitur.

Morbus eſt longe periculoſiſſimus, difficulterque conſtitui poteſt, quod, ubi ſuppuratio contingit, ſanatio ibi adhuc locum ſit habitura, etiamſi clare intelligi nequeat, qui tam per inflammationem, quam per ſuppurationem mors produci queat, quandoquidem experimenta doceant, ſuppurationes inſignes in cerebro ſine omni periculo vitae praeſenti contingere poſſe.

Quanto magis in omnibus aliis inflammationibus internis indolis febris ratio eſt habenda, et quanto minus methodus antiphlogiſtica in omni ſuo ambitu adhiberi poteſt, tam difficile et fere impoſſibile eſt, hoc in morbo parem diverſitatem obſervare. Inflammatio promptiſſimo opus habet auxilio artis, et ſingularis indoles inflammationis mutat omnia alias conſueta phaenomena tantopere, ut difficillimum ſit ex illis ſingularem febris indolem conjicere. Et propte-

rea tutiſſimum omnino ſit, methodum antiphlogiſticam ſtatim in omni ejus extenſione adhibere.

Miſſiones ſanguinis largae eſſe debent, quae primum non obſtante pulſu parvo ſpaſtico atque inaequali ſuſcipiendae ſunt. Febris ſane naturae putridae et malignae eſſe poteſt, et miſſiones ſanguinis poſſunt tum promovere gangraenam, ſed hic caſus revera erunt rariores, atque in univerſum ſemper minus audetur in methodo antiphlogiſtica, quam ſi miſſionem ſanguinis, tam incertis hic contraindicantibus, ſubmittere vellemus.

Quodſi interim nimius defectus virium adeſſet, hirudines in collum applicati ſufficere poſſunt.

Interne exhibentur temperantia, ſed propter proclivitatem ad vomendum, ſaepe nitrum non poteſt adhiberi. Propinatur tum mixtura refrigerans. Quia bilis facile invaditur corrumpiturque, contendimus alvum, per pulpam tamarindorum, mannam atque enemata emollientia ſervare apertam.

Praeter haec commendat nobilis quidam chirurgus epithemata circa caput ex aqua frigida. Magnum hic momentum ſitum eſt in ſtadio morbi. Ubi nulla nata eſt inflammatio, illo ſane per epithemata frigida praecaveri poteſt, ſed quam veroſimillimum eſt, ibi illa nocere debere, ubi inflammatio jam et quidem in vigore adeſt, eſt opera danda, ut ea reſolvatur, et ſuppuratio prope imminens extimeſcenda. Ubi e con-

trario ſola concuſſio cerebri contigit, ſine mora ſunt adhibenda, ubi illa ſecundum obſervationes chirurgi exercitus Boruſſici Generalis Schmuckeri inſignem praeſtant utilitatem. Ad frigus aquae intendendum, miſcetur illa cum ſale ammoniaco. Sed curandum eſt, ne illud prius ſolvatur, quia frigus tantum durante ſolutione oritur, et poſt eam peractam rurſus deſinit. Optimum proinde eſt, linteamina cum ſale ammoniaco conſpergere, atque ita demum cum aqua perfundere.

Opium, quod ſaepe vomitus atque aliorum ſymptomatum nervoſorum cauſa commendatur, veroſimiliter huc prorſus non quadrat. Quum hic omne momentum in inflammatione vertatur, nulli etiam curationi ſymptomaticae hic locus eſt. Laudatur illud quidem, etiam in illum finem, ut per opium ſimul reſolutio inflammationis conficiatur. At ego, opium tantum in inflammationibus ſpasmodicis oriundis, raro autem et fere numquam in phlegmone, atque adeo neque in noſtro morbo utiliter adhiberi poſſe opinor. Porro uſus opii etiam eo ipſo diſſuaderi mihi videtur, quia illud congeſtiones verſus caput parit, quae hic quam diligentiſſime ſunt evitandae.

Optime proinde agemus, ſi miſſionibus ſanguinis, veſicatoriis ad nucham et caput applicatis, et remediis refrigerantibus contenti erimus, et ſimul per remedia lenia alvum ſervabimus ſolutam. Quodſi ven-

triculus ferre poſſit, conſultum etiam eſt, camphoram in auxilium adhibere.

Secundum placitum multorum chirurgorum etiam trepanatio adhibenda eſt. Sed circumſtantiae morbi ita ſunt comparatae, ut illa raro aut fere numquam ſit utilis, ſaepe autem et plerumque noxia eſſe poſſit.

Quamdiu ſtadium inflammationis durat, nullam ea praeſtare utilitatem, augendo vero irritationem ſumme noxia eſſe poteſt.

Quodſi ſuppuratio imminet, aut jam contigit; adfluxus aëris externi liber, hanc ſuppurationem maligniorem reddere poteſt. Quodſi parum puris adeſt, omnino reſorberi poteſt. Pus procul dubio quoque admodum benignum eſt, niſi aër liber in illud agat, ita ut reſorptio ejus noxia eſſe nequeat.

In omni caſu eſt incertiſſimum et maxime ambiguum, illum locum tangere, ubi ſanguis extravaſatus aut pus reſidet.

Quodſi multum adeſt puris, magnaque pars membranarum cerebri invaſa, pariter intelligi nequit, quomodo pus per aperturam factam emitti poſſit.

Perſpici ſimiliter nequit, quomodo per trepanationem ſolutio, ſi qua forte contigit, durae matris a cranio, rurſus corrigi poſſit.

Quum proinde utilitas trepanationis tam ſit incerta, atque operatio proclivitatem ad inflammationem neceſſario augeat, ſuppurationemque minus

reddat benignam, praeſtat juſto minus, quam juſto plus facere.

Quodſi autem phaenomena comparent, quae non tam inflammationem cerebri, quam potius preſſionem ejus oſtendunt, ut paralyſis, et proclivitas in ſomnum, laeſio oſſium prope ad ſuturas, ubi membrana cerebri plurimis inſtructa eſt vaſibus, quae in ſolutione membranae cerebri facile ingentem ſanguinis copiam profundunt, et magnam producunt extravaſationem, aut ſi ex indole fiſſurae, praeſentiaque convulſionum feſtucam adeſſe neceſſario colligamus, aut ſi denique ratio ad credendum adſit, inflammationem ab humore inter cranium et reſolutam piam matrem extravaſato, corrupto atque irritanti oriri, tunc omnino trepanatio eſt ſuſcipienda, at vero tum nec morbus eſt idem, de quo nobis hic ſermo eſt.

De Morbis oculorum.

Ophthalmia.

Inflammatio oculi vocatur *ophthalmia.* In ſequentes diſtinguitur ſpecies:

1) *Taraxis.* Sic appellatur levis inflammatio conjunctivae, quae nonnumquam usque ad palpebras extenditur, ſed nulla eſt febri ſtipata.

2) *Chemoſis.* Inflammatio hic tam eſt vehemens, ut ſaepe tunica adnata ſupra totam corneam pro-

mineat eamque obtegat, ubi ſimul febris acris, doloresque atroces adſunt.

3) *Phlegmone oculi.* Ita vocatur inflammatio partium internarum oculi, quae ex febri magna ſimul praeſenti, ſenſibilitate oculi adverſus lucem praeternaturali, atque e dolore in interioribus oculi pulſanti cognoſcitur.

4) *Exophthalmia.* Sic ſalutatur inflammatio, tanto cum tumore ſtipata, ut bulbus oculi a palpebris tegi nequeat.

5) *Blepharophthalmia.* Ita inflammatio palpebrarum nuncupatur.

6) *Hordeolum.* Sic tuberculum in tarſis oculorum inflammatum ſalutatur.

Chemoſis et phlegmone oculi facile ſuppurationes oculi poſt ſe trahunt, atque hae ſunt extimeſcendae, ſi dolor per caput verſus occiput vires ſuas exſerit. Si pus pone corneam interque lamellas ejusdem colligitur, vocatur *hypopium.* Quodſi in cornea abſceſſus naſcitur ſolitus, is *onyx* nuncupatur, et ſi hic abſceſſus ulcus format, illud *helcoma* ſalutatur. Si tuberculum quoddam in tarſis induratur, illud *chalazion* appellatur.

Cauſae inflammationis oculi ſunt:

1) Laeſio externa violenta.

2) Nimius oculorum uſus.

3)

3) Corpora aliena, aut phyſice aut mechanice irritantia, e. gr. vapores acres, pulvis.

4) Diatheſis inflammatoria.

5) Sordes in primis viis bilioſae.

6) Vermes in inteſtinis.

7) Irritatio e dentitione infantum inflammationi in illis anſam praebere poteſt.

8) Acrimonia rheumatica, ſcrophuloſa, venerea et cancroſa. Hordeolum pertinet inter ſigna acrimoniae ſcrophuloſae. Ophthalmiae ex acrimonia ſcrophuloſa et miasmate gonorrhoeae multa gaudent ſimilitudine, quod plurimum ad affinitatem duarum acrimoniarum oſtendendam ponderis habet. Ab utraque diſtinguitur illa ſpecies ophthalmiae venereae, quae ſymptoma luis eſt venereae. Ophthalmia e miaſmate gonorrhoeae oritur plerumque a dejectione metaſtatica materiae gonorrhoeae, et ſemper fere cedit ſoli methodo antiphlogiſticae. Ophthalmia e miasmate venereo cancroſo (*chancre*) requirit mercurialia.

9) Diatheſis metaſtatica materiae exanthematicae, e. gr. variolarum, morbillorum.

10) Relaxatio partium oculi ſingularis, quae ſaepe ophthalmiam ſic dictam habitualem fluentem producit, quae a nonnullis etiam *lippitudo* vocatur.

11) Dantur etiam ophthalmiae periodicae.

12) Denique ſymptomatice per alios morbos oculorum produci poteſt.

Curatio interna inſtituitur ſecundum indicationes. In chemoſi et phlegmone feſtinandum eſt cum remediis, ut ſuppurationi praeveniatur. Veſicatoria in cervice et temporibus ſunt ubique et plerumque multo cum fructu adhibenda, inprimis ſi illa per emplaſtrum veſicatorium perpetuum ſatis diu aperta ſerventur. Externe ad oculum in inflammationibus acutis, quae febres habent comites, tantum fomentationes emollientes proſunt, quem in finem decocta malvacea commodiſſima ſunt. Ubi ophthalmia a congeſtionibus ſuſtentatur, hirudines quam proxime applicati proſunt. Inciſiones quoque in conjunctiva ſaepe magni ſunt uſus. In dentitione infantum lenit opium interne atque externe adhibitum ſaepe inflammationem. In acrimonia venerea ſolutiones mercuriales lenes externe in auxilium vocari poſſunt. Mercurialia tanto ſunt efficaciora, quodſi inflammatio e miasmate venereo cancroſo eſt nata. Generatim ubi adſunt acrimoniae, laxantia mercurialia proſunt. In ophthalmia habituali inſervit aqua frigida, in qua aliquantum vitrioli albi ſolvere licet. In multis etiam inflammationibus aquā benedicta Rulandi diluta in oculum utiliter inſtillari poteſt, inprimis ubi inflammatio magis eſt indolis chronicae atque ab acrimonia alitur ſcro-

phuloſa. (V. *Aqua ophthalmica.*) A medicamentis externis generatim plurimum ſperare licet ab emollientibus atque antiſpasmodicis.

Infantes recens nati ſaepiſſime inflammationibus oculi ſunt expoſiti, quae facillime in ſuppurationem oculorum exeunt. Mature proinde exhibenda ſunt laxantia mercurialia, emplaſtrum veſicatorium applicandum, et fomentationes emollientes adhibendae.

Maculae corneae.

Quodſi maculae corneae ſunt ſemipellucidae, vocantur *nephelium.* Quodſi illae penitus ſunt impellucidae, *leucoma* ſeu *albugo.* Et ſi tantum margo externus eſt obfuſcatus, *gerontoxon.*

Hae maculae aut remanent poſt inflammationes, aut naſcuntur e diatheſi acrimoniae cujuspiam.

In caſu poſteriori ſetacea inſerviunt, atque in utroque ſimul reſolventia externe adhibita, quem in finem ſaccharum atque aqua benedicta Rulandi diluta commodiſſima ſunt. V. *Aqua ophthalmica reſolvens.*

Nonnumquam etiam ſola emollientia proſunt, e. gr. oleum nucis.

Quodſi maculae in ſuperficie corneae reperiuntur, auxilium chirurgicum requiritur.

Pterygium.

Ex iisdem cauſis facile etiam extenſio et tumor carunculae lacrymalis, atque obſtructio varicoſa in

vaſis conjunctivae oriuntur, quae generatim *pterygium*, ſingulatim autem, ſi tantum ſpeciem laminae tenuis pellucidae prae ſe ferat, *ungula*, et ſi extenſio eſt magna, craſſa, et rubra, *pannus* nuncupatur.

Niſi reſolventia atque eſcharotica lenia ſufficiant, et degeneratio cancroſa ſit pertimeſcenda, extirpatio eſt ſuſcipienda.

Staphyloma.

Sic vocatur protruſio ſeu prolapſus corneae praeternaturalis.

Haec protuberantia corneae eſt ſequela corneae aut praeternaturaliter incraſſatae aut vulneratae, ita ut iris, ſeu tunica humoris aquei in aperturam ſit protruſa, et per hoc tumor producatur.

Cauſae ſunt: violentia externa, inflammatio, irritatio et diatheſis acrimoniarum, atque ſuppuratio. Juxta auxilium chirurgicum, et remedia interna requiſita in cornea incraſſata atque concreta butyrum antimonii ut cauſticum adhiberi poteſt.

Ophthalmoptoſis.

Quodſi bulbus oculi non propter ſuum tumorem, ſed per alias cauſas ex orbita protruditur, hoc malum *ophthalmoptoſis* nuncupatur.

Violentia externa et tumores in orbita ſunt cauſae frequentiſſimae.

In priori caſu oculus eſt retroducendus, et ſymptomatibus occurrendum.

In poſteriori caſu ratio indolis acrimoniarum habetur. Tophus venereus ſaepe eſt cauſa, ubi tunc uſus cujusdam remedii mercurialis cauſtici internus habet locum.

Hydrophthalmia.

Humoribus oculi nimium collectis naſcitur *hydrophthalmia.*

Hoc in morbo bulbus oculi et praecipue cornea ſenſim ſenſimque tantopere intumeſcunt, ut palpebrae illum non totum tegere queant. Pupilla orbatur mobilitate ſua et viſus fit debilis, lens tamen cryſtallina non obfuſcatur.

Plerumque cauſa ſunt obſtructiones. Ad cauſas remotas pertinent praeſertim haemorrhagiae ſuppreſſae.

Tractatur proinde malum eodem plane modo, ut hydropes alii, niſi quod ſimul ulcera artificialia in auxilium adhibentur, externe conamur glandulas obſtructas reſolvere, atque ubi hoc minime effici poteſt, emittitur aqua per inciſiones. Quoque nuperrime quaedam obſervationes eximiae a ſetaceo per cutis margines tracto ſunt in medium prolatae.

Cum inciſione non admodum diu expectandum eſt, quia alias oculus facile deſtruitur.

Trichiaſis et Diſtichiaſis.

Quodſi tarſi palpebrarum verſus bulbum oculi ſunt verſi, ita ut cilia interiora oculi tangant atque irritent, morbus *trichiaſis* vocatur.

Quodſi autem ordo ciliorum revera adeſt duplex, quorum unus extrinſecus, alter intrinſecus verſus eſt, *diſtichiaſis* nuncupatur.

Morbus poſterior eſt longe rariſſimus, et nonniſi per evulſionem pilorum tolli poteſt.

Trichiaſis non ſolum ab acrimonia interna, ſed etiam a relaxatione cutis ciliorum externae produci poteſt; ubi tum in caſu poſteriori cutis aut eſt roboranda, aut per tractionem et cicatriſationem abbrevianda, et niſi hoc etiam juvet, cilia ſunt evellenda. In poſteriori caſu ad impediendum, ne cilia rurſus excreſcant, loca, ubi illa ſunt evulſa, ſpiritu vini, ſpiritu ſalis ammoniaci aut etiam ſolutione lapidis infernalis diluta, ſunt maceranda, ubi autem oculum ipſum ab actione horum pharmacorum tutari oportet.

Ectropium atque Entropium.

Quodſi cutis interna palpebrarum foras vertitur, ſymptoma *ectropium* vocatur; ſi illa introrſum vertitur, *entropium* ſalutatur.

Morbus poſterior cum trichiaſi eſt unus idemque, etiamſi fieri poteſt, entropium ſine trichiaſi eſſe

poſſe, ſi nimirum cilia caſu fuerunt evulſa aut amiſſa. Ectropium oritur nonnumquam in infantibus recens natis, et raro alias quam per exciſionem partis cutis prominentis tollitur.

Blepharoptoſis.

Quodſi aegri palpebram ſuperiorem elevare, atque adeo oculos pro arbitrio aperire nequeunt, morbus *blepharoptoſis* ſeu quoque *ptoſis* appellatur.

Cauſae ſunt:

1) Debilitas totius corporis.

2) Paralyſis muſculorum ad motum neceſſariorum.

3) Spasmus muſculi orbicularis.

4) Tumor, quo palpebra pro ratione virium muſculi nimium redditur gravis. Tumor palpebrarum aqueus plerumque eſt hydrocephali ſymptoma.

5) Tumor inflammatorius.

In debilitate et paralyſi balnea martialia atque electricitas utilia eſſe poſſunt. Quodſi palpebra per ſpasmum muſculi orbicularis detrahitur, inſerviunt fomentationes emollientes e. g. decoctum malvae. Tumores frigidi plerumque requirunt opem chirurgicam.

Lagophthalmus.

Sic impotentia palpebras perfecte claudendi nuncupatur, quo cornea ſaepe fit ſicca atque opaca.

Cauſae ſunt:

1) Spasmus, tam e cauſis hyſtericis, quam etiam ex acrimonia biliosa in primis viis hoſpitante.

2) Paralyſis.

3) Breviatio cutis per cicatrices.

Quodſi in caſu ultimo remedia emollientia nihil efficiant, contendendum eſt per novam cutis ſeparationem, ut ea producatur.

Epiphora et Lippitudo.

Fluxus humorum ex oculo praeternaturalis vocatur *epiphora*. Quodſi tenuiſſimum humorum reſorbeatur, humor effluens ſpeciem puris prae ſe fert, et tum morbus *lippitudo* ſalutatur.

Cauſa epiphorae proxima eſt aut nimia humorum ſecretio, aut reſorptio humorum conſuetorum ſuppreſſa. In priori caſu adeſt cauſa irritans, in poſteriori obſtruens, quae ceterum in utroque caſu ſimilis indolis eſſe poteſt. Eadem cauſa uno tempore organa ſecretoria irritare poteſt, quae alio tempore vaſa reſorbentia obſtruere poteſt. In epiphora magis plerumque laborant vaſa reſorbentia, quam in lippitudine, atque adeo in epiphora magis habenda eſt ratio obſtructionum, quam in lippitudine.

Cauſae ſunt:

1) Animi pathemata. Haec ad fluxum lacrymarum irritare, vitium vaſorum reſorbentium autem quoque producere poſſunt.

2) Acrimonia ſcrophuloſa, venerea, rheumatica, atque exanthematica.
3) Relaxatio viarum lacrymalium.
4) Obſtructio et concretio canalis lacrymalis et naſalis.

Ubi adeſt acrimonia, praeter curationem internam neceſſariam etiam fonticuli et ſetacea, atque externa ophthalmica reſolventia atque roborantia adhibentur. V. *Aqua ophthalmica reſolvens* et *confortans.*

In relaxatione uſus aquae frigidae externus continuatus praeclarae eſt utilitatis.

Quodſi viae excretoriae lacrymarum ſunt obſtructae aut concretae, auxilium requiritur chirurgicum. Idem obſervatur, ubi humores in interioribus oculorum atque in ſacco lacrymali colliguntur, et ſpeciem hydropis topici, aut fiſtulam lacrymalem apparentem producunt.

Cataracta.

Hypochyma, quod latine *ſuffuſio* vocatur, eſt obſcuratio lentis cryſtallinae, aut capſulae lentis cryſtallinae, aut ſimul utrorumque corporum.

Initium morbi cognoſcitur e defectu viſionis, atque opacitate internorum oculi, contractilitate tamen pupillae requiſita manente. Dantur quidem caſus, ubi poſterius etiam deeſt, tum vero eſt morbus complicitus. Rariſſime etiam cataracta ſubito, ſed ple-

rumque ſenſim ſenſimque oritur, ubi opacitas augeſcit, et denique color lacteo-albus comparet.

Cauſae cataractae ſunt:

1) Metaſtaſis acrimoniae ſcrophuloſae, rheumaticae, venereae et ſcorbuticae.

2) Inflammationes oculi.
3) Abuſus potulentorum ſpirituoſorum.
4) Laeſio externa ab ictu, combuſtione.
5) Vapores acres.
6) Congeſtiones ſanguinis ad oculos conſtantes.

Quodſi morbus jam aliquantum vires adquiſivit, nihil plerumque praeter opem remanet chirurgicam. Principio ejusdem nonnumquam per curationem internam cauſarum praeſentium per fonticulos, et ſetacea, remediaque externa emollientia, progreſſus ſaltem morbi ſupprimi poteſt. Succus millepedum quoque recens, extractum hyoſcyami albi atque electricitas efficaciſſime ſe praeſtitiſſe dicuntur.

Glaucoma.

Ita corruptio atque obſcuritas humoris vitrei ſalutatur.

Morbus a cataracta in eo diſtinguitur, quod in glaucomate opacitas pone lentem cryſtallinam obſervetur.

Ex iisdem ceterum oritur cauſis, ſed ſemper fere eſt inſanabilis, quia ea nullam patitur operationem. Electricitas forſitan aliquid efficere poteſt.

Mydriaſis.

Quodſi pupilla praeternaturaliter dilatatur, contractibilitateque ſua orbatur, morbus *mydriaſis* vocatur.

Nonnumquam naſcitur ſine omnibus cauſis manifeſtis, nec viſui eſt noxius. Spasmi etiam hyſterici, atque irritatio e vermibus in primis viis mydriaſin gignere poſſunt. In omnibus his caſibus eſt morbus tranſitorius, ſed ſaepe eſt ſymptoma hydrocephali interni atque amauroſeos, et prorſus ab his morbis pendet.

Amauroſis.

Coecitas e vitio retinae et nervi optici pendens, ubi nulla obſcuritas oculorum obſervatur, atque ubi pupilla plerumque contractilitate ſua privata eſt, *amauroſis* ſeu *gutta ſerena* nuncupatur.

Cauſae hujus morbi ſunt omnes illae, e quibus alii morbi nervoſi, inprimis paralyſes naſci poſſunt, quarum proinde in curatione ratio eſt habenda. Miasma venereum turgorem partium oſſearum in illo loco, ubi nervus opticus in orbitam ingreditur, producere poteſt, quo nervus comprimitur. Praeterea morbus

poſt laeſiones et concuſſiones capitis violentas naſci poteſt, quo in caſu plerumque eſt inſanabilis.

Ad remedia, quae immediate in nervos agunt, pertinet praecipue electricitas, quae ſaepiſſime egregiam exſeruit virtutem.

In acrimonia biliofa tartarus emeticus in doſi paulatim augenda prodeſt, atque in acrimonia ſcrophuloſa et venerea utilem ſe praeſtat mercurius nitroſus.

Amblyopia.

Viſus debilitatus plerumque eſt initium cataractae, haud raro autem etiam ſymptoma haemorrhoidale. In poſteriori caſu vitium non eſt permanens, ſed ſe habet in ratione ſpasmi hypochondriaci aut hyſterici, qui tamen ſaepe congeſtionibus eſt ſtipatus, et ubi adeo in curatione reſolventia, antiſpasmodica et derivantia ſunt adhibenda.

His pariter congeſtionibus quoque vitia organica, polypi, vaſa aneurismatica et ſimilia anſam praebere poſſunt; nonnumquam vitium in cerebro eſt ſitum, e. gr. tumores, quibus nervi optici premuntur, ubi tunc in utroque caſu nulla ſanatio habet locum.

Nonnumquam praeterea ſimul ſunt oculi turbidi, quod ſubinde e collectione et turbulentia humoris morgagniani evenit. Primum hic ulcera artificialia requiruntur, poſtremo autem ſectio.

Nonnumquam cornea tantum opaca fieri videtur, quod tam ſequela congeſtionum, quam impreſſionis immediatae in cerebrum eſſe poteſt.

Hemeralopia et Nyctalopia.

In priori caſu aegri interdiu bene et noctu nihil cernunt, in poſteriori caſu interdiu viſum habent hebetem, noctu acute cernunt.

Utrique morbi ſemper fere ſunt conſenſuales, nonnumquam vero ſola ſunt ſequela irritabilitatis hyſtericae.

Diplopia.

Hic objecta cernuntur duplicata, et ſimul viſus plerumque eſt hebes.

Utplurimum hoc vitium poſt operationem cataractae naſcitut, et ſenſim ſenſimque evaneſcit, prouti viſus in robore augeſcit.

Vidi aliquando per quasdam ſeptimanas poſt vulnus capitis alias ſanatum remanere, ubi illud procul dubio ſequela concuſſionis fuit.

De Morbis aurium.

Otalgia.

Inflammatio auris *otalgia* ſeu *otites* ſalutatur.

Inflammatio invadit aut tantum partes externas, aut internas. Poſterior e dolore internorum auris vehementi, ardenti, et pulſanti, atque e febre eandem ſtipante cognoſcitur, cui facile ſe deliria et convulſiones adſociant, ita ut morbus jam in aliquot diebus fiat letalis.

Raro eſt febris indolis inflammatoriae ſimplicis, plerumque adeſt obſtructio catarrhalis et rheumatica, et febris haud raro eſt biliosa.

In auris internae inflammatione cum auxilio eſt feſtinandum, quia facile ſuppuratio ſequitur, per quam non ſolum auditus perire poteſt, ſed etiam, ſi pus ſe intrinſecus exonerat, apoplexiae aliisque morbis nervoſis anſam praebere poteſt.

Quodſi res ad ſuppurationem venit, non ſolum opera danda, ut effluxus puris, per ſitum convenientem, atque injectiones emollientes calidas promoveatur, ſed etiam ſemper adhuc uſus antiphlogiſticorum eſt continuandus, ut omni inflammationi novae praecaveatur.

Nonnumquam, inprimis in infantibus, effluxus puri ſimilis, ſine omni inflammatione praevia mani-

feſta oritur, qui non eſt obturandus, ſed potius promovendus; ratio acrimoniarum autem, quae illuc ſe dejecerunt, et cauſarum, quae forte congeſtionibus anſam praebere poſſent, e. gr. glandulae abdominales obſtructae, vermes, ſimul habetur.

Quodſi in his circumſtantiis intemperies ſanguinis obſervetur, uſus acidi vitrioli eſt commendandus, quod hic ſaepe utiliſſimum ſe praeſtat.

Nonnumquam aliena corpora atque inſecta in aurem perveniunt, et per irritationem ſuam dolores atque inflammationem producunt. Fumus tabaci, oleum atque aqua calida in aurem illata, plurimum hic proſunt.

Tinnitus et Suſurrus aurium.

Tinnitus et *ſuſurrus aurium* ſaepe febrium ſymptoma ſunt, et circumſtantiis exiſtentibus faventibus haemorrhagiam narium, aut, ubi jam ſymptomata nervoſa gravia ſine omni cauſa ſufficiente adſunt, delirium praenunciant.

Praeterea e congeſtionibus ſanguinis verſus ſuperiora in haemorrhagiis conſuetis, neglectis, atque emanentibus, et generatim in proclivitate ad apoplexiam oriuntur.

Haud raro etiam obſtructio catarrhalis eſt cauſa.

Spaſmi hyſterici pariter producunt haec gravamina.

Et denique facile comparet hoc ſymptoma poſt debilitates magnas.

Secundum has indicationes inſtituitur etiam curatio, quae jam aliis occaſionibus eſt tradita.

Surditas.

Surditas apud multos auctores appellatur *cophoſis*, multi autem eam tantum ſurditatem ita vocant, quae e vitio partium internarum auris ſequitur.

Cauſae ſunt:

1) Deſtructio partium organicarum, e. gr. caries aut anchyloſis oſſium auditus, paralyſis nervorum.

2) Diatheſes metaſtaticae in febribus.

3) Staſes acrimoniae ſcrophuloſae, venereae et rheumaticae, quibus non ſolum glandulae, ſed etiam oſſa in margine foraminis auditorii interni turgeſcunt, atque adeo organa auditoria comprimuntur.

4) Concuſſiones ex exploſionibus tormentorum fortibus, quibus veriſimiliter ſpecies quaedam paralyſeos in nervis acuſticis producitur.

5) Obſtructio tubae euſtachianae, cerumen inſpiſſatum, et mucoſitas partium externarum.

Primum caſum adeſſe colligendum eſt e cauſis praegreſſis. Ex inefficacia remediorum adhibitorum mox quoque ſe prodit.

Diatheſes

Diatheſes febriles raro ſunt periculoſae. Surditas utplurimum criſi imminente eſt bonum omen, et ſymtoma ipſum tranſitorium.

Contra acrimonias ſingulares pharmaca illis oppoſita exhibentur.

Indurationes muci et ceruminis nitimur per oleoſa, atque emollientia, atque ubi haec minime ſufficiunt per injectiones reſolventes e ſapone, felle tauri, aqua benedicta Rulandi tollere. Nonnumquam ſola aqua calida optimam praeſtat utilitatem. In tubae euſtachianae obſtructionibus eſt conſultum, haec per os ſpargere, quod autem habet difficultates.

In congeſtionibus pertinacibus ſubinde electricitas praeclaram exſerit virtutem. Aegro cuidam, qui altera aure e tormenti bellici exploſione per octodecim annos ſurdus erat, atque altera procul dubio e congeſtione rheumatica ab aliquot annis difficulter audiebat, per electriſationem octies repetitam ſpatio duodecim dierum auditum fere penitus reſtitui.

De Morbis dentium.

Dentitio.

Dentitio infantum raro ante ſextum aut nonum aetatis menſem incipit. Ante annum quartum non facile ſupra viginti dentes obveniunt.

Eruptio primorum dentium, qui dentes inciſorii medii ſunt, raro parit ſymptomata; e contrario eruptio dentium caninorum et molarium producit ſaepe diarrhoeas, febrem, tuſſim et reſpirationem ſonoram, convulſiones atque eclampſiam.

In dentitione duo ſtadia ſunt diſtinguenda, ſeſſio ſic dicta aut dilatatio maxillarum atque eruptio. Prius ſaepe quamplurima excitat ſymptomata.

Quodſi ſaliva prompte fluit, atque alvus eſt ſoluta, facile dentitio plerumque procedit.

Quodſi vero diarrhoea nimium fit vehemens, inquiritur, num ſordes et redundantia in primis viis adſint, atque hoc in caſu exhibetur tinctura rhab. aquoſa cum liquore terrae foliatae tartari, et pro re nata emeticum. Quodſi primae viae ſunt expurgatae, opium exhibetur.

In tuſſi et reſpiratione ſonora primo emeticum et deinde pariter opium juvat.

Motibus febrilibus praeſentibus infantes ſedulo aquam bibere jubentur, atque alvus ſervatur aperta.

In convulſionibus ratio pariter primum habetur purgationis primarum viarum, tum proſunt balnea tepida, moſchus atque opium.

Eclampſia ſemper fere eſt letalis, ubi tum haud raro dentes poſt mortem erumpunt.

Durante eruptione infantes jubentur, conium mordere; inciſio gingivae raro juvat; quodſi vero, poſt-

quam omnia alia remedia irrita fuere, ad inciſionem cogamur, curandum eſt, ut haec inciſio non ſit nimium matura, ne vulnus ante eruptionem dentium ſanetur, cicatricem ducat, et deinde eruptionem dentium adhuc difficiliorem reddat.

Eſt etiam lis adhuc ſub judice, utrum cauſa eruptionis difficilis in gingiva reperiatur, an non. Vitium potius in ſyſtemate nervoſo nimium irritabili et debili latere, ita ut durante dilatatione maxillae atque eruptione ſpasmus producatur univerſalis. Brevi ante acceſſionem eclampſiae infantes proclivitatem ad vomitum oſtendere ſolent, quae eſt ſuſtentanda. In paroxysmo ipſo fere in univerſum commendantur veſicatoria et balnea calida. In infantibus admodum plethoricis autem melius eſt, quodſi enitimur, ut prius vena pertundatur, aut hirudines infra aures ſuccire permittimus, quandoquidem plerumque et fere ſemper mors ſequatur apoplectica. Tum ſaltem balnea atque opium majori cum ſecuritate in magna doſi exhiberi poſſunt.

Odontalgia.

Sic appellatur generatim quivis *dentium dolor*, ſeu ſit ille indolis inflammatoriae ſeu minus.

Cauſa proxima ſemper eſt irritatio nervi in dentem ſe inſinuantis.

Cauſae remotiores ſunt:

1) Diatheſis phlogiſtica. Dantur caſus, ubi dolor ex inflammatione ſimplici oritur, atque ubi methodus antiphlogiſtica locum habet.

2) Frequentius eſt vero ſtaſis indolis catarrhalis vel rheumaticae, quod interim in curatione nullam differentiam inducit, quum eadem methodus in omni ſuo ambitu hic ſit adhibenda.

3) Haud raro excitatur dolor per vermes, et per ſordes in primis viis bilioſas, cujus in curatione ratio eſt habenda.

4) Congeſtiones ſanguinis ex haemorrhagiis ejusdem conſuetis ſuppreſſis non raro dolorem dentium producunt.

5) Acrimonia ſcrophuloſa, ſcorbutica et venerea pariter ſunt cauſae frequentes.

6) Materia arthritica ſaepe in dentes deponitur, et dolores producit.

7) Spasmi hyſterici pariter huc pertinent, atque hoc in caſu dolores per opium tolli poſſunt.

8) Dolor ſubinde eſt periodicus, et tractandus eſt ut febris intermittens.

9) Dolores dentium ſunt ſymptoma graviditatis admodum conſuetum, et nulla tum indigent curatione, niſi aliae circumſtantiae miſſionem ſanguinis requirant.

10) Quodſi denique ſola caries oſſis cauſa eſt, nihil aliud, quam extractio dentis dolentis remanet.

De Morbis colli.

Bronchocele.

Struma quibusdam regionibus eſt endemia, inprimis in locis alpinis, e. gr. in Tyroli, in Helvetia atque in Gallia in provincia Delphinatus et Gevaudano.

Morbus in tumore glandulae thyroideae conſiſtit.

Talis intumeſcentia hujus glandulae quoque ab acrimonia ſcrophuloſa oriri poteſt, ſed tum non eſt morbus endemicus proxime memoratus, quippe qui in iis regionibus atque ſubjectis reperitur, in quibus nulla ſuſpicio acrimoniae ſcrophuloſae locum habet, ſed morbus magis ut malum topicum eſt conſiderandus.

Neque illa partis colli anticae intumeſcentia huc pertinet, quae e prolapſu membranae laryngis internae oritur, quaeque fere eſt inſanabilis.

Nonnumquam quoque in partubus atque aliis niſibus vehementibus humores in telam celluloſam partium laryngi adjacentium ingredi poſſunt.

Cauſa ſtrumae endemicae eſt ignota. Ex experientia interim, quod ab aqua nivali et glaciali per congelationem aëre ſuo fixo privata glandulas homines obtineant tumidas, non ſine ratione colligi poteſt, ſtrumam propterea plane in regionibus alpinis

tam frequentem eſſe, quia illic hujusmodi aqua crebro potui inſerviat. Ex hac plane ratione quoque in morbi initio aqua aëre fixo impraegnata copioſe ad bibendum exhiberi poteſt.

Glandula admodum obſtructa, partibusque inter ſe nimium concretis, nullum fere auxilium locum habet.

Operatio eſt longe periculoſiſſima, quia vaſa valde inſignia in hanc glandulam ingrediuntur.

Nonnumquam tumor per ſuppurationem extirpari poteſt, quae cauteriis eſt promovenda, ſed nec hoc ſine auſu contingit.

Reſolutio eſt difficillima, multum tamen ſemper in ſpongia uſta ſpei fuit collocatum. Hepar ſulphuris et kermes minerale non edulcoratum procul dubio idem atque adhuc plus efficiunt.

Raucedo.

Raucedo ſemper fere eſt ſymptoma aliorum morborum e. gr. catarrhi, phthiſeos, febrium acutarum et ſpasmorum hyſtericorum.

Praeterea oritur etiam e ſermone diuturno, atque ex obſtructione in glandulis laryngis, ita ut huic elaſticitas ſufficiens deſit, nec in motum ad vocem neceſſarium tremulum concitari poſſit. Vitium muſculorum ſaepe eſt cauſa, quare electricitas nonnumquam eſt utilis.

In phthiſi atque in febribus acutis ſemper eſt ea, niſi e refrigeratione et ſtagnatione catarrhali oria-

tur, e ſymptomatibus periculoſis, mortemque praenunciantibus.

In raucedine chronica, quae e ſola obſtructione glandularum producitur, cum auxilio pariter eſt feſtinandum, quia facile ſequitur phtiſis trachealis. In curatione ratio habetur indolis acrimoniae, ulcera artificialia fiunt, atque opera datur, ut reſolutio obſtructionum ſimul per remedia antiſpasmodica promoveatur.

De Pectoris Morbis.

Tuſſis.

Cauſa tuſſis aut adeſt in pectore ipſo, aut agit per conſenſum.

Saepe quoque tuſſis eſt ſymptoma aliorum morborum, e. gr. phthiſis pulmonalis.

Diſtinguitur ea in *ſiccam* atque *humidam.* Prioris generis ſunt utplurimum illae, quae ex irritatione per conſenſum oriuntur, vomicae tamen quoque clauſae et tubercula cruda cauſa eſſe poſſunt. Tuſſes humidae quidem pariter per conſenſum excitari poſſunt, ſed tum neque expectoratio multum adfert levaminis. Proprie illae tantum tuſſes *humidae* eſſent appellandae, ubi cauſa illius humor acris in pulmonibus reſidens eſt, per cujus ejectionem tuſſis tolli poteſt.

Cauſae huc pertinentes ſunt:

1) Congeſtiones ſanguinis ad pulmones.

2) Vermes et ſordes in primis viis.

3) Obſtructiones viſcerum abdominis.

4) Acrimonia in glandulis tracheae ſtagnans, quae utplurimum eſt indolis catarrhalis aut ſcrophuloſae aut quoque venereae.

5) Debilitas hyſterica.

6) Collectio humorum acrium in pulmonibus.

7) Eroſiones atque aperturae epiglottidis, ita ut aër, vapores, cibi, et potus tracheam tangant et tuſſim producant.

8) Et denique huc pertinet *tuſſis convulſiva* e cauſa prorſus ſingulari pendens.

Non quaevis tuſſis vehemens appellanda eſt convulſiva, ſed proprie ea tántum ſic appellari meretur, quae certis temporibus epidemice graſſatur, magis infantes quam adultos invadit, atque eos contagio adficit, qui ab ea nondum invaſi fuerunt.

Morbus quoque eſt novus, nec ante decimum quintum ſeculum fuit notus. Primum in Gallia a. 1414 eſt obſervatus, ibique appellatur *coqueluche.*

Hae circumſtantiae contagium peculiare nos ſuſpicari jubent, quod vero ibi tantum vires ſuas exſerere videtur, ubi illud nondum adfuit, atque diſpoſitio in corpore adeſt ſingularis.

Diſpoſitio hunc in morbum ſemper fere latet in primis viis. Infantes ſaltem, qui male atque extra modum aluntur, facillime ab eo invaduntur, licet etiam refrigerationes, acrimonia in corpore praeſenti, hanc tuſſim producere queant.

Acceſſiones hujus tuſſis ſunt tantum breves. Primum oritur pruritus in trachea, qui ſenſim ſenſimque augetur, et tuſſim gignit. Quoque ſubinde ante horam dimidiam ex inquietudine infantum acceſſio inſtans animadvertitur. Tuſſis incipit cum inſpiratione profunda, tum ſequuntur breves et ſe invicem urgentes exſpirationes, ubi ſimul facies rubeſcit atque intumeſcit, atque aegri in diſcrimine ſuffocationis eſſe videntur, quod tamen minime contingit.

Extra has acceſſiones reſpiratio eſt levis, nec ullum morbi veſtigium adeſt. Initio nihil cum tuſſi ejicitur, paulatim autem egeritur exſcreatio mucoſa, coloris expers, quae tamen non eſt pus.

Morbus nonnumquam ſine omni febre adeſt. Haud raro autem haec accedit, et tunc plerumque tertianum typum obſervat.

Morbus per aliquot menſes durare, et nonnumquam convulſiones, inflammationes pulmonum atque tabem producere poteſt. Is autem quoque mox necare poteſt, quodſi cum magna febre et magno aſthmate eſt conjunctus.

In curatione ratio primum habetur purgationis primarum viarum, quod vero minime per purgantia, ſed per emetica fieri debet, quae ibi quoque ſunt utilia, ubi nihil noxii per vomitum ejicitur. Tum exhibentur antiſpasmodica, et praecipue opium, quocum, inprimis ſi morbus typum ſervet, ſimul cortex chinae eſt connectendus. Veſicatoria quoque ventriculo impoſita magnae ſunt efficacitatis. Regimen calidum, diaeta idonea, atque diaphoreſis lenis plurimum ſaepe ad curationem conferunt.

Eroſiones epiglottidis ſemper fere pendent ab acrimonia ſcrophuloſa et venerea, ſunt ſaepe ſymptomata phthiſeos trachealis, et requirunt pharmaca contra acrimonias inſervientia.

Reliquis ſpeciebus tuſſium occurritur ſecundum requiſita cauſarum. Medicamenta expectorantia conſueta ſunt ſemper tantum palliativa; et ſaepe ad tuſſim pertinaciorem reddendam ſuam conferunt ſymbolam, inprimis ſi ſimul cauſae verae negligantur. Ubi vero ſaburra muci in pulmone adeſt, cujus retentio reſpirationem difficilem reddit, neceſſe omnino eſt expectorationem promovere. V. *Species pectorales* et *Syrupus pectoralis.*

Aſthma.

Reſpiratio difficilis chronica vocatur *aſthma.* In febribus ea *dyſpnoea* vocari ſolet. Quodſi ſimul adeſt

anhelatio, tum ea *aſthma ſibilans* nuncupatur. Quodſi aegri nulla alia ratione quam in ſitu erecto, aërem haurire queunt, *orthopnoea* ſalutatur. Et ſi periculum ſuffocationis minatur, *catarrhus ſuffocativus* appellatur.

Reſpiratio difficilis aut continuo perdurat, aut tantum per acceſſiones redit.

Cauſa aut continetur in ipſis pulmonibus, aut agit per conſenſum.

Quodſi in priori caſu ſtaſis humorum in pulmonibus adeſt, *aſthma humidum* nuncupatur.

Quodſi autem aut nulla tuſſis, aut ſaltem nulla obſervatur expectoratio, *aſthma ſiccum* ſalutatur.

Aſthma ſiccum tam e vitio pulmonum, quam etiam per conſenſum oriri poteſt.

Quodſi animadvertitur, cauſam aſthmatis eſſe ſpasmum, eam e levibus cauſis e. gr. per motum excitari, pectus praeternaturaliter moveri aut dolens fieri, nullam reſpirationem adeſſe ſonoram, at enimvero alia ſymptomata ſpasmodica praeceſſiſſe, aut adeſſe, et cor magis quam pulmones laborare videre, hoc *aſthma ſpaſticum* ſeu *convulſivum* vocatur. Et ſi reſpiratio difficilis naturae ſpaſticae tantum per acceſſiones invadit, ea poſt Helmontium *caducum pulmonum*, ſeu *epilepſia pulmonum* nuncupatur.

Cauſae ſunt:

1) Congeſtiones ſanguinis verſus pulmones, quibus non tantum aſthma ſiccum, ſed etiam catarrhus ſuffocativus produci poteſt, quodſi nimirum ſanguis in telam celluloſam pulmonum egreditur. Hoc aſthma magis ut morbus acutus eſt conſiderandus.

2) Congeſtiones humorum ſeroſorum et mucoſorum. Quodſi hae paulatim ultro naſcuntur, effectus earum plerumque eſt aſthma humidum. Quodſi vero humores ſubito colliguntur, ut in peripneumonia notha, facile oritur catarrhus ſuffocativus.

3) Spasmi hypochondriaci atque hyſterici. Hi aſthmati ſicco convulſivo ſaepe anſam praebent.

4) Vermes in primis viis. Quum hic plerumque redundantia muci adſit, tamen, etiamſi aſthma ex parte per irritationem conſenſualem producatur, egeſtio allevans adeſſe poteſt.

5) Calculi veſicae felleae, aneurismata, polypi in vaſis magnis.

6) Aſthma ſymptoma hydropis pectoris eſſe poteſt.

7) Acrimonia ſcrophuloſa, rheumatica, arthritica, ſcabioſa et ſcorbutica tam in pulmonibus ipſis, quam etiam per conſenſum aſthma producere poſſunt. Angina pectoris ſic dicta quorundam medicorum recentiorum, quae nihil aliud eſt,

quam aſthma ſpaſticum, nonnumquam ab acrimonia arthritica oritur.

8) Caducum pulmonum ſtricte ſic dictum, per acceſſiones tantum invadens, in quo reſpiratio extra acceſſiones liberrima eſt, plerumque cauſas penitus occultas agnoſcit. Malum haereditarium eſſe poteſt, raro autem prius quam tempore pubertatis, prodit, et cauſa magis in nervis ad thoracem currentibus, quam in viſceribus ipſis ſita eſſe videtur.

9) Ex exhalationibus ſaturninis atque arſenicalibus aſthma oritur, quod indolis eſt convulſivae, atque in metallifodinis *morbus foſſorum* appellatur.

10) Impletio pulmonum cum pulvere pariter aſthma producit, cui e. gr. molitores, murarii, aliique ſunt obnoxii.

11) Tubercula pulmonum aſthma gignunt ſiccum.

12) Ex abuſu potulentorum ſpirituoſorum facile aſthma oritur, quod plerumque eſt ſiccum, ubi autem tamen ſtaſis muci in pulmonibus adeſt.

13) Concoctio debilis et flatus ſaepe reſpirationem difficilem producere poſſunt.

14) Omne id, quod vaſa premit, e. gr. extenſio uteri, redundantia pinguedinis, aneuriſmata, excreſcentiae in thorace, viſcera abdominis turgida, pariter ſunt aſthmatis cauſae.

Ubi congeſtiones ſanguinis verſus pectus obſervantur, eodem modo proceditur, ut ſupra de haemoptyſi doctum eſt.

Staſis humorum ſeroſorum eodem tractatur modo, ut peripneumonia notha. Quodſi periculum ſuffocationis minatur, emeticum in circumſtantiis ſequentibus poteſt exhiberi : 1) quodſi nulla inflammationis ſigna adſunt. 2) Quodſi materia in pectore eſt ſoluta, atque anhelatio ſonora auditur libera. 3) Quodſi reſpiratio non nimium eſt ſuppreſſa, 4) et vires adſunt integrae.

Sub his circumſtantiis emeticum aegrum ſaepe a morte ſervare, eandem autem quoque maturare poteſt, ſi materia firmiter haereat, nec aegro vires et ſpiritus ad vomitum ſuperſint. In caſibus itaque, ubi ceterum ſumma cum cautione agendum eſt, ſatis magnam oportet exhibere doſin, ne aeger per inania conamina delaſſetur.

Acrimoniis praeſentibus kermes minerale non edulcoratum in doſibus ſenſim ſenſimque augendis, praeclarae eſt utilitatis.

Reliquae ſpecies aſthmatis tractantur ut morbi nervoſi. Ubi materia adeſt, illi remedium opponitur conveniens. Ubi vero ſolus obſervatur ſpasmus, praeter fonticulos et ſetacea, opium et vapores inſerviunt emollientes. In obſtructionibus alvi, quae utplurimum in aſthmate ex exhalationibus metallicis ſunt

pertinaciſſimae, oleum ricini juvat. In quovis aſthmate generatim ratio habenda eſt abdominis, atque opera danda, ut tenſiones et ſpasmi in illo occurrentes tollantur.

In vitiis organicis ſemper tantum curatio ſymptomatica locum habet. Humores minuuntur atque attenuantur, excretiones apertae conſervantur, et partibus ſolidis irrritabilitas nimia eſt deſumenda.

Sternutatio.

Sternutatio eſt exſpiratio vehemens et ſubitanea. Utplurimum ea eſt ſymptoma catarrhorum, atque in febribus acutis ſaepe bonum eſt ſignum. E rebus quoque acribus per nares hauſtis oriri poteſt. Ubi ea eſt nimium vehemens et diuturna, noxia omnino fieri poteſt, atque hoc in caſu conamur membranam ſchneiderianam per vapores atque injectiones emollientes contra irritationem tueri.

Singultus.

Singultus eſt inſpiratio brevis, ſonans et ſpaſtica, quae per ſpasmum diaphragmatis et pharyngis producitur. Is oritur:

1) Subinde e refrigeratione, ex eſu et potione nimium celeri, atque e ventriculo praegravato.
2) E flatibus et ſpasmis in inteſtinis, hinc etiam facile in herniis oritur incarceratis.

3) E plethora abdominali. Hinc non raro obſervatur in haemorrhagiis ſuppreſſis, et his reſtitutis, rurſus evaneſcit.

4) E cibis et medicamentis acribus in ſtomacho.

5) E vulnerationibus atque excoriationibus pharyngis, ſtomachi et diaphragmatis. Ex hac ratione ſingultus eſt ſymptoma aphtharum.

6) Ex acrimoniis certis et vermibus per conſenſum agentibus.

7) E ſenſibilitate nervorum peculiari per minimas cauſas excitanda.

8) Ex inflammatione et gangraena ventriculi, diaphragmatis et reliquorum viſcerum abdominis.

9) E viribus exhauſtis.

Secundum has cauſas quoque medendi ratio inſtituitur. Ubi nulla cauſa irritans obſervatur, veſicatoria tamen, aut linimenta aromatica ventriculo ſuperimpoſita, moſchus atque opium inſerviunt. Ubi inflammatio, gangraena et virium defectus adeſt, ſingultus mortis propinquus praecurſor eſſe ſolet.

Incubus.

Hic morbus Germanis vocatur *der Alp*, Gallis *cochemar*, et graecis *ephialtes*.

Invadit tantum in ſomno, et reſpiratio percipitur difficilis, ubi aeger ſibi videre videtur, quaſi illi aliquid extrinſecus pectus comprimeret. Huic ſymptomati

mati homines dorſo incumbendo dormientes, ſimul plethorici, et concoctione infirma gaudentes, ſunt expoſiti.

Proclivibus itaque ad hoc malum lateribus incumbendo dormiendum eſt, plethora eſt imminuenda, diaeta bona eſt obſervanda, nec prius cubitum eundum, quam concoctio fuerit peracta, aut ſaltem cibi non amplius ſint in ventriculo.

Palpitatio cordis.

Motus cordis praeternaturalis convulſivus vocatur *palpitatio*. Cor quidem in omni circulatione ſanguinis praeternaturaliter aucta ſemper eſt in motu ſpaſtico, ſed tunc is tantum *palpitatio* dicitur, ſi is non eſt conſtans, ſed per acceſſiones invadit, et cor cum vi inſolita contra coſtas pulſat.

Acceſſiones tam gradu, quam duratione ſunt admodum variae. Subinde pulſus eſt magnus et durus, ſubinde parvus et debilis. In priori caſu adſunt plerumque vitia cordis topica. In poſteriori caſu palpitatio cordis multa utplurimum ſtipata eſt anxietate. Pulſus ſaepe eſt intermittens, atque ſi is etiam extra acceſſiones ejusmodi ſit, jure vitia organica colligi queunt, etiamſi haec ſymptomata ſine omnibus vitiis organicis et vice verſa maxima anevriſmata ſine memoratis ſymptomatibus adeſſe poſſunt. Motus cordis

nonnumquam adeſt in lipothymiis tremulus, qui vero plerumque eſt praecurſor mortis proximus.

Cauſae aut ſunt circulationem ſanguinis ſupprimentes, ita ut ſanguis in corde ſtagnet, aut irritatione ſua ſpasmum cordis producentes. In quavis cordis palpitatione interim ſpasmus adeſſe videtur, quia etiam permanentibus cauſis circulationem turbantibus ſymptoma tamen non eſt permanens.

Ad cauſas circulationem impedientes pertinent polypi atque aneurismata cordis et vaſorum magnorum, indurationes et paralyſes valvularum cordis, ſcirrhi et vomicae pulmonum, empyema et hydrops pectoris.

Inter cauſas magis per ſolum ſpasmum agentes pertinent congeſtiones ſanguinis, vermes, ſordes in primis viis, calculi renum, veſicae felleae, animi pathemata, diſpoſitio hyſterica et debilitas. Symptoma quoque nonnumquam typum ſervat, et ratione ſuae naturae inter febres pertinet intermittentes.

Morbus aut propter cauſas, aut propter ſequelas ſemper eſt periculoſus.

In priori cauſarum ſpecie ſanatio non facile locum habet. Acceſſio ipſa ſaepe aegrum in ſitum horizontalem collocando imminui poteſt.

In reliquis cauſis contendimus aut ipſas tollere, aut earum irritationem impedire, e. gr. in calculis per emollientia et demulcentia, atque in caſu neceſſi-

tatis per opium, quod eo totius ibi adhiberi poteſt, ubi ſenſibilitas nervorum tantum praeternaturalis adeſſe videtur.

Quodſi morbus typum ſervat, et ſimul ſedimentum urinae latericii coloris adeſt, ſulphur auratum antimonii et cortex peruvianus multum proſunt.

De Morbis primarum viarum.

Deglutitio difficilis.

Cauſae *deglutitionis difficilis* ſunt:

1) Inflammatio et tumor in pharynge, ubi plerumque dolor in dorſo ſentitur.

2) Spasmus et paralyſis pharyngis, quod e cauſis conſtitutionis corporis praegreſſis agnoſcendum eſt. Aegri quoque facilius ſolida quam fluida deglutire ſolent. Nonnumquam eodem tempore tumor linguae et glandularum proxime adjacentium ſimul adeſt, ut aegri neque loqui, neque deglutire poſſint. Quidam auctores hoc in caſu hunc morbum *anginam* vocant *convulſivam.*

3) Aliena corpora deglutita.

4) Dilatatio partis cujusdam pharyngis praeternaturalis. Ita oſſiculum ceraſi talem dilatationem producere et relinquere poteſt.

5) Obſtructiones glandularum pharyngis, atque indurationes oris ventriculi calloſae. Has ſuſpi-

cari licet, quum malum paulatim ſine omni cauſa manifeſta ortum eſt, remediis conſuetis pertinaciter reſiſtit, et ſimul alii tumores glandularum in corpore adſunt.

Ubi cauſa eſt paralyſis, dolor raro adeſſe ſolet, qui potius cum ſpasmo eſt conjunctus. In ſpasmo oeſophagi cibi ſolidi tantum usque ad locum ſpasmo correptum deſcendunt, et rurſus tum ejiciuntur. Dolor ſub oſſe ſterni atque inter humeros verſus latus ſiniſtrum ſimul adeſt, qui per potum calidum lenitur, per frigidum augetur.

In tumore opera eſt danda, ut is aut adſtringatur, aut abſcedatur.

Spasmus et paralyſis tractantur, ut alii morbi nervoſi, ſecundum ſuas cauſas. Talis deglutitio impedita ſaepe nihil aliud eſt, quam globus hyſtericus, qui autem non ſemper per opium ſolum cedit, ſed uſum aliorum remediorum narcoticorum requirit, et quoque per electricitatem nonnumquam tollitur.

In prolapſu pharyngis raro quidquam ſuſcipere licet; jubendum eſt aegro, ut is una vice ſemper modicum comedat, ubi tum tempus nonnumquam medetur ſymptomati.

Tumores glandularum pro natura acrimoniarum obſtruentium tractantur. Utplurimum mercurialia ad ſalivationem usque exhibita ſunt efficaciſſima. Camphora quoque tali in caſu utilem ſe praeſtitit.

Difficultas deglutitionis in hydrophobia, ut etiam deglutitio per tuſſim et vitium epiglottidis impedita non huc pertinet.

Anorexia.

Sic appellatur *defectus appetitus*, qui ſequentes agnoſcit cauſas:

1) Impuritates in primis viis.
2) Obſtructiones in abdominis viſceribus, ita ut bilis, et liquores gaſtrici qualitatem ſibi non habeant convenientem.
3) Abuſus potuum fermentatorum.
4) Abuſus potionum calidarum et relaxantium.
5) Debilitas univerſalis.
6) Facile etiam perit appetitus, quodſi cibi cum nauſea atque invite adſumuntur.

Ubi obſtructiones viſcerum abdominis adſunt, ſulphur antimonii cum rhabarbaro et quaſſia inſervit.

Potus calidi et fermentati cum aqua frigida ſunt permutandi, quae ſaepe ſola etiam appetitum reſtituit.

Cibi cum nauſea adſumpti continuo ſunt educendi, quia illi per hebdomades in ventriculo haerere, eumque corrumpere poſſunt.

Debilitas ventriculi ſola raro adeſt, ſaltem in ventriculo debili bona diaeta ſufficere poteſt. Exercitatio corporis et perſpiratio plerumque appetitum

conſervant, niſi alias obſtructiones pertinaces ſint cauſa. Saepe cauſa eſt irritabilitas hyſterica, ubi appetitum vinum atque opium reſtituere poſſunt.

Appetitus morboſus.

Appetitus rerum inſolitarum vocatur *pica* aut *malacia.* Fames praeternaturalis magna, ubi quidem cibi concoquuntur, corpus autem non in ratione adſumptorum nutritur, *fames bovina* aut *bulimia* ſalutatur. Quodſi cibi ſemper rurſus evomuntur, tunc illud *fames canina* aut *cynorexia* nuncupatur.

Morbus fere ſemper eſt ſequela vitiorum viſcerum abdominis, quibus bilis et liquores gaſtrici ſingularem acquirunt acrimoniam. Laxitas quoque peculiaris oris ventriculi dextri cauſa eſſe poteſt. Pica tantum nonnumquam a peculiari, inexplicabili autem nervorum conditione pendet, quae vero utplurimum eſt tranſitoria, atque ordinarie tantum in febribus et graviditatibus occurrit.

Infantes ſaepe ſingulari feruntur appetitu adverſus cretam, calcem aut arenam, et longe veroſimillimum eſt, hoc non ſemper eſſe conſuetudinem ineptam, ſed ſaepe per inſtinctum naturalem produci, ad acidum in primis viis contentum corrigendum, atque adeo enitendum eſſe, ut haec cauſa per medicamenta purpantia et reſolventia tollatur. Plerumque glandulae

abdominis hic ſunt induratae. Vermes quoque cauſa irritans eſſe poſſunt.

Pica crebro in morbis acutis obſervatur, nec adſeri poteſt, ſemper eam in inſtinctu praeternaturali rationem ſuam agnoſcere, ſed ea ſaepe inſtinctus maxime ſalutaris eſſe videtur. Niſi res deſideratae ita ſint comparatae, ut illae immediate nocere queant, recte agitur, quodſi illae aegris porrigantur. Multum quoque hic in eo ſitum eſt momenti, num morbus ſit in decremento aut adhuc in incremento. In poſteriori caſu quin immo res concedi poſſunt, quae ſecundum regulas conſuetas ſunt noxiae. E contrario in convaleſcentia ejusmodi cupiditates magis ex imaginationis facultate, quam ex inſtinctu phyſico naſci videntur, neque adeo generatim illis ſatisfieri licet.

In fame bovina plerumque acidum in ventriculo adeſt. Recte itaque in illa reſolventia cum abſorbentibus miſcentur. Enitimur praeterea, perſpirationem per potus attenuantes atque corporis exercitationem promovere, quo pars acrimoniae educitur.

Ardor ventriculi.

Ardor ventriculi ſemper fère ex uſu ciborum pinguium, ſtomacho exiſtente debili, naſcitur. Effectus acrimoniae rancidae optime per mixtionem acidi cremoris tartari eſſentialis cum magneſia debilitatur, quippe aër fixus in ventriculo evolutus acrimoniam

mitigat, et ſal medium inde enaſcens eandem educit. Nonnumquam opium exſerit utilitatem. Stomachum ipſum contendimus pro re nata roborare.

Cardialgia.

Dolor vehemens in ſcrobiculo cordis cum anxietatibus et reſpiratione difficili *cardialgia* vocatur.

Symptoma ſervat paroxysmos, qui raro ultra ſpatium unius horae durant. Quodſi illud eſt nimium atrox, dolores cum ſpasmis et lipothymiis alternant.

Cauſa proxima eſt ſpasmus orificii ventriculi ſiniſtri et diaphragmatis. Nonnumquam etiam muſculi abdominales ſpaſtice contrahuntur. Dolor etiam in dorſo ſaepe deprehenditur, ubi muſculus diaphragmatis minor adhaeſionem ſuam nactus eſt. Nonnumquam ſcreatio frequens ſimul adeſt.

Cardialgiae nonnumquam per vomitum et diarrhoeas, ſaepe ſine omni evacuatione ſenſibili ſolvuntur.

Cauſae ſunt:

1) Diſpoſitio hyſterica, ubi e cauſis levibus ſpasmi oriuntur vehementes.

2) Irritatio et frigefactio ventriculi per potionem frigidam, poſt exaeſtuationes, per aërem externum, per panem calidum, per nimium magnas nitri prius non ſoluti doſes.

3) Cibi et medicamenta acria.

4) Vermes et ſaburra bilioſa in primis viis.

5) Flatus, qui ſe per ventriculi inflationem et ructus protruſos manifeſtant. Is morbus germanice *Herzgeſpann* ſic dictus infantum huc pertinet.

6) Staſes ſanguinis in ventriculi vaſis a haemorrhagiis conſuetis emanentibus et ſuppreſſis.

7) Suppreſſio evacuationum aliarum naturae conſuetarum, e. gr. ſudores extremitatum.

8) Diatheſes metaſtaticae quarundam acrimoniarum, e. gr. arthriticarum et rheumaticarum.

9) Magna vitia in hepate et ventriculo, e. g. calculi, indurationes atque ulcera.

In paroxysmis ipſis ſatis habemus, ſpasmum per remedia exaeſtuantia atque emollientia ſedare. Unguentum emolliens cum laudano permixtum in ſcrobiculum cordis infrictum inſignem praeſtat utilitatem. Quodſi hoc non juvat, ventriculo veſicatorium camphoratum imponitur. Contendimus praeterea extremitates per frictionem calefacere, atque in univerſum perſpirationem promovere. Quamprimum ſpasmus eſt ſublatus, enitimur cauſas per remedia convenientia ſaepius jam indigitata tollere.

Colica.

Dolor in inteſtinis appellatur *colica.* Alias tantum dolores in inteſtinis craſſis vocabantur *dolores colici*, et dolores in inteſtinis tenuibus *dolores iliaci.* Nunc

autem intelligitur ſub paſſione iliaca, colica obſtructione pertinaci et vomitu perpetuo ſtipata. In *Poitou* colica vehemens ex abuſu vinorum acidorum fuit obſervata, et *colica pictonum* nominata. Nunc quaevis colica vehemens et pertinax, quae facile in paralyſin artuum terminatur, *colica pictonum*, vel quoque, quoniam inprimis medulla ſpinalis laborare videtur, *rachialgia* nuncupatur.

Quodſi dolor ex inflammatione inteſtinorum naſcitur, colica proprie non ſolet appellari.

In quavis colica momentum rei in eo vertitur, ut impediatur, ne ulla inflammatio oriatur, quod ubique per remedia emollientia externa; ubi plethora adeſt, per miſſionem ſanguinis; ubi obſtructio eſt, per clyſteres emollientes; atque ubi ſpasmus adeſt pertinax, per veſicatoria camphorata abdomini ſuperimpoſita conficitur. Quodſi in obſtructione pertinaci inflammatio jam adeſt, caute cum enematibus irritantibus eſt agendum. Fumus tabaci inflammationem promovere atque augere poteſt. Tutius ſaltem in caſibus dubiis tartarus emeticus, qui ſimul etiam ut reſolvens agit, aſſa foetida, atque oleum ricini, quod poſterius quoque tute per os dari poteſt, adhibentur.

Pro cauſarum diverſitate ſequentes habentur ſpecies:

1) *Colica flatulenta.* Subjecta inteſtinis valde debilibus, irritabilibus autem inſtructa ſaepius dolo-

ribus colicis ſunt expoſita, quae ſubinde propter obſtructiones pertinaces periculoſae evadere poſſunt. Quodſi noveris, nullam cauſam craſſam adeſſe poſſe, quodſi aegri alias nimium flatibus aggraventur, quodſi abdomen ſit turgidum, ſed a preſſione externa non doleat, et dolor colicus ſitum inteſtini coli ſequitur, ſuſpicari licet, collectionem atque incluſionem flatuum cauſam dolorum eſſe, qui ceterum ſymptoma uniuscujusque aliae ſpeciei colicae eſſe poſſunt.

Externe unguentum emolliens illinitur, atque abdomen ſaepius permulcetur. Praeterea opera datur, ut alvus per ſola enemata emollientia, aut ſaltem non admodum irritantia reſeretur; quod niſi ſufficiat, ſaepe epithemata et clyſteres ex aqua frigida proſunt, quibus inteſtina plus obtinent contractilitatis, et flatibus ſeſe exonerant. Deinde contendimus, ut per bonam diaetam et remedia roborantia nova productio et collectio flatuum nimia impediantur.

2) *Colica pituitoſa.* Obſervantur colicae, in quibus ſaepe mucus viſcidus ſplendens modo cum levamine, modo ſine illo, per anum egeritur, qui *pituita vitrea* appellatur.

Spasmis vehementiſſimis ſedatis atque egeſtione muci levamen adferente exhibetur per aliquod tempus rhabarbarum. Quodſi vero dejectio

non amplius allevat, adhibenda ſunt roborantia fortia atque auſtera. Alumen et terra catechu praeclaram hic habent utilitatem.

3) *Colica verminoſa.* Infantes ac adoleſcentes ſaepe excruciantur doloribus colicis a vermibus productis, et cum ejectione horum ceſſantibus. Dolor hoc in caſu eſt mutabilis atque alvus raro obſtructa. In Lapponia ſaepe colica obſervatur, quae vermibus in aqua habitantibus (*gordius*) adſcribitur.

4) *Colica bilioſa.* Frequenter naſcuntur dolores colici e ſordibus bilioſis, quin dantur colicae bilioſae epidemice graſſantes.

Proceditur hic in curatione ut in febri bilioſa, tantum quod ſtatim ab initio ratio habeatur inflammationis impediendae. Ubi proinde plethora aliqua adeſt, mittitur ſanguis, impuritates educuntur, poſt ſpasmum quodammodo ſedatum, per viam, quam natura ipſa ſibi eligere videtur. Quodſi ſaburra nondum eſt ſoluta, perficitur ejus turgeſcentia ſaepe per miſſionem ſanguinis, et per veſicatorium abdomini ſuperimpoſitum. Non facile hic rhabarbarum locum habet, aptiora ſunt cremor tartari et pulpa tamarindorum manna edulcoratum. Ubi autem quoque haec pharmaca nimium tarde vires ſuas exſerunt, potius adhibetur ſal mirabile Glauberi.

Quamprimum ſordes aliquantum ſunt ſolutae, contendimus illas per emeticum exturbare.

5) *Colica haemorrhoidalis.* Staſes et congeſtiones verſus ſyſtema venae portarum pariunt ſaepe colicas vehementes, ubi ratio e veſtigio eſt habenda fluxus haemorrhoidalis reſtituendi. Ubi periculum imminet, mittitur extemplo ſanguis in pede, ubi illud non adeſt, externe emollientia atque antiſpasmodica imponuntur, interne ſalia reſolventia exhibentur, atque hirudines ad inteſtinum rectum applicantur. Explorandum etiam eſt, num aliae adſint cauſae, per irritationem ſuam congeſtiones ſanguinis ad vaſa inteſtinorum producentes.

Huc etiam pertinet illa colicae ſpecies, quae in mulieribus e fluxu menſtruo ſuppreſſo oritur, aut etiam ſemper eo accidente praecedit. Pharmaca aperientia, ſanguinem purificantia et roborantia magni ſunt hic uſus.

6) *Colica hyſterica.* Praeter emollientia atque opium in acceſſione ipſa, nitimur deinde cauſas irritantes manifeſtas per remedia antihyſterica tollere. Ubi e. gr. animi pathemata praeceſſerunt, et bilem ſuſpicari licet, adhiberi poteſt aſſa foetida cum quodam laxante permixta.

7) *Colica ab acribus ingeſtis.* Quodſi hic cibi ſunt cauſa, conamur eos educere, ſi pharmaca acria,

propinantur demulcentia ac oleoſa. In acidis acribus commendata ſaepe fuere abſorbentia, aër fixus autem cum illis ſeſe evolvens denuo irritat, atque hic etiam melius eſt, potiones attenuantes atque obtundentes praebere. Quodſi arſenicum aut mercurius ſublimatus ſunt adſumta, utiliter adhibetur praeter potum lactis largum in initio hepar ſulphuris ſalini, quo haec venena partim decomponuntur, partim obtunduntur. Praecipue autem noſtrum eſt, ſollicitos eſſe de iis hebetandis atque educendis. Utrique ſcopo ſatisfacit oleum ricini. Quodſi vero venenum jam in ſanguinem transgreſſum fuerit, progrediendum eſt continuo ad uſum olei aniſi, quod non tantum eſt pharmacum leniens, ſed etiam diaphoreticum.

8) *Colica ſaturnina.* Vapores ſaturni deglutiti aut etiam ſaturnina interne uſurpata, vel ab inſciis adſumta producunt colicas, quae in ſua vehementia colicae pictonum non cedunt, facileque paralyſes artuum, inprimis extremitatum ſuperiorum, convulſiones, atque alia mala nervoſa poſt ſe relinquunt. Hoc in morbo oleoſa inprimis efficacia fuere reperta. Alii ſuaſerunt uſum aceti largum ad partes ſaturninas per hoc reſolvendas, evacuationique aptas reddendas, quod vero per experientiam nondum ſufficienter eſt

confirmatum. E pluribus rationibus theoreticis mercurius commendari poteſt, cujus uſus etiam per experientiam probatus eſt. Obſtructionibus hic pertinacibus exiſtentibus, magna cum utilitate oleum ricini adhibere licet. Raro morbus penitus ſanatur.

9) *Colica rheumatica.* Sic appello quandam colicae pictonum ſpeciem, doloribus atrociſſimis cum doloribus partus in mulieribus maxima ſimilitudine gaudentibus, obſtructionibusque pertinacibus ſtipatam, quae facile paralyſin extremitatum poſt ſe relinquit, in ſubjectis naſcitur, quae ad mala rheumatica ſunt proclivia, et tantum per ſudores frequentes et ſedimentum in urina judicatur. Nonnumquam eſt ea ſequela febrium remittentium male tractatarum. Balnea calida, epithemata atque enemata emollientia, medicamenta reſolventia, transpirationem ſimul promoventia, e. g. ſulphur antimonii, mercurius dulcis, et tinctura guajaci volatilis ſunt hic aptiſſima atque efficaciſſima remedia. Quodſi natura febrem excitat intermittentem, quod ſubinde contingit, cauti cum uſu corticis eſſe, et plus fiduciae in ſulphure antimonii collocare debemus, quia alias paralyſes forte remanentes facile fiunt incurabiles.

Colica ſicca aut colica Americanorum nervoſa, in qua vitriolus coeruleus efficaciter ſe praeſtitit, et colica in Japonia frequenter occurrens, ibique per uſum moxae atque acupuncturae ſanari ſolita, huc pertinere videntur.

10) *Colica pictonum* et *damnoniorum.* Obſervata in Gallia fuit colica vehemens e vino acido, ut in Anglia e muſto pomorum. Utraeque tam in vehementia, quam in curatione cum colica rheumatica conveniunt, niſi quod hic adhuc magis ratio ſit habenda humorum attenuandorum, acidique tollendi gratia abſorbentia cum remediis eſſe connectenda.

11) *Colica arthritica.* Podagra aut retropelli, aut materia, antequam in extremitatibus fuiſſet, in ventriculum atque inteſtina dejici, colicasque vehementes et pernicioſas producere poteſt, ubi vero opera eſt danda, ut materia per epiſpaſtica et diaphoretica ad extremitates educatur.

12) *Colica catarrhalis.* Ita aptiſſime appellatur illa, quae in conſtitutionibus rheumaticis, poſt vehementem excalefactionem, illique ſuccedentem ſubitam frigefactionem producitur. A rheumatica in eo diſtinguitur, quod haec non paulatim ut illa oriatur, ſed ſubito atque extemplo poſt frigefactionem invadat. Methodus hic antiphlogiſtica

giſtica cum emollientibus medicamentis eſt ſimul omnino adhibenda.

13) *Colica ab acido primarum viarum.* Dantur homines ſingulari proclivitate ad acidum praediti, quod nonnumquam tam acre eſt, ut atrociſſimas producat colicas. Hoc acidum plerumque eſt ſequela obſtructionum in viſceribus abdominis. In paroxysmis praebentur antiſpasmodica cum abſorbentibus, et deinde contendimus obſtructiones per reſolventia apta reſerare.

14) *Colica a metaſtaſi febrili.* Materia febrium intermittentium dejicitur ſubinde in inteſtina, et parit colicas. Agitur hic ut in metaſtaſibus reliquis, niſi quod ſimul praebeantur reſolventia efficacia.

15) *Colica ex obſtructione canalis inteſtinorum.* Sic e. g. faeces induratae, oſſicula fructuum horaeorum, calculi inteſtinorum et calculoſae anguſtationes, partem aliquam inteſtinorum obturare poſſunt. Huc etiam pertinet colica ex hernia incarcerata exorta. In priori caſu ſola emollientia atque evacuantia locum habent, in altero caſu molimur herniam aut mechanice, aut per epithemata e remediis emollientibus atque aqua frigida, aut per operationem reponere. Nix atque aqua frigida, ubi nulla adhuc nata eſt inflammatio, praeſtantiſſimum habent uſum.

Epithemata emollientia abdomini imponenda ſunt applicanda, ubi incarceratio ex annuli abdominis contractione ſpasmodica oritur. Ubi vero turgor inteſtinorum e tumore naſcitur inflammatorio, e veſtigio eſt operatio ſuſcipienda.

Sedulo interim prius eſt inquirendum, num etiam revera hernia incarcerata ſit cauſa colicae. Ad quod credendum adeſt cauſa, ſi dolor ſubito in annulo abdominis ortus fuerit, atque ibidem atrociſſimus ſit, et ſi hernia ante colicam reponi potuerit, quod jam fieri nequit.

Dantur caſus, ubi inteſtina in ſe invicem detruſa ſunt, atque eo ipſo obſtructionem producunt pertinacem, ubi res facile ad vomitum faecum inteſtinalium evenit. Hic morbus appellatur *volvulus*.

Quidam medicorum hic commendarunt gaſtrotomiam, ut ita inteſtina explicari poſſint. Signa autem hujus volvuli ſunt incertiora, quam ut ſecundum ea operatio tam periculoſa ſuſcipi poſſet. Cum remediis emollientibus atque antiſpasmodicis, et quamdiu nulla adeſt inflammatio, cum epithematibus frigidis contenti eſſe debemus. Dantur caſus, ubi pars inteſtini involuta ſeparatur, et per inteſtinum rectum dejicitur. Caſus interim mihi occurrit, ubi decem volvulos, quemvis eorum aliquot digito-

rum longum, atque intervallo quinque aut ſex digitorum ab invicem in inteſtinis tenuibus deprehendi, quibus in caſibus exulceratio quidem illorum naturaliter letalis eſſe debet, uti etiam aegre evolutio eorum ſpontanea poſſit ſperari.

In caſu proxime memorato lumbrici fuerunt cauſa, nec adfuit obſtructio aut vomitus. Quoniam aqua benedicta Rulandi ad ℥vj. ſpatio 24 horarum exhibita, ne minimum quidem habuit effectum, licet clyſteres alvum reſerarent. Morbus ita erat comparatus, ut vermes quidem, at non facile tam multiplicem volvulum ſuſpicari licebat. Aderat quippe quaedam Choreae S. Viti ſpecies, quae per octo dies continuos durabat, et deinde poſt ſtuporem praegreſſum cum morte claudebatur.

Volvulus itaque ſine paſſione iliaca locum habere poteſt, nec quivis volvulus cum colica eſt conjunctus. Quoque dantur caſus, ubi quodcunque inteſtinum praeternaturaliter anguſtatum eſt, aut generatim omnes glandulae abdominis intumeſcunt atque externae membranae inteſtinorum craſſatae ut ad motum periſtalticum ſunt inertes.

16) *Colica e conſenſu.* Nonnunquam cauſa colicae nequaquam in inteſtinis ipſis ſita eſt, ſed agit per conſenſum. Sic calculi in renibus et

veſicula fellea atrociſſimas colicas producere poſſunt, ubi pariter emollientia, antiphlogiſtica atque antiſpasmodica locum habent.

Nauſea et Vomitus.

Utraque ſymptomata nonniſi gradu a ſe invicem differunt, ſemperque e motu ventriculi inteſtinorumque periſtaltico praeternaturali naſcuntur.

Eſt aliquis morbus, qui *ruminatio* vocatur, qui vero ſpecies quaedam vomitus eſſe videtur. Aegrum videre mihi contigit, qui continuo, quamprimum aliquid adſumſiſſet, adſumptum rurſus eructabat, quod tum aut evomebat, aut rurſus deglutire poterat, quod poſterius quidem ille nutriendi ſui gratia facere cogebatur. Cauſa erant lumbrici, aegerque ſanitati fuit reſtitutus.

Motus periſtalticus inverſus oritur:

1) Ex inflammatione ventriculi partiumque illi adjacentium, ubi vero vomitus tantum pro ſymptomate habendus.

2) Ex erroribus diaetae.

3) Ex humorum collectione in ventriculo per refrigerium.

4) E congeſtionibus ſanguinis verſus ventriculum, quae plerumque ſequela ejusdem percurſus per lienem atque hepar impediti ſunt.

5) E debilitate hyſterica.

6) Ex obſtructionibus viſcerum abdominis, quae in initio mane vomituritionem, denique quoque vomitum ciborum adſumtorum parit.

7) Ex ulceribus et vitiis pharyngis.

8) E vermibus.

9) E metaſtaſi. Sic arthritis et rheumatismus vomitum producere poſſunt. Vomitus quoque ſubinde ante acceſſiones podagricas praecurrit.

10) Per conſenſum e capitis laeſionibus, atque in renum morbis.

11) In ſecundo graviditatis menſe.

Quamdiu humores inutiles egeruntur, vomitus raro eſt noxius, niſi hi humores per irritationem demum colligantur, atque hoc in caſu ſane vomitus per ſublationem irritationis eſſet tollendus. Quodſi vero nihil evomitur praeternaturalis, ſemper fere vomitus eſt ſedandus, ne vires nimium exhauriantur, congeſtionesque inflammatoriae producantur.

Conamur hoc in caſu primum alvum per clyſteres emollientes ſolvere, imperamusque unguenta emollientia atque antiſpasmodica in cordis ſcrobiculum inungi. Quum plerumque in vomitu vehementi extremitates quoque ſint frigidiuſculae, illae vino calido fricantur. Generatim opera datur, ut aeger in tranſpirationem collocetur, quod optime et tutiſſime per balnea calida fieri poteſt.

Ubi plethora adeſt, inflammatioque ventriculi eſt extimeſcenda, mittitur ſanguis, aut ratio habetur haemorrhagiarum ſuppreſſarum reſtituendarum, atque emplaſtrum veſicatorium camphoratum ventriculo imponitur.

Inſervit etiam vomitui ſedando aër fixus, aut quod perinde eſt potio Riverii.

Quodſi nulla inflammatio eſt extimeſcenda, vomitus tamen non remittit, interne quoque aromatica ac opiata exhiberi poſſunt.

Vomitu ſedato enitimur cauſas irritantes caute tollere.

Vomitus in gravidis plerumque eſt utiliſſimus, vomitus e contrario in vulneribus capitis ſymptomaticus longe periculoſiſſimus.

Ubi renes laborant, plerumque ſecretio urinae eſt ſuppreſſa. Remedia lenia diuretica e. g. ſalia alcalina ſaepe ad liberationem ventriculi conferre poſſunt.

Diarrhoea.

Egeſtio alvina frequens, tenuis, quae ſemper fere aliquo ventris dolore et tenesmo eſt ſtipata, ubi quidem excrementa minime naturalem ſuam indolem habent, ſed neque tamen a natura ſua conſueta in ſolidum recedunt, atque ubi aut nulla adeſt febris, aut ſaltem tantum ſymptomatica, vocatur *diarrhoea.*

Diarrhoea ex iisdem cauſis naſci poteſt, quae alias vomitum parere queunt. Praeterea adhuc animi pathemata huc pertinent. Ita facile diarrhoea e pavore et metu oritur, quae vero eſt tranſitoria; triſtitia diarrhoeis pertinacibus anſam praebere poteſt. Dantur etiam diarrhoeae epidemicae, quae plerumque e bilis corruptione naſcuntur. Diarrhoea propter nimiam inteſtinorum relaxationem habitualis fieri poteſt. Et poſtremo diarrhoea e ſuppuratione et reſolutione inteſtinorum putrilaginoſa oriri poteſt. Diarrhoea in infantibus e dentitione occurrens jam ſuperius in ſectione de dentitione eſt indicata.

Ut vomitus et diarrhoea in ſuis cauſis maxime conveniunt, ita eandem etiam fere requirunt curationem, in qua eo diligentiores eſſe debemus, quoniam per diarrhoeas totus nutritionis ſcopus redditur irritus, facileque ex ea cachexiae et tabes oriri poſſunt.

Momentum rei in quavis diarrhoea in eo vertitur, primo ut cauſae irritantes e medio tollantur, et ſecundo ut inteſtinis nimia eorum debilitas et ſenſibilitas adimatur, quae duae res in curatione, quantum fieri poteſt, connectendae ſunt.

Quodſi ſordes folioſae ſint cauſa, laxantia antiphlogiſtica, inprimis pulpa tamarindorum, in auxilium ſunt vocanda.

Quodſi hae maxima ex parte ſunt evacuatae, aut ſaburra muci magis adeſt, rhabarbarum exhibetur,

quod, ubi ſigna acidi adſunt, cum abſorbentibus, ubi vero multae tenſiones ſpaſticae ſimul adſunt, cum tantillo opii miſceri poteſt. Quodſi vero magna inteſtinorum irritabilitas ſimul adeſt, remiſcetur gummi arabico, ſalab aut muſco islandico.

Quodſi ſaburra ad turgeſcentiam cogi poſſit, eximie juvat emeticum, quoniam eo ſimul motus periſtalticus aliam recipit directionem.

Quodſi diarrhoeae e ſanguinis congeſtionibus naſcantur, uti hoc ſaepius in haemorrhagiis ſuppreſſis obtinet, accurate proceditur, ut ſuperius in ſectione de fluxu menſtruo retento et ſuppreſſo doctum eſt.

Ubi triſtitia eſt cauſa, plerumque circulatio ſanguinis et ſecretiones ſunt ſuppreſſae, quare hic recreatio animi ac exercitatio corporis ſummam curationis abſolvunt. Inprimis enitendum eſt, ut transpiratio promoveatur, quod, ubi nullae amplius adſunt cauſae craſſae, optime theriaca Andromachi perfici poteſt.

Nulla generatim diarrhoea eſt obſtruenda, quamdiu aliquid praeternaturalis egeritur, de quo ſuſpicari licet, non illud in praeſentia eſſe productum. Hic etiam tamen conditionis virium atque irritabilitatis inteſtinorum ratio eſt habenda. Quodſi illae ſint debiles, haec vero inſignis, mox aliquid caſcarillae in auxilium adhibere licet, quem in finem etiam Simarouba nonnumquam eſt proficua.

Acrimonia, per evacuationem primarum viarum non educenda, per veſicatoria, reſolventia, potioneſque diluentes diaphoreticas eſt tollenda. Ut remedium reſolvens parvae ipecacuanhae cum opio permixtae doſes ſaepe praeſtantis ſunt utilitatis. Quodſi debilitas atque irritabilitas eſt nimia, adſtringentia fortiora, uti lignum capechenſe, terra catechu, atque alumen, in auxilium adhibentur.

Ubi pus per diarrhoeas evacuatur, ſaepe utile eſſe poteſt, quodſi illae cum demulcentibus ſuſtentantur. Quodſi vero ulcus non ſimplici vice evacuatur, tabes ſequitur, quae neque ibi emanet, ubi inteſtina ſunt corrupta.

In cauſis reliquis proceditur, ut prius in vomitu dictum eſt.

Fluxus coeliacus.

Quodſi per alvi dejectiones nullae faeces verae, ſed cibi quidem reſoluti, bile autem non permixti evacuantur, morbus *fluxus coeliacus* nuncupatur.

Creditum alias fuit, ad fluxum coeliacum ſemper dejectionem chymi eſſe neceſſariam, qui autem caſus rariſſime locum habet, licet obſervationes recentiores poſſibilitatem ejus evincere videantur, quod per motum vaſorum lacteorum antiperiſtalticum chymus egeri poſſit.

Cauſae hujus dejectionis chymi ſunt plerumque defectus aut qnalitas bilis vitioſa, atque adeo obſtructiones in hepate, porro obſtructiones pancreatis et vaſorum lacteorum, ac denique nimia inteſtinorum irritabilitas. Aut rhabarbarina cum adſtringentibus aromaticis proſunt, aut morbus tum plerumque eſt inſanabilis.

Lienteria.

Quodſi cibi penitus ſine omni mutatione dejiciuntur, morbus eſt *lienteria.*

Cauſae pariter plerumque ſunt aut hepatis obſtructiones, bilisque vitioſa, aut nimia inteſtinorum irritabilitas.

In priori caſu rhabarbarina inſerviunt, in poſteriori nutrientia et roborantia. Ubi bilis adeſt ſufficiens, inteſtinis vero mucus deeſt, aegri tantum cibos demulcentes adſumere jubentur. Ubi autem bilis deeſt, amara praebentur, quorum praecipua ſunt quaſſia et lignum campechenſe.

Fluxus hepaticus.

Dejectio fluidi rubicundo colore tincti ſic appellatur.

A diarrhoea conſueta hic morbus in eo diſtinguitur, quod raro aut numqnam cum eo dolor abdominis et teneſmus adſint, dejectionesque non frequen-

ter, ſed ad ſummum ter aut quater per diem contingant; a dyſenteria per curſum ſuum chronicum et febris abſentiam; atque a fluxibus haemorrhoidalibus in eo, quod fluidum ſit homogeneum et tantum leviter rubro colore tinctum.

Aegri tempore obtinent ſpeciem pallidam cachecticam, moriunturque tum tabe.

Fons humoris effluentis non ſemper eſt hepar, ſed etiam ſaepe et plerumque in vaſis meſentericis.

Cauſae hujus rei ſunt aut eroſiones et reſolutiones, aut etiam relaxationes in extremitatibus vaſorum hepatis atque inteſtinorum. Et ſanguis eo facilius in his circumſtantiis penetrat, quo magis circulatio ejus per congeſtiones eſt turbata.

Morbus eſt difficillimus ad ſanandum, inprimis ſi is jam aliquantum radices egerit. Laxantia debilitant, nec juvant. Miſſiones ſanguinis propter cachexiam rariſſime locum habent. Temperantia pariter ſunt inepta, quum aegri magis ſint frigiduli, quam calidi, pulſumque habeant parvum. Quodſi evacuationes coërcentur, plerumque anxietates oriuntur, aliaque ſymptomata adhuc pejora. Omnia, quae ſuſcipi queunt, ſunt, ut congeſtiones ſanguinis impediamus, quod per emollientia atque antiſpasmodica, et per hirudines atque ſcarificationes moliri debemus.

Morbus niger.

Morbus quoque *fluxus ſpleneticus* ſalutatur, quia fuit creditum, humores hoc in morbo dejectos nigros et foetidos ſemper e liene venire. Sed ſaepe eſt tantum ſordium bilioſarum dejectio, ubi bilis per actionem ſyſtematis nervoſi peculiarem atrum adſumſit colorem.

Plerumque etiam tales per vomitum egeruntur ſordes nigrae, atque hinc morbus pro ſpecie quadam cholerae haberi poſſet. Diſtinguitur autem ab ea in eo, quod is non uti cholera epidemice, atque in corporibus cholericis, ſed tantum ſporadice atque in temperamentis melancholicis, atque per animi pathemata lenta adfectis occurrit.

Nonnumquam materia egeſta revera ſanguis corruptus eſſe videtur, quod e ſequentibus rationibus redditur veroſimile: 1) Morbus nonnumquam poſt haemorrhagias in primis viis conſequitur. 2) Subinde oritur in habitu humorum ſcorbutico. 3) Nonnumquam contingit, ut uno eodemque tempore excrementa conſueta cum hac dejectione atra alternent. 4) Saepe verus etiam prodit ſanguis.

Morbus hoc in caſu eſt indolis acutae, et habet dies criticos.

Id proinde in curatione eſt conſiderandum, utrum morbus ſimilitudine cum dyſenteria gaudeat, aut

utrum e reſolutione ſanguinis ſcorbutica, aut e viſcido et ſtagnante muco bilioſo ortus fuerit, aut denique ſequela congeſtionum ſit haemorrhoidalium.

Nullo in caſu excretio immediate eſt tollenda. Ubi morbus eſt indolis acutae, proceditur ut in dyſenteria. Ubi qualitas humorum adeſt ſcorbutica, acidum vitrioli juvat, atque in bile atra pulpa tamarindorum cum rhabarbaro et tartaro tartariſato. Ubi vires deficiunt, membra vino fricantur, aegri ſerum lactis vinoſum bibere jubentur, et ſenſim ſenſimque roborantia amara exhibentur, quem in finem Simarouba ſaepe maximam praeſtitit utilitatem.

De viarum urinariarum Morbis.

Dolores e calculis.

Collectio arenae concrementorumque calculoſorum in omnibus corporis viſceribus locum habere poteſt; ea autem praecipue oritur in veſicula fellea, in renibus et veſica urinaria. Hic tantum de doloribus e calculis in viis urinariis nobis eſt ſermo.

Tres inprimis caſus diſtinguendi veniunt:

1) *Arena.* In hominibus aetate provectis cum conſtitutionibus rheumaticis atque arthriticis ſaepe excretio arenae albido-rubicundae obſervatur, quae non tantum miſſionem urinae difficilem

reddit, atque ſupprimit, ſed etiam irritatione ſua colicas, vomitum alioſque ſpasmos efficere poteſt. Obſervationes feruntur, hanc arenam numquam adeſſe, ubi veri adſunt calculi, et vice verſa nullos calculos eſſe extimeſcendos, ubi haec arena invenitur. Haec arena quoque non in renibus, ſed demum in ureteribus atque in veſica urinaria progenerari dicitur.

2) *Calculus renalis.* Praeſentia calculi renalis colligitur e preſſione et dolore in regione lumbari, quo facile inflammationes in renibus, et motus ſpaſtici per conſenſum producuntur. Stupor extremitatis inferioris lateris adfecti, et retractio teſticuli in eodem latere ſimul obſervantur. Haec ſane ſigna per ſe ſunt aliquantum ambigua, ſed certiores hac in re reddimur, ſi ſimul aliae horum ſymptomatum cauſae detegi non poſſunt.

Quodſi calculus renalis non eſt nimium magnus, ſaepe in ureteres, atque inde in veſicam urinariam depellitur. Hoc in tranſitu plus minusve vehementes dolores, ſpasmi, horror, vomitus, convulſiones oriuntur.

Quodſi calculi renales in veſica urinaria diu commorantur, atque urina multas particulas arenoſas in ſe continet, per hoc calculus fit renalis, ut hae particulae arenoſae in eo ſubſident, calculus veſicae urinariae.

3) *Calculus veſicae urinariae.* Hic pariter ſpasmi naſcuntur, et difficultas in mingendo, ubi mictus ſaepe repentiſſime interrumpitur, atque iterum eo levatur, ſi aegri pronos ſe flectunt, pedesque divaricant; plerumque quoque ſedimentum muci in urina adeſt, quod a pure in eo discernitur, quod hoc non, quemadmodum illud, aquam albo colore tingat. Viri irritationem et pruritum in glande penis, et mulieres in urethra, gravitatemque in perinaeo ſentiunt. Per catheterem tantum autem certiores fieri poſſumus, utrum calculus adſit, nec ne.

De cauſis calculi atque arenae non multum certi dicere licet. Diſpoſitio ad hoc ſemper requiritur peculiaris, ſine qua aliae cauſae numquam calculum producunt. Ubi autem diſpoſitio adeſt, vina acida, uſus caſei frequens, vita exiſtente ſedentaria omnino calculi ortum promovent; hinc etiam frequentius in Helvetia et Gallia, quam in Germania obſervatur. Facile quoque calculus generatur, ubi forte corpora aliena in veſicam ſunt delata, cui materia terrea in urina contenta facile adhaereſcere poteſt.

Ceterum materia calculi renalis et veſicae urinariae ejusdem natura a materia arthritidis et calculorum bilis eſt diverſa. Calculi veſiculae felleae multum materiae inflammabilis in ſe continent. Calculi veſicae urinariae magis indolis terreo-calcareae ſunt.

Materies arthritica eſt alba, mollis, aequalis et facile reſolvi poteſt, calculi veſicae urinariae plerumque lamelloſa quin immo ſubinde cryſtalliſata forma gaudent.

In curatione duo reſpiciuntur fines; primo, ut irritatio ab arena et calculis producta tollatur, et ſecundo ut calculus ipſe e corpore eliminetur.

Licet arena et calculus immediata irritationis cauſa ſunt, aegri tamen ſaepe quiete fruuntur, et ſymptomata ſaepiſſime per alias cauſas excitantur, e. gr. per vermes atque impuritates in primis viis, per animi pathemata, praecipue per iram, per congeſtiones ſanguinis, in haemorrhagiis ſuppreſſis et conſuetis.

Quum ex irritatione facile naſci queant inflammationes, inquirendum primum eſt, num adſit plethora, atque utrum haemorrhagiae impeditae et ſuppreſſae ſint, an minus. Hoc in caſu inſerviunt pro re nata miſſio ſanguinis, evacuationes locales per hirudines aut ſcarificationes.

Hac plethora ſublata, aut ea nulla praeſente, adhibentur externe epithemata emollientia, atque interne propinantur antiſpasmodica cum demulcentibus. Simul inveſtigatur, num aliud irritamentum, e. g. ſaburra bilioſa adſit, quam contendimus per evacuationes lenes educere.

Quodſi dolores diu durant, nec adeſt inflammatio, plurimum per uſum aëris fixi efficere licet, quo

dolores

dolores ſaepe et mox ſedantur, inprimis ſi adeſt mucus, qui ſtagnatione ſua ex parte irritationem produxit. Vid. *Aër fixus.*

Secunda curationis pars reſpicit ad eductionem atque arenae et calculorum ſublationem.

Ubi tantum adeſt arena, multum emolumenti a remediis lenibus diureticis, diaeta exiſtente bona, exercitatione corporis ſufficienti, perſpirationeque promota expectare licet; ubi inſimul materiae rheumaticae atque arthriticae forte in corpore haerentis ratio eſt habenda. Inſerviunt proinde gummi guajaci, ſulphur antimonii, ſuccus herbarum antiſcorbuticarum recentium et remedia mercurialia. Inter diuretica pertinent uva urſi, baccae et lignum juniperi, licet hic ſemper in eo momentum rei vertatur, ut exitus arenularum per diuretica lenia promoveatur, quem in finem adeo quodvis diureticum valet, taliaque elegi poſſunt, quae aegro minimum irritationis faciunt, et tamen mictionem promovent. Hanc arenam materia febris intermittentis in corpore deliteſcens quoque parere poteſt, ubi tum cortex chinae atque aër fixus inſignem praeſtant utilitatem.

Calculos ipſos reſolvere, ſemper adhuc eſt inter artis deſiderata. Venditantur quidem felices obſervationes cum ſapone, aqua calcis vivae, teſtis ovorum combuſtis, aëre fixo, thermis carolinenſibus, uva urſi aliisque medicamentis. Vel autem nullus adfuit

calculus verus, ſed tantum arenulae, aut pharmaca tantum per aliquod tempus profuere, aut ea etiam per uſum nimis crebrum nocuere. Nihil itaque, quam operatio ſola remanet, quae vero etiam ipſa tantum in calculis veſicae locum habet, quamquam non deſint caſus, quod in calculo renum tumor extrinſecus increverit, e cujus apertura calculus eximi potuit.

Mictio impedita.

Tres hujus mali ſpecies diſtinguuntur, maximam partem gradu inter ſe diſcrepantes:

1) *Dyſuria.* Quodſi urina non facile exonerari poteſt, nullae tamen amplius moleſtiae notabiles inde oriuntur, illud *dyſuria* vocatur.

2) *Stranguria.* Quodſi urina tantum per ſtillicidium, et cum dolore emittitur, tunc *ſtranguria* ſalutatur.

3) *Iſchuria.* Hic adſunt conatus mingendi acerbiſſimis doloribus ſtipati, nec tamen minimum urinae emittitur, ubi ſimul veſica turgeſcit, ſenſum gravitatis in abdomine, et ſaepe tumorem in oſſibus pubis producit.

Cauſae aut in viis ipſis urinariis continentur, aut per conſenſum agunt. Praecipuae earum ſunt:

1) Inflammatio renum, ureterum, veſicae atque urethrae.

2) Congeſtiones ſanguinis ex haemorrhagiis ſuppreſſis et conſuetis.

3) Calculi renales et veſicae.

4) Collectio muci, cui aut irritatio calculorum anſam praebet, aut quoque per diſpoſitionem peculiarem, non ſecus ut in colica pituitoſa, producitur.

5) Spasmi aut e cauſis parvis, debilitate hyſterica praeſenti, aut etiam e vermibus, ſordibus in primis viis acribus, arenulis et calculis producti, eo facilius emiſſionem urinae ſupprimentes, ſi jam vitia topica in renibus adſint.

6) Intumeſcentia veſicularum ſeminalium, ulcera, indurationes atque excreſcentiae carnoſae in viis urinariis atque in proſtata, quae omnia ſequelae gonorrhoearum perperam tractatarum eſſe poſſunt. Tumor veſicularum ſeminalium et proſtatae ſaepe producitur, quum ſemen, ejaculandum, per ſpasmum retinetur.

7) Diuretica fortiora, uſus e. gr. cantharidum incautus.

8) Potulenta aut minus recte fermentata, aut adhuc in fermentatione comprehenſa.

9) Relaxatio et debilitas veſicae urinariae.

10) Preſſio uteri in veſicam tempore graviditatis.

In inflammationibus methodus antiphlogiſtica prorſus obſervatur. Congeſtiones ſanguinis contendi-

mus per miſſionem ſanguinis, per reſtitutionem haemorrhagiarum ſolitarum et per emollientia atque antiphlogiſtica tollere.

Ubi mucus adeſt, inquiritur, utrum is a calculis producatur, an vero e diſpoſitione gignatur peculiari. In priori caſu inſervit aër fixus, in poſteriori pharmaca roborantia atque adſtringentia.

In ſpasmis ad irritationis cauſas reſpicitur, et ſimul emollientia atque antiſpasmodica adhibentur.

Ubi tumor veſicularum ſeminalium et proſtatae cauſa eſt, (quod colligitur, ſi aeger dives ſit ſeminis, atque ejaculatio ejusdem difficillime procedat, atque acceſſio poſt exonerationes pollutionesque ſuppreſſas conſequatur), quaevis irritatio aegro adverſus ſexum ſequiorem eſt evitanda, diaetaque tenuis ſervanda. Ad ſemen adunatum evacuandum, propinantur diuretica et demulcentia. Extra paroxysmos ad congeſtiones humorum verſus partes genitales imminuendas, utiliter camphora adhiberi poteſt, uti etiam ab altera parte roborationis partium ſolidarum, ſanationisque ulcerum aut relaxationum ratio eſt habenda.

In ulceribus, indurationibus et carnoſitatibus, raro aut numquam alia ratione, quam mechanice, hoc eſt, per candelas opitulari licet. In caſibus etiam ipſis, ubi malum e cauſis venereis originem ducit, nihil mercurialia juvant.

Ubi cantharides ſunt cauſa, camphora in emulſionibus exhibita vires exſerit ſpecificas. Adhibentur praeterea, uti, ubi potus fermentati ſunt cauſa, externe emollientia, atque interne demulcentia.

Ubi debilitas veſicae adeſt, inquirendum eſt, utrum haec debilitas e vitio ſyſtematis nervoſi univerſali oriatur, an vero ſit tantum localis, atque e retentione urinae forte nimium diuturna orta. In priori caſu ſaepe per roborantia et diuretica ſuccurrere licet; in poſteriori natura ipſa opitulatur, aut morbus manet inſanabilis.

In graviditatibus ſaepe obliquitas uteri eſt cauſa, ubi opera danda, ut ea ſecundum artis obſtetriciae leges tollatur.

Quodſi adeſt iſchuria perfecta, nec catheter applicari poteſt, periculumque imminet, paracenteſis veſicae eſt refugium.

4) Vitium in renibus adeſſe poteſt, quo ſecretio urinae tota ſupprimitur, nec ullum adeſt molimen urinam mittendi, atque adeo nullus dolor nullaque ſigna collectionis urinae in veſicula adſunt. Hoc in caſu tumores oedematoſi facile naſcuntur, morbusque raro eſt ſanabilis, quia renes plerumque ſunt deſtructi. Ea iſchuria renalis vocatur. Similes ſequelas vitia atque obſtructiones ureterum exhibent.

5) In miſſione urinae ſic ſatis commoda quoque collectio urinae praeternaturalis in veſica, extenſioque ejusdem oriri, iſchuriamque ut ſequelam poſt ſe trahere poteſt. Hic ſentitur tumor in abdomine, et veriſimiliter veſica fit ſcirrhoſa atque inſenſibilis, propterea etiam nullus adeſt dolor. Curatio hic tantum palliativa per catheterem habet locum.

Mictus cruentus.

Quodſi cum urina ſanguis exoneratur, morbus vocatur *mictus cruentus.* Solum ſanguinis ſtillicidium ex urethra e congeſtionibus haemorrhoidalibus oriri poteſt, quod tum *haemorrhois penis* ſalutatur. In gonorrhoea venerea, evacuationeque ſeminis nimia ſanguis quoque prodire poteſt, quod pariter mictus cruentus non vocatur.

Ceterum plerumque hic morbus dyſuria eſt ſtipatus, ex iisdem naſcitur cauſis, ſimilique tractatur ratione.

Incontinentia urinae.

Impotentia urinam apud ſe retinendi ita vocatur.

Cauſa illius aut in veſica ipſa, aut in ejusdem ſphinctere eſt ſita.

Veſica nimium irritabilis eſſe poteſt, quodſi ea eſt inflammata, aut nimia ciborum acrium copia, reme-

diaque diuretica ſunt adſumpta. Ea etiam, ut in graviditatibus, tantopere premi poteſt, ut ſphincter reſiſtere nequeat.

Sphincter ipſe debilitatus atque paralyticus eſſe poteſt, aut e cauſis univerſalibus, aut e mora calculi diuturna, cicatriceque poſt lithotomiam nimium calloſa, a retentioneque urinae nimium diuturna.

Ubi irritabilitas veſicae eſt nimia, emollientia et demulcentia adhibentur. In debilitate cum roborantibus, adſtringentibus et diureticis periculum facere licet, quae aut cito aut numquam juvant.

Diabetes.

Quodſi praeternaturaliter magna urinae copia exoneratur, atque ex ea tabes naſcitur, morbus *diabetes* nuncupatur, qui ceterum longe rariſſime occurrit.

Dantur caſus, ubi urina quidem non nimium copioſa emingitur, ſed qualitatis eſt praeternaturalis; ita e. gr. potulenta adſumpta nonnumquam ſine mutatione dejiciuntur. Auctores hunc morbum *diabetem ſpurium* appellare ſolent.

Quaedam *diabetis chyloſi* ſpecies quoque datur, ubi nimirum chylus per vaſa lymphatica immediate in veſicam defertur. Plerumque urina eſt odoris et ſaporis expers, in calore minime coagulatur, atque adeo non eſt lympha, ex illa autem omnino ſubſtantia ſaccharata ſecerni poteſt, et per fermentationem

illa ſit acida; eſt ea proinde veroſimiliter productum chyli proximum, et ſequela vis aſſimilationis deficientis. Utplurimum obſtructiones pertinaces, atque ulcera clauſa, debilitas cutis et ſyſtematis lymphatici, et generatim omnes cauſae morborum tabidorum, hic etiam ſunt cauſa.

Agitur proinde ſecundum indicationes diverſas, eodem plane pacto, ut ſuperius in morbis tabidis eſt dictum. Ratio medendi autem utplurimum eſt irrita, quoniam conſtitui nequit, utrum vitium in inſtrumentis urinae ſecretoriis, an vero in prava qualitate univerſi ſyſtematis lymphatici conſiſtat, quod poſterius interim veroſimillimum eſſe videtur, quia ſaepe multo major copia urinae exoneratur, quam fluida adſumpta fuere, quare reſorptio cutanea nimium magna eſſe debuit. In priori caſu interim cortex chinae et balnea frigida, ut in poſteriori tinctura cantharidum, ad relaxationem vaſorum tollendam, proficua eſſe poſſunt.

De Morbis partium genitalium.

Gonorrhoea benigna et fluor albus.

Effluxus ſeminis aut muci ex urethra non e cauſis venereis ortus appellatur *gonorrhoea benigna.* Quodſi effluxus non per ſtillicidium, ſed ſimul et ſemel contingit, *pollutio* ſalutatur.

In ſexu ſequiori hic morbus *leucorrhoea* ſeu *fluor albus* appellatur.

Ubi humor per ſtillicidium egeritur, potius mucum dilutum, quam ſemen ſuſpicari licet; uti in mulieribus mucus plerumque tantum e glandulis vaginae egreditur, etiamſi non deſint caſus, ubi mucus ex utero veniat, qui hoc in caſu plerumque eſt ſcirrhoſus.

Effluxus nonnumquam eſt acris, flavus et pureformis, nec eſt productum ſuppurationis aut acrimoniae venereae, quod e circumſtantiis praegreſſis dijudicari poteſt.

Quoque nonnumquam talis humor inter glandem penis et praeputium ſe prodit, qui pariter non venereae eſt originis.

Effluxus hujusmodi eſt ſequela congeſtionum vehementium verſus partes genitales, et debilitatis ſingularis. Acrimonia rheumatica ſaepe quoque eſt ejusdem cauſa.

In priori caſu temperantia tam phyſica, quam moralia juvant, atque in poſteriori balnea frigida et roborantia auſtera, cum diaeta accurata nec nimium nutrienti. Congeſtionibus e glandulis obſtructis ortis reſolventia exhibentur efficacia, e. gr. ſulphur antimonii, gummi ammoniacum, et guajacum et ſimilia.

In viris ejaculatio ſeminis per easdem cauſas impediri poteſt, quae dejectionem urinae morantur, ubique proinde idem ſuſcipitur.

Satyriaſis et Priapismus.

Erectio penis praeternaturalis cum voluptatis ſenſu vocatur *ſatyriaſis*, ubi vero ſenſatio voluptuoſa abeſt, aut potius dolor adeſt, *priapismus* nuncupatur.

Datur priapismus periculoſiſſimus indolis acutae, aegros plerumque intra ſeptem dies trucidans, apud nos autem quam rariſſime occurrens.

Cauſae ſatyriaſeos et priapismi apud nos occurrentis ſunt conſuetiſſimae:

1) Urina acris noctu, aut ex aliis cauſis adunata.
2) Calculi renales et veſicae per irritationem agentes.
3) Senſibilitas ſyſtematis nervoſi ſingularis. Hic morbus ita ſaepe in melancholicis, et tanquam ſymptoma hydrophobiae obſervatur.
4) Acrimonia humorum peculiaris. In ſcorbuto et ſcabie vehementi hic caſus non eſt inſolitus.
5) Inflammatio in urethra, uti hoc e. gr. in gonorrhoea venerea ſaepe obtinet.

Nitimur has cauſas ſecundum regulas ſaepius jam indicatas tollere.

Camphora hic nonnumquam vires exſerit ſpecificas.

Nymphomania.

Salacitas mulierum ſingularis, quae, niſi illi ſatisfiat, in deliria et convulſiones degenerare poteſt,

vocatur *nymphomania*, *metromania* ſeu *furor uterinus*.

Semper hic cauſa eſt aut congeſtio ſanguinis verſus partes genitales vehemens, aut acrimonia humorum ſingularis, aut ſenſibilitas ſyſtematis nervoſi peculiaris, cui modo jam indicato, et pro re nata eſt occurrendum.

Quodſi partes genitales ſunt turgidae, cataplasmata e daucis raſis atque aqua frigida proſunt.

Hic etiam camphora aut per ſe, aut cum refrigerantibus, aliisque pharmacis neceſſariis utiliter miſceri atque adhiberi poteſt.

Excreſcentiae uterinae.

Auctores excreſcentias uterinas *in molam* et *polypum* diſtinguunt. Mola cum utero per vaſa eſt connexa, atque aut e humoribus extravaſatis, aut ex ovulis intereuntibus formari poteſt, quo in poſteriori caſu illae conceptus ſpurii vocantur, cujusmodi, ſecundum obſervationes, etiam in virginibus ipſis locum habere poſſunt. Polypus cum utero unam eandemque ſubſtantiam conſtituere, et tantum productio illius eſſe dicitur.

Molae ſic ſatis frequenter occurrunt, et ſaepe haemorrhagias pertinaces et vehementes excitant. Haud raro etiam ſpeciebus partus dolorum anſam praebent, per quos illae quoque ſaepe extruduntur.

Ubi natura hoc non efficit, auxilium chirurgicum ſubvenire debet, ſi eas alioquin attingere licet.

Uterus ſcirrhoſus.

Uterus ſcirrhoſus ſaepe eſt fluoris albi benigni, haemorrhagiae diuturnae cauſa, et plerumque ſpasmis univerſalibus eſt ſtipatus.

Quodſi morbus faſtigium quoddam attigit, curatio fieri nequit, atque aut ulcera cancroſa aut tabes oriuntur.

In morbi initio, quod vero rariſſime obſervatur, nonnumquam per cicutam et mercurialia aliquid efficere licet, quoniam is ſemper fere tantum ex acrimonia venerea et ſcrophuloſa naſcitur.

Spasmi hoc in morbo occurrentes cum malo hyſterico facile permutari queunt, a quo vero illi, tam quoad cauſas, quam quoad curationem plurimum differunt, ut etiam generatim non veroſimile videtur, hos ſpasmos rationem ſufficientem tantum in uteri vitio habere.

De gravidarum Morbis.

Symptomata ſyſtematis nervoſi.

Syſtema nervoſum ſaepe primo graviditatis menſe ratione peculiari invaditur. Oritur nimirum nauſea et vomitus ſine omni errore diaetetico, et ſine omni

occaſione ac cauſa manifeſta. His ſubinde dolores ventris, capitis et dentium adſociantur. Et poſtremo appetitus omnino ſingularis rerum inſolitarum obſervatur.

In omnia haec ſymptomata ars ſe immiſcere non debet, quia illa facile et ſine detrimento tranſeunt, nec facile tolli queunt. Vomitus ſaepe eſt maxime ſalutaris, viſcera purgat, et puerperium facile promittit. Dolores ſunt tranſeuntes, atque opium hic maxime noxium foret. Appetitui nitimur, quantum fieri poteſt, ſatisfacere. Ubi vero nec hoc contingere poteſt, ſequelae admodum noxiae non ſunt extimeſcendae.

Plethora.

Quoniam fluxus menſtruus cum initio graviditatis ceſſat, neque tamen omnis ſanguis, alias effluens, in nutritionem infantis converti queat, plethora plerumque menſe ſecundo aut tertio comparet, ubi natura ſaepe per haemorrhagiam narium ſibi opitulatur, nonnumquam autem etiam dolores capitis vehementes et congeſtiones in alias partes producuntur. Ubi hoc obſervatur, ad miſſionem ſanguinis progredimur, poſthabita regula practica: in medio demum graviditatis tempore ſanguinem eſſe mittendum. Miſſiones ſanguinis tamen in pede libenter evitamus, libentiusque in brachio adminiſtramus. Contendimus etiam arti-

culum temporis obſervare, quo alias fluxus menſtruus adeſſe ſolebat, praeſertim ſi abortus ſit extimeſcendus. Niſi interim congeſtiones ſunt magnae, et gravida eſt primipara, aut jam ſaepius feliciter peperit, opera eſt danda, ut cum temperantibus atque antiſpasmodicis contenti eſſe poſſimus, neque vires inutiliter debilitemus. Natura fluxum menſtruum non ſupprimeret, quodſi ſanguine tam facile carere poſſet.

Quodſi vero jam abortus praegreſſi fuerint, gravida miſſionis ſanguinis ſit admodum adſueta, congeſtiones verſus pectus propter conſtitutionem aegrotae debilem aliquantum ſint extimeſcendae, et gravida alias ſit robuſta, non omnino miſſio ſanguinis, indicationibus plethorae praeſentibus, eſt negligenda.

Obſtructio alvi et dyſuria.

Utraque ſymptomata e preſſione uteri extenſi in inteſtina et veſicam urinariam oriuntur.

Obſtructio alvi collectioni impuritatum, quae poſt partum noxias ſequelas poſt ſe trahere poſſunt, occaſionem poteſt praebere, quare enitendum eſt, ut alvus per motum corporis, clyſteres, et laxantia lenia ſemper aperta ſervetur, tanto etiam magis, quum inde etiam facile ſpasmi naſci poſſint, qui diſpoſitione praeſente facile abortui anſam praebent, aut ſaltem ad illum contribuere poſſunt.

Dyſuria oritur ſaepe e ſitu uteri obliquo, ubi manus obſtetricatoria os uteri rurſus in ſitum reducere debet. Os uteri plerumque tum adverſus oſſa pubis verſum eſt, ac preſſione proinde verſus poſteriora opus eſt.

Oedema pedum atque anaſarca.

Collectio humorum in tela celluloſa naſci poteſt in graviditate partim e preſſione mechanica in vaſa, partim etiam e debilitate, quamvis graviditatem comitante, quod ſymptomata ſuperius indigitata, in graviditatis initio confirmant.

In utroque caſu raro illae ſequelam poſt ſe trahunt, et per partum tolluntur, ita ut illarum gratia nihil ſit ſuſcipiendum.

Quodſi autem in graviditatibus hydrops e ſuis cauſis propriis et conſuetis oriatur, ſtatus eſt periculoſior; facile tum infans in utero materno moritur, aut per abortum exturbatur, et niſi hic omnia ſponte et feliciter procedant, facile gravida ita viribus exhauriri poterit, ut vita ejus in periculo verſetur.

Hydatides.

Ingens nonnumquam e gravidis copia aquae exoneratur, ita ut quis ſeduci poteſt ad credendum, membranas ſecundinarum eſſe diſruptas, et fore, ut abortus conſequatur. Attamen ſaepe hoc non con-

tingit. Quare autumare licet, hydatides hoc in caſu adfuiſſe, quae nunc per augmentum foetus disrumpuntur. Niſi proinde hoc in caſu alia abortus imminentis ſigna adſint, nihil etiam eſt ſuſcipiendum, ſed quiete, quae ſequentur, ſunt expectanda.

Haemorrhagiae.

In variis gravidis manet fluxus menſtruus fere ad finem graviditatis ſine intermiſſione, in multis tantum usque ad tempus medium, atque in aliis tantum per menſes priores. Fieri etiam poteſt, ut is, ubi jam emanſerat, tamen durante graviditate ſemel redeat.

Quodſi hoc in caſu ultimo in nullam occaſionem externam, aut cauſam internam morboſam culpa transferri queat, gravida ſit admodum plethorica, primipara, aut ſaltem abortum numquam paſſa fuerit, non eſt quod timeatur.

Quodſi vero haemorrhagia oriatur, quae ſecundum computum temporis pro fluxu menſtruo haberi nequeat, quae laxitate mammarum eſt ſtipata, et cui manifeſtae in oculosque incurrentes cauſae occaſionem praebuere, aut in muliere valetudinaria ad ſpasmos abortumque proclivi occurrat, caſus eo magis attentionem meretur, quo propius tempus partus eſt.

Hoc in caſu anquiritur, quid congeſtioni ſanguinis verſus uterum occaſionem praebere potuerit, annon violentia externa in culpa ſit. In omni caſu reſpicitur,

num

num vera adſit plethora, atque in eo caſu pertunditur vena, temperantia praebentur, cataplasmata emollientia ventri applicanda ordinantur, et quies commendatur.

Quodſi ſordes in primis viis et flatus ſint ſpasmorum cauſa, alvus leniter pulpa tamarindorum et manna laxatur, et per clyſteres promovetur. Quodſi acrimonia et reſolutio humorum corporis ſit cauſa, aegrum acidum vitrioli attenuatum bibere jubemus. Et ſi ſoli adſint ſpasmi hyſterici, tantillum opii juxta emollientia et demulcentia exhibetur.

Quamprimum cauſae irritantes ſunt ſublatae, roborandi ſymptomatumque futurorum evitandorum cauſa aliquantum corticis peruviani exhibetur, ubi vero attendendum eſt, ne is alvum adſtringat, quo in caſu potius cortice caſcarillae uti debemus.

Solutio placentae evenit plerumque a violentia externa. Placenta quoque ſubinde collo uteri connexa eſt, et ſolvitur in ejusdem dilatatione. In utroque caſu nihil in effluxu ſanguinis magno quam partus artificialis relinquitur, qui non nimis diu eſt auferendus, inprimis ſi motus ſpaſtici ſimul adſunt.

Abortus.

Quodſi haemorrhagia eſt nimia et diuturna, nec per remedia indicata tolli poteſt, verendum eſt, ne

placenta ſit ſoluta, atque hoc in caſu abortus ſequitur, niſi ante contendimus foetum ex utero extrahere.

Quodſi haemorrhagia tamdiu durat, dum alias fluxus menſtruus adeſſe ſoleret, pariter abortus eſt extimeſcendus.

Solae congeſtiones verſus uterum fortes quoque, uti violentia externa, abortum producere poſſunt, non praegreſſis haemorrhagiis diuturnis.

Uterus quoque per laeſiones praegreſſas, abortusque frequentiores ita diſpoſitus eſſe poteſt, ut ſub certo gradu extenſionis ejus ſemper conſequatur abortus, cauſis tamen aliis minime praecedentibus.

Denique quoque alii morbi, ut febres, colicae vehementes, convulſiones, et generatim tales, qui irritant et debilitant, cauſa abortus eſſe poſſunt.

In omnibus his caſibus agit medicus ſecundum duas regulas: Primo, ubi incerti ſumus, placentam eſſe ſolutam, ubi cauſae manifeſtae ſe offerunt, de quibus ſperatur, eas ſuperari poſſe, ubi non jam abortus frequentiores praeceſſerunt, conamur per miſſiones ſanguinis, temperantia antiſpasmodica, evacuantia lenia, atque emollientia externa congeſtiones verſus uterum tollere, et foetum conſervare.

Quodſi vero haemorrhagia ſit nimis vehemens, nec coërceri poſſit, ſi membrana decidua ſimul dejiciatur, ſi infans jam ſe moverit, et nunc nullus motus amplius animadvertatur, ſi ſimul dolor lumbo-

rum vehemens, et ſenſus gravitatis in pelvi percipiatur, foetusque ſubito deſcendat; ſi facies palleſcat, mammae flacceſcant, et ſi frequentiores compareant horrores, non tum gravida per miſſiones ſanguinis atque medicamenta ulterius eſt enervanda, eo minus committendum eſt, ut haemorrhagia fiat nimia, ſed providendum eſt de iis, quae ad extractionem foetus artificialem pertinent, imprimis ſi jam membranis ruptis liquores projecti fuerint.

Quamdiu vero nulla adeſt haemorrhagia, nec liquores eruperunt, praeſtat, propulſionem foetus, etiam ubi credibile videtur, infantem eſſe mortuum, a natura exſpectare; quia tum, ſi uterus ultro ad contractionem proclivis eſt, omnia facilius procedunt, nec tam facile haemorrhagia fuerit extimeſcenda.

Poſt abortum puerpera tractatur, ut proxime hic in morbis puerperarum indicabitur.

Complicatio graviditatis cum aliis morbis.

Difficulter hic regulae univerſales praeſcribi queunt. Regula ſane eſt ſemper: magis vitae matris, quam foetus rationem eſſe habendam. Sed adeſſe poſſunt circumſtantiae, neceſſitatem nobis imponentes, ubi magis ad conſervationem foetus, quam matris erit reſpiciendum.

Id ſaltem certum eſt, niſi alias medicamenta nimium irritantia et debilitantia adhibeantur, raro inde

effectus noxios in foetum redundare poſſe. Ipſa etiam emetica, indicationibus neceſſariis praeſentibus, cautioneque ſufficienti adhibita, tuto exhiberi poſſunt. Multae gravidae ſalivationem perpeſſae fuerunt, et tamen foetus vegetos pepererunt. Hic eſt caſus, ubi medicus ſpecimina judicii ſui practici exhibere queat, quod quidem ſane corrigi atque augeri, addiſci autem non poteſt.

De Morbis parturientium, lactantium et puerperarum.

Dolores ſpurii.

Quaevis irritatio, ſeu ea naſcatur e cauſis ſufficientibus, ſeu e debilitate atque ſenſibilitate peculiari, *doloribus ſpuriis* anſam praebere poteſt, quibus gravida aut nimium exhauritur viribus, aut partus nimium maturatur.

Hae cauſae irritantes ſunt:

1) Plethora et congeſtiones ex illa oriundae.

2) Sordes billioſae acies et vermes in primis viis.

3) Debilitas ſingularis, aut indolis hyſtericae, aut poſt infirmitates praegreſſas relicta.

Dolores hi ſpurii a veris in eo diſtinguuntur, quod illi magis e ſpasmis inteſtinorum conſiſtant atque in

uterum quidem agant, ſed aperturam illius magis contrahant, quam dilatent.

Ubi vires ſunt integrae, veraque adeſt plethora, per miſſionem ſanguinis non tantum hi dolores atroces tolli, ſed etiam partus allevari, ac multis ſequelis noxiis intercedi poſſunt. Neceſſe autem eſt, ut hoc exploratum ſit, quia alias vires inutiliter atteruntur, et per hoc plane partui difficili, aut ſequelis nimium noxiis occaſio datur.

Ubi impuritates in primis viis adſunt, et colicam gignunt, laxantia lenia mannata inſerviunt; ſed ubi vermes et nimia ſaburrae copia adeſt, non ibi tentandum per evacuantia omnia cogere velle, quia hoc nunc nimium debilitaret. Enitendum proinde eſt, ut irritabilitas per cataplasmata emollientia et clyſteres inſimul minuatur.

Spasmi hyſterici, minime per cauſas manifeſtas producti, facile per opium domari poſſunt.

In viribus exhauſtis alimenta nutrientia, atque decoctum corticis peruviani praebentur.

Partus difficilis.

Cauſae partum remorantes ſunt aut tales, quae ſpasmum in orificio uteri producunt, atque adeo omnes illae, quas nos proxime ut cauſas dolorum ſpuriorum adtulimus; aut adeſt defectus virium ad

partum requiſitarum; aut vitia uteri topica adſunt, aut foetus praeternaturali gaudet ſitu.

Per miſſionem ſanguinis, plethora vera praeſenti, ſaepe partum quam maxime levari et promoveri poſſe, inprimis ſi ea in pede inſtituatur, res per experientiam eſt ſtabilita. Sed neceſſe quoque eſt, ut caſus hic admodum obtineat, ut vires per plethoram ſint ſuppreſſae. Ubi enim vires revera deſunt, fieri nequit, quin miſſio ſanguinis longe ſit periculoſiſſima.

Sordes bilioſas cauſam partus difficilis eſſe poſſe, inde colligere licet, quoniam vomitus ſpontaneus atque enema, partu imminente, feliciſſimo ſtipentur ſucceſſu.

Ubi proinde has impuritates ſuſpicari licet, non nocebit laxans exhibere, quod ad ſpasmos praecavendos ac leniendos, inprimis ſi partus ſtatim immineat, nec illud ſufficientes exſeruerit vires, clyſtere promoveri poteſt.

Quodſi ſapor amarus manifeſtus linguaque impura adeſſent, nihil eſt dubitandum emeticum exhibere, quum nobis natura ipſa hic tam luculento praeeat nutu.

Debilitate praeſenti, laudanum liquidum Sydenhami aqua quadam aromatica permixtum magnae eſt utilitatis. Tollit ſpasmos, roborat vires, atque agit ſpecifice in uterum.

Ad remedia revera pellentia adhibenda rariſſime adeſt ratio. In periculum venimus, haemorrhagiam

debilitantem excitandi. Plerumque etiam laudanum ſufficit, ſi illud in loco exhibeatur adaequato.

Dantur caſus, ubi partes irritabilitate deſtituuntur, atque adeo utero contractibilitas ſufficiens deeſt. Quo in caſu epithemata ex aqua frigida praeſtantis ſubinde ſunt utilitatis.

Ruptura uteri, quae per dolores vehementes et perpetuos poſt pregraeſſum convulſivum motum foetus, per majorem abdominis extenſionem et per orificium uteri rurſus contrahens ſe prodit, eſt letalis. Ad foetum conſervandum hic tantum ſectio caeſarea ſupereſt.

Dolores poſt partum.

Dolores poſt partum raro in mulieribus, primo partu, atque alias valetudine vegeta fruentibus, excitantur. Saepe quoque ad fluxus lochiorum promovendos inſerviunt. Quodſi vero illi ſunt nimium vehementes, noſtrum eſt, opitulari.

Dolores poſt partum ſaepe ab inepta et praematura placentae ſolutione oriuntur. In plurimis caſibus bonum eſt, dejectionem placentae naturae relinquere.

Mox partu peracto in eo ſtudium ponimus, ut abdomen puerperae deligetur. Quod vero non ſemel et ſimul nimium vehementer fieri debet, ſed ligaturam praeſtat omni quadrihorio aut ſpatio ſex horarum arctius adſtringere.

Quodſi deinde dolores poſt partum tam vehementes ſunt, ut periculum inde ſit extimeſcendum, exploratur, num usquam irritatio adſit.

Quodſi forte fluxus lochiorum non ſatis recte procedere velit, atque impuritates adfuerint, tinctura rhabarbari aquoſa cum laudano permixta, epithemata ac enemata emollientia inſerviunt.

Quodſi vero fluxus lochiorum ſimul eſt nimis vehemens, conſtitutio aegrotae eſt firma, atque jam lac in mammis percipitur, miſſio ſanguinis eſt ſumme neceſſaria, ad inflammationem praevertendam.

Nitrum cum decocto avenaceo ad bibendum ſimul ut temperans praebetur.

Quodſi ſola irritabilitas praeternaturalis eſt cauſa, aut laudanum, aut ſolum opium ſufficit. Illud, ubi fluxus lochiorum non nimium vehementes ſunt, hoc, ubi lochia ſufficienter aut nimis large fluunt.

Quodſi per ſolutionem placentae violentam uterus eſt laeſus, contendimus, inflammationem per remedia antiphlogiſtica praecavere.

Fluxus lochiorum.

Lochia nonnumquam per febrem lacteam turbantur. Quodſi vero hoc non diu, ſed tantum forte duodecim aut viginti quatuor horas durat, nihil inde detrimenti, quia illa poſt lac collectum et febrem ceſſantem redeunt.

Quoque bonum eſt, ſi illa generatim in mulieribus, quae ipſae lactaturae ſunt, non nimium fluant, quoniam alias vires valdopere attererentur.

Quodſi vero ea ſubito ceſſant, congeſtionesque in alia loca obſervantur, res maximi eſt momenti, ut reſtitutionis illorum ratio habeatur.

Inquiritur itaque in cauſas. Ubi proclivitas ad inflammationem inteſtinorum aut uteri eſt pertimeſcenda, continuo vena in pede eſt ſecanda, et, ſi fieri poſſit, hirudines ad labia vulvae applicandae. Pediluvia tepida et balnea vaporoſa ſimul ordinantur, et nitrum in decocto avenaceo, vel aqua cocta ad potandum exhibetur. Abdomen ſimul fovetur, aut illi unguentum emolliens infricatur.

Quodſi ſoli ſpasmi ſunt cauſa, rurſus exploratur, utrum hi indolis ſint hyſtericae, an vero cauſae manifeſtae detegi queant. In priori caſu inſervit opium; atque in poſteriori, ſi ſaburra in primis viis adeſt, decoctum rhabarbari in connubio laudani optimum habet effectum.

Ubi magis adeſt relaxatio, quam pronitas ad inflammationem, neque etiam ullae congeſtiones in mammas ſunt pertimeſcendae, aër fixus quoque utiliter adhiberi poteſt, et quidem ita, ut ſolutioni ſalis lixivioſi maſſa pilularum balſamicarum admiſceatur, quo effectus aëris fixi verſus inferiora determinatur.

Fluxus lochiorum quoque in exceſſu peccare, et non tantum ſecretionem lactis ſupprimere, ſed etiam debilitati hyſtericae, hydropi et phthiſi uterinae anſam praebere poteſt.

Cauſae fluxus lochiorum nimii ſunt:

1) Quodſi partus eſt praecipitatus, antequam uterus contractilitatem ſuam requiſitam haberet, et jam poſt partum non ſatis ſe contrahat.

2) Scirrhi in utero, qui contractionem impediunt.

3) Quodſi placenta juſto citius eſt ſoluta, quoque congeſtionem ſanguinis ad uterum produxit.

4) Reſolutio ſanguinis ſcorbutica.

5) Saburra bilioſa, quae durante graviditate in ſanguine ſe contraxit.

6) Spasmi hyſterici, congeſtionibus ad uterum occaſionem praebentes.

7) Plethora.

8) Et poſtremo nimia debilitas et relaxatio partium.

Ubi contractilitas deficit, epithemata atque injectiones ex aqua frigida juvant. Simul reſpicitur, num plethora adſit, annon mulier lactatura ſit, quo in caſu miſſio ſanguinis in brachio eſt proficua.

Quodſi hoc non ſufficit, et fluxus eſt nimius, adſtringentia interna propinari poſſunt, quem in finem oleum vitrioli attenuatum et cum ſpiritu vini permixtum, aut etiam alumen ſunt convenientiſſima; quod etiam locum habet, ubi ſanguis nimis eſt tenuis

et acris. Debilitate et relaxatione praeſenti interne decoctum corticis chinae propinatur, atque externe epithemata frigida, frictiones extremitatum cum vino aut aquis aromaticis in auxilium adhibentur.

In ſaburra bilioſa primum ſolventia exhibentur, et tum, ſi ſordes turgeſcunt, uterusque ita jam ſe contraxit, ut nullus prolapſus ſit extimeſcendus, emeticum, quo jam ſaepe ſolo fluxus temperatur. Ad laxandum tum rhabarbarum non eſt conveniens, ſed cremor tartari et pulpa tamarindorum.

Ubique in his caſibus, ubi non debilitas, nec exhauſtio virium eſt cauſa, regimen frigidiusculum et diaeta tenuis ſunt ſervanda.

Secretio lactis.

Plerumque die tertio poſt partum oritur febricula a 18 ad 24 horas, nonnumquam vero etiam aliquot dies perdurans, qua plerumque durante fluxus lochiorum eſt interruptus.

Quodſi lac durante hac febre in mammis colligitur, lochiaque in eadem ratione redeunt, collectio lactis ut criſis febris eſt conſideranda, hinc etiam febris, *febris lactea* vocatur. Atque hoc in caſu otioſi manemus.

Quodſi vero cum febre lac non colligitur, febris perſeverat, lochia non redeunt, febris puerperarum non longe abeſt, de qua inferius.

Nonnumquam lac ſine omni febre in mammis colligitur, aut illud jam ante partum adfuit.

Subinde neque lac, neque febris comparent, nec aliud ullum ſymptoma. Niſi hujus rei culpa in defectu alimentorum ſit quaerenda, qui potu largo lactis cum floribus ſambuci cocti aliisque cibis nutrientibus compenſari poteſt, nihil amplius faciendum reſtat, quam ut de nutrice alia quaerenda ſimus ſolliciti.

Nonnumquam fluxus lochiorum juſto largior eſt cauſa, quod lac non ſecernatur, quo in caſu agitur, ut jam ſuperius docuimus.

Nimium lactis quoque in mammas irruere poteſt, ita ut facile nodi atque indurationes naſcantur. Hi nodi quoque produci poſſunt, ſi coloſtrum non ſatis mature fuerit exſuctum. Diaeta tenuis, potus aquae coctae nitro impraegnatae frequens, atque epithemata reſolventia ſaepe per ſe juvant. Niſi hoc ſufficiat, externe camphora, atque emplaſtrum de ammoniaco cum mercurio, atque interne laxantia antiphlogiſtica in auxilium adhibentur.

Idem quoque plane ſuſcipitur, quodſi lac in mammis collectum eſt, nec puerperae lactare velint.

Generatim non eſt conſultum, ut mulieres conſtitutionis hyſtericae, ſcrophuloſae, et ſcorbuticae, aut temperamenti valde iracundi lactent, tanto etiam minus, ubi minima ſuſpicio miasmatis venerei locum habet. Mulieres quoque plerumque ſunt pro nutricibus

ineptae, quae inſimul fluxum menſtruum retinent. Neceſſe etiam eſt, ut lac nec nimis ſit pingue, nec nimis tenue. Colore gaudere debet non lividulo, ſed candido, guttulae autem ſingulae pellucidae eſſe debent.

Quodſi mater aut nutrix non ſatis ſunt ſanae, nec temperamento gaudent bono, ſatius ſemper eſt, infantes decocto avenaceo tenui cum aliquanto lactis permixto tepideque exhibito alere, inprimis ſi hoc in negotio caute procedatur, et potius in defectu, quam exceſſu error in alendo infante committatur.

In lacte retropulſo reſpiciendum eſt: 1) ut minus lactis ſecernatur. 2) Ut jam ſecretum atque reſorptum non ſtagnet, ſed educatur. Utrumque fit per diaetam tenuem, ſalia media leniter aperientia, atque uſum camphorae externum atque internum.

Metaſtaſes lactis.

In puerperis humorum collectiones inveniuntur, qui conſtitutione lacti ſimili gaudent, atque igitur a multis medicis omni jure pro metaſtaſibus lactis exiſtimantur.

Quidam medici hoc e rationibus ſequentibus negant, dicunt:

1) Hanc collectionem humorum lacti ſimilium nihil aliud eſſe, quam lympham pureformen, quae eſt inflammationis ſequela, atque e partibus in-

flammatis exſudat, uti hoc in multis inflammationibus eſt caſus, et tales collectiones quoque in viris inveniuntur.

Ad hoc reſpondeo:

a) Non ſemper in talibus caſibus, ubi tales collectiones fiunt, inflammatio antecedit, ſed ſubito quodam loco talis metaſtaſis ſine multis praegreſſis doloribus oritur.

b) Haec humorum metaſtaſis numquam cum inflammatione gaudet proportione. Saepe pauca aut nulla ejusdem veſtigia obſervantur, ſaepe ea eſt tantum ſequela humorum acre redditorum, et ſaepe inflammatio vehementiſſima ſine tali metaſtaſi adeſt.

c) Hae metaſtaſes fere ſemper cum defectu lactis in mammis ſunt conjunctae, atque ubi hoc non eſt, nihil ulterius probat, quam redundantiam humorum lacti ſimilium magnam.

d) Quoque in viris ſubinde lac in mammis eſt ſecretum, et ſic quoque fieri poteſt, extra lectum puerperarum humores lacteos ſe colligere et loco quodam metaſtatice dejicere poſſe. Utrique caſus ad exceptiones pertinent. In regula inflammationes talibus collectionibus non ſunt ſtipatae. Quid? quod in puerperis inflammationes inteſtinorum ſine omni veſtigio talium humorum lacti ſimilium inveniuntur.

2) Lac eſſe humorem blandum atque ejusdem reſorptionem nullo modo noxiam eſſe poſſe.

Reſponſio:

a) Reſorptio lactis ſani modica quoque eſt innoxia; hoc nihil contra nos probat.

b) Reſorptio autem nimia et ſubitanea omnino tales metaſtaſes efficere poteſt.

c) Lac per cauſas irritantes admodum acre fieri poteſt. Eaedem cauſae, quae depoſitionem efficiunt, quoque ſimul lac acre reddunt, e. gr. animi pathemata.

3) Metaſtaſes oriuntur ſaepe prius, quam lac in mammis adfuit, et ſunt ſaepe quoque nimis magnae, quam quod ſolummodo e lacte in mammis contento oriri potuiſſent.

Qua ex re nihil ulterius concludere poſſemus, quam quod lac jam ante ejusdem introitum in mammas adfuiſſe debeat, atque hoc revera quoque eſt longe veriſimillimum. Qua de cauſa in febre lactea metaſtaſis lactis in mammis eſt critica.

Quum igitur hi humores collecti maxima ſimilitudine cum lacte corrupto gaudent, quum hae collectiones cum liquore in mammis contento nexum habent, quum eae prorſus metaſtatica ratione fiunt, quum eae ſaepe ſine omni praegreſſa inflammatione oriuntur, quum in regula inflammationes extra puerperarum lectum non tales collectiones ad ſequelam

habent, id gaudet ſummo veriſimilitudinis gradu, quod metaſtaſes ſint lacteae.

Ceterum jam *Hippocrates* metaſtaſes lacteas in medium protulit. Inter recentiores primus eſt *Levret*, qui eas exactius obſervavit. *Switenius* ſententiae illius eſt ſecutus. Poſtea *Puzos* hac in re ſummam meretur attentionem, et mihi deſcriptio febris puerperarum magis accurata remanet.

Quinto plerumque menſe revolutio in mammis contingit, ita ut ſecretio lactis nonnumquam jam incipiat, ubi tum etiam metaſtaſes oriri poſſunt. Quidam adſerunt, ſe obſervaſſe, hujusmodi metaſtaſes ſero admodum et poſt aliquot demum annos contingere poſſe. Sed hic metaſtaſis jam tum contigiſſe videtur, quum adhuc lac in organis ejusdem ſecretoriis aderat, quae vero nunc demum in conſpectum prodit. In muliere defuncta, quae uno anno ante mortem ſuam in puerperio lac amiſerat, et cum eo quoque rationis uſum, inveni ſuppurationem in cerebro, quae mihi quam veroſimillime ſequela metaſtaſeos olim factae eſſe videbatur. Caſus quoque mihi occurrit, ubi hujusmodi metaſtaſis poſt duos demum annos per uterum viam ſibi aperuerat.

Periodus metaſtaſium lactearum plerumque in priores menſes poſt partum incidit. Eae ſunt, uti dictum, ante partum rarae, atque ulterius, ac in ablactatione partim lac non magis tam ſuperfluum adeſſe

videtur,

videtur, partim loca, in quibus tales metaſtaſes fieri ſolent, diſpoſitionem ad hoc amiſerunt.

Excretiones et metaſtaſes praeternaturales nunc fiunt:

a) Per ſudorem, inde ſaepe miliares;

b) per alvum et urinam;

c) per os, qua de re *Nucke* et *Puzos* exempla tradunt;

d) per umbilicum, ſed hic fere metaſtaſis in peritonaei duplicatura jam facta eſt;

e) per uterum, inde lochia alba;

f) in cerebro, inde melancholia et mania;

g) in pectore, inde angina pectoris;

h) in abdomine, inde febris puerperarum;

i) in pelvi; quodſi ea inter muſculum pſoam atque iliacum occurrit, de hinc ea per foramen iſchiaticum in femora tranſit.

k) Inter muſculos abdominales ab inguine usque ad os coccygis.

l) In extremitatibus.

Cauſae metaſtaſium ſunt:

1) Omnia, quae excretionem lactis in mammis contenti impediunt, ut: defectus papillarum, cicatrices, mammae nimis pingues, aut generatim abſtinentia a ſuccinatione.

2) Omnia, quae ſecretionem lactis in ſanguine contenti impediunt, atque id corrumpunt, at-

que huc pertinent omnia irritamenta, uti: impuritates bilioſae, vermes, refrigerium, febris, animi pathemata et quoque inflammationes, quae autem hic quoque tantum pro cauſis remotis ſunt habendae.

In curatione igitur nitimur, primum omnes has cauſas auferre, et ſecundum metaſtaſes factas tollere.

Nonnumquam hae ſtagnationes per potus diluentes, diaphoreticos, ſublationemque cauſarum irritantium diſcuti poſſunt. Haud raro autem in quandam ſuppurationis ſpeciem tranſeunt, atque adhuc ſaepius tumores frigidos poſt ſe relinquunt, atque eo ipſo motum partis adfectae impediunt. Atque haec differentia ab indole lactis ſtagnantis pendet. Refrigerium plerumque, humoribus alias ſanis et mitibus exiſtentibus, tumores frigidos doloris expertes parere ſolet, e contrario hic ſuccus alias lenis per acrimoniam reliquorum humorum et per animi pathemata e veſtigio ita corrumpi poteſt, ut fiat acris et foetidus, atque hoc in caſu naturae maxime eſt conforme, ut metaſtaſes lactis tam corrupti exulcerationes quoque malignas producant.

Ubi proinde redundantia lactis, proclivitasque ad ſpasmos animadvertuntur, opera eſt danda, ut per laxantia lenia, potiones diluentes, diaetam parcam opitulemur. Idem ſuſcipitur, ubi jam metaſtaſis contigit.

Saepe hae metaſtaſes neque reſolvi, neque in ſuppurationem mutari poſſunt, quod partim inde eſt, quoniam humor per telam celluloſam nimium eſt diffuſus. Hoc in caſu conſultum eſt, humores extravaſatos per faſcias in unum locum cogere, ubi illi facilius inflammationem ad ſuppurationem neceſſariam producunt.

Quodſi itaque tumor fluctuatione gaudeat, ille eſt aperiendus, et humor depoſitus emittendus.

Nonnumquam ejusmodi tumores in vaginam aperiuntur, ubi per remedia refrigerantia et leniter evacuantia reſorptio puris impedienda, et denique ſanatio partis exulceratae per corticem peruvianum eſt pro rovenda.

Quodſi poſtremo tumor magis durus et frigidus eſt, et tantum manum aut articulos genu invaſit, efficacia in auxilium vocanda ſunt reſolventia. Emplaſtrum reſolvens foetidum, emplaſtrum de ammoniaco cum mercurio, frictionesque mercuriales, utilem ſaepe hic praeſtant operam, etiamſi nonnumquam hujusmodi tumores ſint longe pertinaciſſimi.

Febris puerperarum.

Puerperae variis febribus ſunt obnoxiae, ſed datur quaedam febris, quae proprie et peculiariter *febris puerperarum* appellatur, ad confuſionemque evitandam ita eſt appellanda.

Quodſi febri cuidam dolores vagi et conſtantes in abdomine cum ejusdem intumeſcentia ſe adſociant, haec eſt illa febris, de qua hic agitur.

Haec febris puerperas ſecundo, tertio, quarto, quin etiam octavo atque nono die invadit. Nonnumquam ſequitur dolor poſt primam acceſſionem aliquot horis, nonnumquam autem motus febriles per aliquot dies durare poſſunt, antequam dolor in abdomine ſuperaccederet; quumque puerperae, ut jam dictum eſt, partim febri lactea continua, partim etiam alterius indolis laborari poſſint, non adeſt ratio, febrem antea febrem puerperarum appellare, quam ſymptomata animadvertantur, quae a congeſtione humorum in abdomine teſtantur.

Curſus hujus febris eſt admodum varius. Nonnumquam lac jam in mammis contentum retrocedit, nonnumquam ſequuntur dolores in abdomine, durante febre lactea, ita ut criſis febris lacteae propria, ſcilicet depoſitio lactis in mammas, non eveniat. Subinde lochia ſimul ceſſant, haud raro autem fluunt adhuc per aliquod tempus, quin etiam contingit, quamvis raro, ut ea penitus non interrumpantur.

Raro dolores deprehenduntur in fundo pelvis, utplurimum in regione inteſtinorum, et ſemper fere abdomen ſimul eſt plus minusve turgidum, atque a tactu dolore adficitur.

In initio alvus obſtructa eſſe ſolet, ſed deinde plerumque diarrhoea comparet, quae tantum ſubinde allevamento eſt ſtipata.

Pulſus raro eſt plenus et durus, is plerumque eſt ſpaſticus, atque adeo incertus.

Raro aut forſitan numquam ſequitur criſis regularis, quia evacuatio materiae in abdomine contentae tantum paulatim per lochia, per alvum, et per cutem contingere poteſt.

Phaenomena reliqua naturam febris ſequuntur, quae admodum varia eſſe poteſt. Sequentes diverſitates ut ſubdiviſiones hujus morbi conſiderari poſſunt:

1) Propter diſpoſitionem ſingularem febris lactea tam vehemens, aut ejus indolis eſſe poteſt, ut criſis ejus non contingat, aut ſaltem alieno loco; ubi ſtatim dolores in abdomine conſequuntur, haec eadem febris ceſſat, febrem eſſe lacteam, et fit febris puerperarum.

2) Febris lactea aut penitus non adfuiſſe, aut jam deſiiſſe, novaque febris e refrigerio oriri poteſt; quodſi ad hanc febrem dolores in abdomine ſuperaccedant, eſt ea iterum febris puerperarum.

3) Poſt partum, ſi motus animi vehementes aut praeceſſerunt, aut poſt partum adfuerunt, febris oriri poteſt, quam mox dolores in abdomine excipiunt.

4) Spasmi, lochia ſubito ſuppreſſa, inflammationes uteri aliarumque partium huic febri pariter anſam praebere poſſunt.

5) Et denique impuritates bilioſae, qui caſus eſt frequentiſſimus, in primis viis ſe accumulaviſſe potuerunt, quae poſt partum, et conſtitutione epidemica forte occurrente, facillime febrem producunt, quae utplurimum fit febris puerperarum.

Unde intelligi poteſt, quod ad naturam motuum febrilium attinet, magnam hic differentiam locum habere, quae per cauſas praegreſſas, et conditionem circumſtantiarum praeſentem conſtituitur.

Symptoma febris puerperarum eſſentiale, dolores atque intumeſcentia abdominis e contrario, omnino cauſam ſuam propriam et certam habere debent, de qua re nondum inter auctores convenit.

Ex meis obſervationibus, quas mihi de hoc morbo faciendi frequens eſt occaſio, clarum eſt:

1) Quod poſt mortem in abdominis cavo humor putrilaginoſus flavo-viridis deprehendatur.

2) Hic tumor ſemper fere quoque deprehenditur in tubis fallopianis, e quibus ille exprimi poteſt. Liquor prorſus lacti ſimilis ex uteri diſceſſi ſubſtantia effluxit.

3) Longe rariſſime inflammatio uteri interni, et tantum nonnumquam eroſio membranarum in-

teſtinorum externarum adſunt, tantum ovaria, et tubas Fallopii ſemper, et ſubinde ſuperficiem uteri externam, inveni inflammata atque ſphacelata.

Omentum pariter nonnumquam eſt invaſum, caſus autem mihi occurrerunt, ubi omentum conditionis optimae erat, et tamen magna materiae perulentae copia in corpore aderat.

4) Saepe et utplurimum idem humor purulentus in mammis continetur, qui in cavo abdominis deprehenditur.

5) Liquor ipſe tam adſpectu, quam mixtione lacti ſimilis eſt.

Ex his atque circumſtantiis ſuperius enumeratis videor mihi jure colligere poſſe, quod dolores in abdomine a metaſtaſi lactis atque a liquore ad hoc requiſito oriantur.

Hic liquor e vaſis exhalantibus peritonaei extravaſatur, atque ejusdem ſtaſis inde omnes partes cum hac membrana inveſtitas dolentes reddere poteſt. Inde inflammatio inteſtinorum viſibilis, quae ſolummodo reſpectu eorum cutis externae, quae eſt peritonaei productio, laborant.

Partes cum mammis in conſenſu conſtitutae ſemper maxime laborare videntur, e. gr. uterus, ovaria et tubae Fallopii, e quibus poſterioribus veriſimillime ſubinde extravaſatio humorum in abdomine fit.

Quod autem hic humor etiam ad inteſtina atque ad omentum deponatur, indeque in cavum abdominis effluat, veroſimillimum eſt, tam propter dolores in inteſtinis perceptos, proclivitatemque ad diarrhoeam, quam etiam, quod ſaepe hic humor purulentus, ſuper omento et ſuperficie inteſtinorum externa deprehendatur.

Quod haec metaſtaſis lactis ſpeciem inflammationis quandam producat, pariter eſt certum, ſed quemadmodum tumores in extremitatibus e metaſtaſi lactis indolis frigidiſſimae ſunt, ſtaſes etiam in partibus internis ſunt, quod per curſum morbi ſaepe diuturnum, atque ex inflammationibus partium cum materia purulenta poſt mortem inventa, nulla in ratione conſtitutarum, confirmatur. Omnia interim hic pendent a cauſis praecedentibus, atque humorum qualitate. Lac, ut jam ſuperius monui, per animi pathemata in humorem acrem et foetidum transformari poteſt, quo in caſu etiam facilius corruptionem ſphaceloſam partium laborantium extimeſcere poſſumus, ſicuti quoque revera inflammatio inteſtinorum praegreſſa occaſionalis cauſa congeſtionis lactis in abdomen eſſe poteſt.

In prognoſi proinde momentum rei vertitur, non tantum in metaſtaſi lactis, ſed etiam in qualitate lactis metaſtatici, quod a cauſis praegreſſis atque indole humorum conſtitutioneque epidemica pendet.

In diagnoſi et curatione hujus morbi ſequentes circumſtantiae ſunt conſiderandae:

1) Enitendum eſt, ut morbo obex ponatur, omnes cauſas irritantes e medio tollendo, et copiae lactis occurrendo.

2) Morbo ingruente, extemplo cauſam irritantem perſcrutamur, ut eam tollamus.

3) Humor metaſtaticus per eas vias educendus eſt, quas natura ipſa ſibi eligere videtur.

Quod ad primam conditionem attinet, cavendum primo eſt, ne ſecretioni lactis in mammis ulla ponantur impedimenta. Quem in finem contendendum eſt, ut viribus puerperae, quantum fieri poteſt, parcatur, ſed tamen omnes cauſae, quae irritationem ſingularem producere poſſunt, e medio tollantur. Diaetam proinde, neceſſe eſt, nutrientem quidem, ſed non exaeſtuantem, et regimen magis frigidiusculum, quam calidum eſſe. Ubi ſordes et cruditates in primis viis adſunt, hae per remedia leniter laxantia atque attenuantia ſunt educendae, atque ubi ſpasmi ſine cauſa manifeſta naſcuntur, opera danda eſt, ut per clyſteres emollientes et pharmaca antiſpasmodica ſuccurratur. Febris ipſa lactea, quamprimum ea juſto vehementior eſſe videtur, per temperantia et diaphoretica lenia eſt mitiganda.

Ubi ſecretio jam contigit, et magna lactis copia adeſt, effluxus illius per exſuctionem diligentem pro-

movendus eſt, atque enitendum eſt, ut nimiae ſecretioni per miſſionem ſanguinis, per laxantia lenia, per potum aquae frequentem, in qua aliquantum nitri ſolvitur, et per diaetam tenuem modus imponatur.

Quamprimum irritationes et tenſiones animadvertuntur, continuo ſucurrendum eſt cum emollientibus atque antiſpasmodicis, et congeſtioni atque metaſtaſi lactis humorisque lymphatici occurrendum.

Quodſi proinde dolores in abdomine metaſtaſin lactis, aut ſtagnationem humoris lymphatici annunciant, refrigeratioque praegreſſa eſt, contendimus primo omnes tenſiones per epithemata unguentaque emollientia atque antiſpasmodica ſuper abdomine, clyſteresque emollientes tollere, deinde vero per potum calidum largum, in quo aliquid nitri ſolvitur, et per camphoram reſolutionem et transpirationem humoris depoſiti efficere.

Quodſi pavor aut ira pro cauſa ſint habenda, laxans lene cum opio permixtum inſervit.

Ubi ſordes adſunt bilioſae, enitimur eas, quamprimum per ſolventia mobiles reddere, et per emetica educere.

Quodſi alii morbi per irritationem conſenſualem congeſtionem et metaſtaſin lactis produxerunt, conamur illis pro re nata occurrere.

Metaſtaſis lactis quidem ſpeciem inflammationis producere videtur, e curſu interim morbi ſaepe diu-

turno, e rationibusque jam ſuperius allatis planum eſt, hanc plerumque eſſe levem, et tantum circa finem morbi ſuperaccedere videtur. Dolores itaque in abdomine per ſe miſſionem ſanguinis non indicant, quia illi magis indolis ſunt ſpaſticae, quam inflammatoriae. Tanto minus miſſio ſanguinis habet locum, ſi puerpera generatim non eſt plethorica, multum jam ſanguinis in partu amiſit, et lochia adhuc prompte fluunt. Quodſi vero pulſus eſt plenus, aegrota generatim ſanguine abundat, lac affatim adeſt, dolor magis fixus eſt, quam vagus, et ſimul fluxus lochiorum ceſſavit, neque generatim ſatis promptus fuit, tanto plus momenti adeſt ad ſanguinem mittendum, quandoquidem per diminutionem maſſae ſanguinis ſecretio lactis ſupprimi et reſorptio humorum jam extravaſatorum promoveri poſſit.

Quodſi ſimul fluxus lochiorum promovendi rationem habeas, venam in pede pertundere, aut ſimul hirudines ad vaginam applicare potes.

Quod de miſſione ſanguinis valet, de veſicatoriis quoque dictum eſto Ubi veram inflammationem ſuſpicari licet, neutiquam ſane illa ſunt negligenda, ubi vero magis irritatio, quam inflammatio adeſt, per irritationem ſuam nocere, novisque congeſtionibus anſam praebere poſſunt.

Quodſi morbus jam per aliquod tempus duravit, verendum eſt, ne humor in abdomen deponatur, et

hic omnia ab evacuatione ejusdem per alvum et per uterum pendent. Abſtergentia itaque lenia exhibentur, enitimur omnibus novis ſpasmis occurrere, febrem ex humore reſorpto perdurantem per ſal ammoniacum temperare, et modicas mannae et pilularum balſamicarum doſes praebemus, in quo tamen ſumma cautio eſt ſervanda. Quodſi animadvertitur, humores per cutem evacuari proclives eſſe, quod vero in ſtadio morbi ſeriori rariſſime locum habet; diaphoretica in auxilium adhibentur. Quamprimum humor in cavum abdominis extravaſatur, res eſt conclamata.

Inflammatio uteri.

Quodſi lochia ſubito ſupprimuntur, aut nimis large fluunt, aut ſi uterus in partu valde fuit irritatus aut laeſus, morbus naſcitur, qui ab auctoribus *metritis* appellatur, nec cum febre puerperarum eſt confundendus.

Morbus e dolore ardenti et gravitativo in pelvi cognoſcitur. Quodſi fundus uteri eſt inflammatus, plerumque elevatio doloribus ſtipata ſuper regione pubis obſervatur, quemadmodum ſi inflammatio eſt profundior, os uteri a contactu adficitur dolore. Stranguriae et teneſmi quoque facile oriuntur. Abdomen raro eſt turgidum. Quodſi alias lac in mammis eſt collectum, per morbum retrocedere non ſolet. Is plerumque e laeſione externa naſcitur. Per tres circum-

ſtantias poſteriores, per durationem breviorem, per pulſum clarius inflammatorium, et per lochia fuſca, putrilaginoſa, morbus a febri puerperarum clariſſime diſtinguitur.

In medendi ratione primum reſpicitur, ut fluxus lochiorum ita temperetur, ut is pro ratione circumſtantiarum atque haemorrhagiae praegreſſae, nec ſit nimium debilis, nec nimis magnus. Omnia e medio tollere contendimus, quaecunque congeſtionibus ad uterum occaſionem praebere poſſunt. Plethora proinde minuitur, primae viae purgantur, exagitationes ſanguinis temperantur, uterum nitimur, ubi is non ſatis ſe contrahere vult, per epithemata atque injectiones ex aqua frigida ad contractionem cogere; ubi aliquid de ſecundinis remanſit, et per irritationem ſuam inflammationem uteri producit, conamur fluxum lochiorum per pediluvia et balnea vaporoſa atque hirudines promovere; ubi refrigerium eſt praegreſſum, et ſtaſin acrimoniae rheumaticae ſuſpicari licet, veſicatoria ad regionem pubis applicantur, atque interne temperantibus, reſolventibus atque camphoratis opitulamur.

Ceterum omnes haemorrhagiae uteri poſſunt inflammationi ejusdem occaſionem praebere, quae vero extra puerperium raro febri vehemente eſt ſtipata, generatim magis trahitur, et facile phthiſin uterinam

producere poteſt. Hic quies, remedia refrigerantia atque antiſpasmodica et diaeta tenuis, optimas exſerunt vires. Nonnumquam etiam impuritates biliosſae in primis viis ſunt cauſae, ubi ipecacuanha in doſibus refractis, atque ita ut ea ſubinde producat vomitum, praeclari eſt uſus.

Inflammatio pulmonum.

Tam per nixum fortem in partu, quam etiam per refrigerium poſt exaeſtuationem praegreſſam naſcitur in puerperis haud raro ſpecies quaedam peripneumoniae, aut potius angina pectoris. Obtinet etiam, quamvis raro caſus, ut humores lymphatici et lactei in pulmones deponantur.

Initium ſe prodit per tuſſim acrem, pertinacem, ſuffocationemque minantem, per febrem, per congeſtiones verſus caput, per preſſionem atque anxietatem in pectore.

Niſi morbo ſtatim in primo initio occurratur, ſequitur aut mors, aut tabes. Quare ad tuſſes puerperarum diligenter eſt attendendum, et continuo ſecundum methodum antiphlogiſticam agendum, niſi quod cavetur, ne irritatio, et per eam metaſtaſis lactis in partes internas producatur. Quod tanto eſt difficilius, quum in his circumſtantiis ſemper fere ſit inevitabiliter neceſſarium, infantem delactare, et lac praeſens

educere. Forte fortuna utrumque cum methodo antiphlogiſtica bene convenit, quae proinde in omni ſuo ambitu locum habet. Simul vero praeterea ad cauſas congeſtionum verſus pectus forte praeſentes eſt reſpiciendum, atque illae ſunt tollendae; quod eo maturius fieri debet, quodſi aegrotae nimis ſunt vividae, nimium fiduciae in viribus ſuis collocant, iisque clam abutantur. Hunc in finem omnium circumſtantiarum et caſuum in puerperio ratio eſt habenda.

Febris eryſipelacea.

Haud raro inflammationes eryſipelaceae in mammis et manibus in puerperio oriuntur.

Quum hic momentum rei ſemper in eo vertatur, ut omnes cauſae irritantes e medio tollantur, quumque per inflammationem mammae lactatio interrumpatur, ſtatim etiam, inflammatione tali comparente, quae raro aut fere numquam e lacte adunato, ſed ſemper ex acrimonia bilioſa naſcitur, cum auxilio eſt feſtinandum, quod tum inprimis e medicamentis attenuantibus atque evacuantibus conſiſtit.

Externe tantum linteum camphoratum imponitur, atque jubemus lac, quantum fieri poteſt, dummodo non per infantem exſugi.

Quodſi autem tumor inflammatorius poſt evacuantia non ſtatim diſcutitur, mox cataplasmata

ſunt applicanda, nec cum apertione nimium diu expectandum, alias enim exulceratio conſequitur lenta.

Eclampſia.

Motus epileptici tanto facilius in puerperis oriuntur, quanto tenſiores et ſenſibiliores ſunt partes illarum maxima irritabilitate gaudentes.

Adfectus animi plerumque ſunt cauſae occaſionales.

Lac hic pariter vexatur, ſed hoc ſequela morbi eſſe videtur. Obſervavi immediate poſt terrorem lac e mammis praeceps erupiſſe, atque in mammis remanens odorem ingratum corruptum, colorem flavoviridem adſumſiſſe. Haec lactis proprietas diu deinde permanſit, quum ſpasmi jam per aliquot dies ceſſaſſent.

Hic morbus oppido evincit, quam neceſſe ſit, ideam febris puerperarum ſtricte ſic dictae his limitibus circumſcribere, ut ſola febris cum doloribus inteſtinorum continuis, atque abdominis inflatione, ſub eo nomine comprehendatur.

Saepe in eclampſia febrem obſervavi vehementem, et nonnumquam coactus fui, ſpatio viginti quatuor horarum quinquies venam pertundere. Sed curſus hujus morbi longe diverſus eſt, ab eo, quem febris puerperarum ſuperius deſcripta obſervat.

In

In curatione motuum epilepticorum momentum rei praecipue in eo vertitur, ut irritabilitas per remedia attenuantia atque emollientia minuatur, et ſudor promoveatur.

Quo reſpectu miſſiones ſanguinis pro ratione circumſtantiarum adminiſtratae utiliſſimae eſſe poſſunt. Temperantia cum opiatis miſcentur, et lac corruptum forte in mammis contentum, conamur per emollitionem atque exſuctionem mammarum educere, ut nullae ſequantur metaſtaſes. Generatim contendimus, omnes cauſas irritantes tollere. Vermes ſunt occaſiones convulſionum frequentiſſimae.

Melancholia et Mania.

In puerperis hic ſtatus eo facilius oriri poteſt, quum ſyſtema earum nervoſum per partum ſit debilitatum, atque adeo quaevis impreſſio in eas efficacior eſſe poſſit. Ceterum ſtatus eſt plerumque tranſitorius.

Praeter cauſas ſolitas hic morbus in puerperis oritur a metaſtaſibus lactis, et proinde methodus antiphlogiſtica, antiſpasmodica et camphorata ſunt indicata.

Subinde ſane metaſtaſis ad cerebrum fieri videtur, ſectiones autem ſaepe mihi cerebrum quoad externam ſpeciem vitii expers oſtendere.

Cauſa ſaepe penitus ignota eſt, atque idem caſus in una eademque puerpera poſt quemvis partum ſub

circumſtantiis admodum mutatis occurrit. Medicamenta roborantia extra periodum graviditatis exhibita forſitan hic malo praevenire poſſunt.

Durante ipſo morbo non alia ratione, quam ſecundum indicationes generales procedere licet. Quodſi tempus fluxus lochiorum jam praeteriit, ſecure etiam balnea frigida uſurpari poſſunt, quae etiam maturius in lochiis ſuppreſſis haud raro ad eorum reſtitutionem ſunt proficua.

SELECTUS ET DESTINATIO

MEDICAMENTORUM

ACCURATIOR.

Injuria mihi fieret, ſi crederetur, omnia me remedia, quae in ſerie ſequenti non nominata, nec commendata ſunt, eo ipſo pro inertibus atque inutilibus declaraviſſe. Minime gentium. Ego ea indigitavi, quae aut e propria experientia novi, aut quibus e convictione alterius loci ſingulares vires ſalutares confido. Multis forſitan carere atque in locum eorum majori cum fructu alia ſubſtituere liceret. Experimenta futura doctura ſunt ea, quae nunc defectibus laborant. Compoſita ſimpliciora in medium prolata ſunt illa, quibus in noſocomio charitatis utor.

MEDICAMENTA.

Acetum vini.

Acetum vini pertinet inter remedia antiſeptica, inſervitque cum aqua permixtum pro potu in febribus inflammatoriis, biliofis et putridis, et ſi homines incaute venena narcotica, uti cicutam, ſolanum furioſum (belladonna L.) aliaque hujusmodi adſumſerunt.

Quum illud partes oleoſas et ſpirituoſas in mixtione ſua contineat, calorem ſubinde parit, ſudorem atque urinam tamen quoque pellit. Ut illud ab hac indole exaeſtuante liberetur, conſuevit deſtillari. Sed ſemper hac in operatione acidum fortiſſimum in fundo remanet, et tantum acidum debilius partibus ſumme volatilibus et ſpirituoſis adſociatur. Quodſi haec deſtillatio penitus e vaſis ſtanneis fit, facile e partibus metallicis aliquid ſolvitur, atque acetum eo ipſo vitiatur. Quare, ubi indolem aceti exaeſtuantem extimeſcimus, ſatius eſt, acida non fermentata, ut ſuccum citri atque acidum tartari exhibere.

Doſis ſecundum morbi et ſtomachi conditionem eſt dirigenda, ſaepe enim aegri acetum, et generatim omnia acida ferre nequeunt. Quo in caſu, inprimis in febribus putridis, utiliter aliquantum vini admiſce-

tur. Initium cum aliquot unciis in duabus libris aquae attenuatis fieri, atque ita doſis ſucceſſive augeri poteſt. Ubi autem illud ut antidotum venenorum narcoticorum adhibere vis, continuo concentratius et quam largiſſime eſt propinandum.

Acetum bezoardicum.

℞. Rad. Angel.
— Valerian.
Hb. Menth.
Flor. Chamom. vulg.
Bacc. Junip.
— Laur. āā ℥ß.
Croc. orient.
Camph. āā ʒj.
Acet. Vini ℔vj.
dig. col. d.

Hoc acetum in peſte atque in febribus nervoſis, rationem ſuam in contagio maligno agnoſcentibus, tam interne, quam externe utiliter adhibetur. Cum drachma una pro doſi per diem aliquoties incipere, et doſis pro re nata augeri licet. (V. *Potio alexipharmaca ſecunda.*) In morbis chronicis, ubi magna debilitas et proclivitas ad animi deliquia adeſt, cum ſale quodam alcalino ſaturari, et tum ad drachmam dimidiam exhiberi poteſt.

Acetum ſquilliticum.

Hoc nihil aliud eſt, quam infuſio radicis ſquillae cum aceto.

Exhibetur, ubi radix ipſa nimium irritaret, vomitumque excitaret, aut ut reſolvens, aut ut diureticum. Doſis eſt omni tri- aut quadrihorio a guttis quadraginta ad quinquaginta.

In hydropibus, ubi radix nimium irritat, et generatim vires deſunt, acetum ſquilliticum cum ſpiritu vini ad partes aequales permixtum exhiberi poteſt. Vid. *Oxymel ſquilliticum* atque *Elixirium reſolvens.*

Acidum tartari eſſentiale.

Tartarus portionem ſalis alcalini in ſe vehit, a quo is ſequenti ratione liberari poteſt. Tartarus in aqua per coctionem, quantum fieri poteſt, ſolvitur, atque haec ſolutio terra calcarea pura, quae acidum tartari purum in ſe recipit, et cum eo ſal medium terreum in aqua inſolubile conſtituit, ſaturatur. Deinde hoc corpus terreum edulcoratur, a quo acidum tartari per acidum vitrioli rurſus liberatur, quod ſcilicet cum terra calcarea majorem habet affinitatem.

Quodſi intendas, aërem fixum ex acidis in connubio terrarum et ſalium alcalinorum evolutum, aut etiam acidum ipſum per parvas doſes in copia in corpus introducere, hoc acidum tartari purum tartaro communi praefertur.

Acidum vitrioli.

Acidum vitrioli reſolutioni ſanguinis putridae reſiſtit, atque inter antiſeptica efficaciſſima refertur. Illud proinde in omnibus febribus, ubi putredo periculum minatur, exhibetur.

Quum illud in forma concentrata admodum ſit cauſticum, ſufficienter aqua eſt diluendum. Drachma vitrioli ad quatuor libras aquae acidas reddendas ſufficit. Ut ſapor hujus potionis gratior fiat, ſyrupus aliquis pro aegroti guſtu eligendus additur. V. *Mixtura acida.*

Adultis, in ſummo putredinis gradu, per diem drachma una olei vitrioli modo proxime dicto propinari poteſt. Infantes ſaepe difficile eſt ad bibendum permovere, atque his pro acido vitrioli alumen exhiberi poteſt.

In ſcabie ſaepe acidum vitrioli ſalutares exſeruit vires. Doſin hic non tam magnam eſſe oportet; drachmam dimidiam quotidie adſumere ſufficit.

Aër dephlogiſticatus.

Corpus ad reſpirationem, ignemque vivificandum, neceſſarium appellamus *aërem purum.* Aër quidem atmoſphaericus his gaudet virtutibus, ſemper tamen portione aëris fixi quadam eſt impraegnatus, qui poſterior proprietatibus indicatis deſtituitur.

Quodſi aër ab omni connubio partium heterogenearum et praeſertim phlogiſticarum liber in medium profertur, tanto adeo tum is ad ſpiritum ducendum eſt aptior, atque experimenta evincunt, animal quater aut quinquies diutius vivere in tali aëre, quam in aëre atmoſphaerico incluſum.

Uſum aëris ejusmodi puri in morbis utiliſſimum eſſe, nulli obnoxium eſt dubio, quum propria quemvis docet experientia, quam ſalutare plerumque ſit aër purus, liber, et quanta moleſtia adficiatur, ſi quis in aëre corrupto, incluſo verſari debeat. Quum interim aër fixus in variis morbis praecipue ſalutarem ſe praeſtiterit, planum eſt, aërem perfecte purum non eſſe in univerſum utilem. Subjectis ſcorbuticis aër campeſtris magis prodeſt, quam longe purior aura maritima.

Corpora, quorum partes ad reſolutionem putrilaginoſam proclives ſunt, aëre indigent, qui cum inſigni aëris fixi quantitate permixtus eſſe poteſt, ne putredo nimium promoveatur, cui nimirum per aërem fixum obex ponitur. Inprimis hoc de ulceribus internis valet.

Ubi e contrario praeſertim in ſeparatione partium phlogiſticarum ex humoribus multum ſitum eſt momenti, uti e. gr. in multis febribus ardentibus, in hypochondria, in acrimonia ſcrophuloſa et ſ. p. hic curandum eſt, uti in his morbis aeger in aëre quam pu-

riſſimo verſetur. In noſocomiis ſemper hoc usque adhuc ſtudium medicorum tantum ex parte ſuccedens fuit. Recentiora experimenta de aëris natura capta videntur nobis auxiliatrices velle porrigere manus, quum jam aërem purum dephlogiſticatum ſiſtere queamus. Minimo pretio et facillime is ex nitro obtinetur, cujus acidum e magna parte hujusmodi aëris conſiſtit, qui durante liquatione ex eodem evolvitur. Praeparatio autem ad hoc difficultatibus quibusdam eſt expoſita, quas alio loco indicavi.

Aër fixus.

Sub nomine *aëris fixi* illum huc intelligo, qui apud ſcriptores recentiores quoque ſub nomine *acidi aërei* innotuit, atque in fermentatione atque mixtione ſalium et terrarum alcalinarum cum acidis evolvitur.

Hic aër primo ut antiſepticum ſe habet, tam propter ſuum acidum, quam etiam, quoniam is motum inteſtinum partium fluidarum, atque in fermentationem tranſeuntium ſupprimit. Utiliter proinde in ulceribus externis malignis applicari poteſt. Quem in finem aut curamus lagenas apud zythopoeum durante fermentatione ex aheno, in quo cereviſia coquitur, impleri, et quidem eo pacto, ut lagenae ſuper fluida fermentantia ſerventur, et poſt aliquod tempus obturentur; aut vero immittimus acidum vitrioli in vas

quoddam cum creta ad efferveſcendum, et pars adfecta ſupra vapores ex eo adſcendentes ſervatur.

Interne duplici tantum ratione applicari poteſt. Aut in connubio cum aqua eſt praebendus, et tum haec aqua aëre fixo impraegnata nulla alia re ab aqua ſelterana diſtinguitur, quam quod huic adhuc quaedam particulae ſalinae adhaereant. Inſignem profecto talis aqua in ſuppurationibus internis praeſtat uſum. Aut ſalia alcalina, ſeu terrae alcalinae atque acida praebentur, et quidem ita, ut ex horum corporum nexu acidum in ventriculo evolvatur, et tum reſorbeatur. Et quidem ſequenti ratione:

℞. Salis Tart. dep. ʒij.
Solv. in
Aqua deſtill. ℥xij.
d. Sign. N°. I.

Nunc inquiritur, quantum acidi vitriolici ad ſaturationem harum ſalis alcalini duarum drachmarum requiratur. Haec quantitas ita reperta pariter cum duodecim unciis aquae miſcetur et ſignatur N°. 2. Tum e N°. 1. ℥j. et e veſtigio poſtea ex N°. 2. quantitas aequalis praebetur, quod quavis hora, ſeu quoque omni bihorio repetitur.

Aër fixus hoc pacto evolutus atque hauſtus ſequentibus gaudet effectibus:

1) In phthiſi pituitoſa tam inſignis eſt virtutis, ut is ſaepe totam medendi rationem abſolvere

poſſit, procul dubio humores corrigendo, pulmonibusque relaxatis ſimul ſuam irritabilitatem reddendo.

2) In doloribus calculoſis ſaepe exſerit vires anodynas, veriſimiliter generationi muci reſiſtendo, qui haud raro cauſa dolorum calculoſorum eſt occaſionalis. Calculum ipſum reſolvendo valere experimenta mea minime docuerunt. Quando atque ubi is exitum calculorum atque arenularum promoverit, hoc ſane magis fuit ſequela irritabilitatis partium adauctae.

3) Inſtructus eſt viribus haemorrhagias pellendi. Ex hac ratione cautio cum illius uſu in phthiſicis eſt obſervanda, atque, ubi is anxietates in pectore parit, ſtatim intermittendus eſt, quia hoc in caſu haemoptyſis eſt extimeſcenda. Ubi e contrario haemorrhagiae ſunt promovendae, uti fluxus menſtruus, atque haemorrhois, atque alias molimina naturae adſunt, magna cum utilitate adhiberi poteſt. Efficacem ſe inprimis praebet in haemorrhoidibus producendis, quodſi is per ſyringam ut enema in inteſtinum rectum introducatur.

Ubi itaque fluxus menſtruus eſt promovendus, et molimina haemorrhoidalia generatim ſunt evitanda, non in inteſtinum rectum, ſed potius ratione prius indicata in ventriculum eſt

inferendus, et potius cum ſale alcalino ſimul aliquid maſſae pilularum balſamicarum eſt ſolvendum. Diffiteri interim nequeo, illum mihi generatim in fluxu menſtruo reſtituendo non ſatis efficacem ſe praebuiſſe.

4) Humores acres atque rancidos in ſtomacho corrigit. Hinc utilis eſt in ardore ventriculi, quo in caſu ſequenti exhibetur modo:

℞. Crem. Tart. ℈ij. vel Acid. Tart. eſſent. ℈j.
Magneſ. Sal. comm. ℈j.
M. f. pulv. d. in 4plo ſeorſim.
Sign. ſumat omni bihorio unum pulverem.

Huic fundamento quoque virtus *potionis Riverii*, in vulgus notae, vomitum ſiſtens inniti videtur, ubi nimirum ſal abſinthii cum acido citri miſcetur, et durante effervefcentia propinatur, quae procul dubio tantum agit, humores acres atque irritantes mitiores reddendo, atque eos educendo.

5) In paralyſi nonnumquam praeſtantiſſimas exſerit vires. Non ita diu aegrotam paralyticam, quae neque ſtando neque incedendo erat, nulla alia re, quam aëre fixo, ratione dicta interne exhibito, ſanitati reſtitui priſtinae.

6) Quam maxime is contra acrimoniam agit ſcorbuticam; hic fere nomen remedii ſpecifici meretur.

Aethiops antimonialis.

℞. Mercur. viv. pur. ℈j.
Antim. crud. ſubtiliſſ. pulv. ℈ij.
M. exactiſſime.

Hoc pharmacum mercuriale inſignis eſt uſus, ubi illud magis ut reſolvens adhibetur, uti e. g. in glandulis ſcrophuloſis in abdomine obſtructis. In ſcabie et gonorrhoea venerea quoque cum fructu adhiberi poteſt. In poſteriori caſu utiliter permiſcetur cum millepedis, ad vires ejus in vias urinarias determinandas.

Adultis praebetur a granis decem ad quindecim. In infantibus initium cum granis aliquot fieri, et doſis pro re nata augeri poteſt.

Aloës.

Aloës inter purgantia draſtica pertinet. Propter amaritiem ſuam eſt praeſtans anthelminticum. Quumque ſimul viribus gaudet irritantibus atque reſolventibus, in obſtructionibus viſcerum abdominis utiliter adhibetur. Prompte etiam fluxiones ſanguinis pellit. Sed facile quoque exaeſtuationes producit, hincque tantum in conſtitutionibus mucoſis et morbis cachecticis adhiberi poteſt.

Ex hac ratione quoque in doſi cautio eſt ſervanda, nec facile ultra grana decem pro una doſi exhibenda;

ut ea quoque generatim eſt evitanda, ubi a congeſtionibus ſanguinis verſus uterum atque inteſtinum rectum quidquam extimeſcendum eſt. V. *Pilulae balſamicae.*

Propter virtutem ejus reſolventem aloës quoque aquis ophthalmicis reſolventibus adjicitur. Vid. *Aqua ophthalmica.*

Alumen.

Alumen eſt remedium adſtringens atque antiſepticum.

Exhibetur proinde in colicis diuturnis, e relaxatione inteſtinorum oriundis; in incontinentia urinae, in haemorrhagiis atque in febribus putridis, ubi illud, inprimis in infantibus, in morbis varioloſis putridis, optimas exſerit vires, quoniam illud facile propinari poteſt.

Solvuntur aliquot grana in ſucco quodam, atque infanti cochlearibus minimis praebetur; per diem a granis decem ad duodecim, quin etiam ad ſcrupulum integrum paulatim praeberi poteſt. In colicis atque in urinae incontinentia doſis paulatim per diem usque ad drachmam unam augeri poteſt, nec inde noxa eſt extimeſcenda.

Antimonium.

Princeps corporum medicamentoſorum, ſine quo non ego medicum agere exoptaverim. Regulus antimonii eſt remedium egregium reſolvens, atque eme-

ticum, ſed hic in antimonio crudo partes regulinae intimius cum ſulphure ſunt connexae, quam ut virtutem ſibi propriam exſerere poſſent. Non proinde illud adhibere ſoleo, ſed; ubi mihi tantum reſolvendi et vomitum excitandi ſcopus eſt, exhibeo aquam benedictam Rulandi, ubi vero ſimul ſcopum refrigerandi transpirationemque promovendi habeo, nitrum antimoniatum per inſpiſſationem paratum, aut antimonium diaphoreticum non edulcoratum.

Aqua benedicta Rulandi.

℞. Croci Metallorum ℥j.
Vini Gallic. opt. ℥xxx.
Stent per aliquot dies in digeſtione, tunc filtrentur exactiſſime.

Ex antimonii praeparatis hoc eſt praecipuum atque efficaciſſimum. A drachmis tribus ad quatuor exhibitum eſt emeticum tutiſſimum, et reſolventium praeſtantiſſimum in doſibus parvis atque refractis. Sputum in peripneumonia promovet, atque ubique, ubi obſtructiones viſcerum adſunt, optimo cum ſucceſſu adhibendum. In mania ſaepe per diem ab unciis octo ad decem eſt propinandum, priusquam ullam evacuationem producat. Semper autem profecto doſis ſenſim ſenſimque eſt augenda, et quotidie ad effectum eſt attendendum.

Vinum

Vinum antimoniatum Huxhami in eo tantum ab hoc pharmaco differt, quod loco croci metallorum vitrum antimonii ſumatur, atque uncia una illius cum unciis viginti quatuor vini maderatici digeratur, quod vero nullam facit differentiam eſſentialem, quum hic ſumma rei a reſolutione partium regulinarum pendet. Quum vitrum antimonii ſit efficacius, quam metallorum crocus, doſis vini Huxhami quoque eſt minor. Neque poſterius ut emeticum, ſed ut reſolvens a guttis triginta ad octoginta exhibetur.

Aqua calcis vivae.

Calx viva eſt terra calcarea ab aëre fixo liberata, et veriſimiliter partibus igneis impraegnata, quae jam cauſtica eſt, atque in aqua ſolubilis. Vi cauſticitatis ſuae ſimul eſt reſolvens, et proinde aqua calcis vivae non tantum in obſtructionibus viſcerum fuit adhibita, ſed etiam pro remedio calculos renales et veſicae reſolvente habita. Haec ultima ejus virtus non eſt confirmata, ſed in prioribus caſibus illa eſt ſane efficax, ac in febribus hecticis cum lacte hauſtum praeclari ſaepe eſt uſus. Quum aër atmoſphaericus ſemper ſimul aërem fixum in ſe contineat, facile poſterior terrae cauſticae in aqua ſolutae ſeſe adſociat, quo eam rurſus in terram crudam calcaream atque in aqua inſolubilem regenerat, atque adeo eam praecipitat, atque aquam reddit inertem. Illuc proinde in

uſu aquae calcis vivae eſt reſpiciendum, ut ea ſemper recens e calce recenter exuſta, et, ſi fieri poteſt, e conchis calcinatis praeparetur.

Aqua chamomillae florum cum et ſine vino.

Aqua florum chamomillae ſine vino in omnibus mixturis refrigerantibus atque antiſpasmodicis optimum eſt vehiculum. Aqua florum chamomillae cum vino ſubinde in ſpasmis e debilitate quavis hora ad cochleare ordinarium utiliter exhiberi, aut etiam, ubi enervatio, agitationes ſanguinis et ſpasmi ſimul adſunt, ut nitri ſolutivum adhiberi poteſt.

Aqua cinnamomi cum et ſine vino.

Quum cinnamomum facile calefaciat, hae aquae tantum in debilitatibus inſignibus chronicis, et praeſertim ad uſum externum applicari poſſunt; pro ſolventibus extractorum amarorum in debilitate ventriculi atque inteſtinorum ſingulari quoque inſerviunt.

Aqua foeniculi.

Aqua foeniculi eſt praeſtans remediorum antiſpasmodicorum vehiculum, quia ea ſimul flatus pellit.

Aqua menthae cum et ſine vino.

Hae aquae cum aquis florum chamomillae eadem fere gaudent virtute. Sed aegri dantur, qui unam aut

alteram earum averſantur, atque hac ex ratione utrasque hic commemoro.

Efficaciores adhuc ſunt hae aquae menthae, quodſi illae e mentha piperitide ſunt paratae.

Aqua mineralis.

Omnes aquae minerales in eo inter ſe conveniunt, quod illae majorem aut minorem, verumtamen ſimul in ſenſus incurrentem aëris fixi portionem in ſe vehant.

Hoc acidum aëreum in aqua aut purum, aut in nexu cum partibus terreis, ſalinis et metallicis continetur, atque in hoc differentia aquarum mineralium eſt ſita.

Vi acidi aërei hae aquae virtute facile corpus permeandi ex illoque exeundi gaudent. Quodſi proinde aqua quaedam nulla alia re, quam acido aëreo fuerit permixta, magna jam pro aqua communi gaudet praerogativa, quae inſtrumentis concoctionis exiſtentibus debilibus facilius moleſtias creat.

Aër eſt corpus illud, quod partes terreas et metallicas in his aquis ſolutas retinet. Quamprimum itaque aër fixus ex illis migravit, illae ad fundum praecipitantur, et aqua redditur iners.

Eo ipſo, quod hae partes menſtruo tam tenui adhaereant atque in copia aquae attenuatae ſint, per quam in ſubtiliſſimas corporis canales deferuntur,

nanciſcuntur hae partes efficaciam, quam illae in alia forma non habuiſſent.

Generatim in uſu aquarum mineralium illuc reſpiciendum eſt, utrum corpora, in quibus eas applicare velis, in haemorrhagias noxias proclivia ſint an non.

In priori caſu magna cum cautione illae ſunt adhibendae, quandoquidem aër fixus haemorrhagias tam facile promoveat.

Sequentes aquae minerales apud nos praecipue ſunt in uſu:

1) *Aqua ſelterana.* Haec aqua largiorem acidi aërei liberi copiam in ſinu ſuo fovet, et praeterea nonnihil alcali mineralis in ſua mixtione vehit. Illa in ſuppurationibus internis pro potu ordinario magna cum utilitate adhibetur.

2) *Aqua ſedlicenſis.* Haec ex acido aëreo et ſale amaro conſiſtit. Propter utramque partem conſtituentem vi gaudet purgante, atque ad primarum viarum et pancreatis purgationem adhibetur. Caute tamen in corporibus ad congeſtiones haemorrhoidales proclivibus eſt adhibenda, quoniam ea fiſtulas atque haemorrhagias inteſtini recti poſt ſe trahere poteſt.

3) *Thermae Carolinae.* Pars earum principalis eſt ſal ſali Glauberi prope accedens, et cujus pars alcalina praedominatur. Alvum proinde movet, et ſecretionem urinae urget, atque in intemperie

mucoſa infarctuque viſcerum abdominis in debilitate hypochondriaca ſunt utiliſſimae.

4) *Thermae Hirſchbergenſes*, *Landeckenſes* et *Toeplitzenſes*, lixivioſo-ſulphureae. In ſudorem praecipue agunt. Utplurimum pro balneis uſurpantur. Interne vero quoque utiliter hauriri poſſunt. In acrimonia ſcrophuloſa praecipue ſunt utiles.

5) *Thermae Aquisgranenſes.* Omnes fere ex acido aëreo et ſulphure conſiſtunt, quare in acrimonia ſcabioſa et ſcrophuloſa aeque utiliter adhiberi poſſunt.

6) *Aquae Freyenwaldenſes*, *Lauchſtaedtenſes* et *Berolinenſes*, acidum aëreum et martem continent, quare ad fibras relaxatas roborandas inſerviunt. Semper fere ut balnea in uſu ſunt. Interne autem quoque utiliter potari poſſunt.

7) *Aqua Spadana*, ut e Freyenwaldenſi et Selterana compoſita conſiderari poteſt, quoniam illa ex acido aëreo, aliquanto marte, partibusque ſalino-alcalinis conſtat. Quare praeclarum eſt aperiens, quod ſimul etiam roborat.

8) *Aqua Egrana*, praeter acidum aëreum, parteſque nonnullas martiales, ſal indoli Glauberi ſimile in ſinu ſuo alit, hinc tantum in alvum agit, atque ad humores mucoſos diſſolvendos inſervit.

9) *Aqua Pyrmontana*, diſtinguitur a proxima per partes martiales copioſiores, atque hinc majori gaudet virtute roborante quam aquae minerales reliquae, ſed majorem etiam in uſu ſuo requirit cautionem, quoniam ea gravis eſt, nec tam facile ſyſtema lymphaticum permeat.

Omnium harum aquarum uſus utilior eſt apud fontes ipſos. Quamprimum in alia loca transferuntur, portionem aliquam partis ſuae maxime eſſentialis, acidi aërei, et cum eo partes prius illi adhaerentes, nunc vero ad fundum praecipitatas amittunt.

Aqua ophthalmica confortans.

℞. Aquae Chamomillae ſ. v. ℥viij.
Extr. Saturn.
Spirit. Vin. camph. āā ʒij.
Vitriol. alb. ʒj.
M. d.

In epiphora et lippitudine e laxitate haec aqua ophthalmica optime conducit.

Aqua ophthalmica reſolvens.

℞. Aquae Chamom. ſ. v. ℥vj.
—— bened. Rul. ℥ij.
Eſſent. aloës.
Liquam. Myrrh. āā ʒij.
M. d.

In maculis corneae et ſtaphylomatibus haec aqua quotidie aliquot vicibus in oculos inſtillata optimam exſerit virtutem. Quodſi ea in initio nimium irritaret, adhuc magis dilui poteſt.

Aqua phagedaenica.

E praeſcriptione vulgari ea e mercurio ſublimato atque aqua calcis vivae paratur. Quum vero aqua calcis quoad vires admodum ſit varia, atque haud raro ſit antiqua inersque, ſatius eſt, ſolutionem mercurii inferius deſcribendam in acido nitri pro re nata cum aqua quadam deſtillata diluere atque ibi adhibere, ubi ulcera maligna ſunt purificanda.

Aqua ſambuci florum.

Compoſitioni mixturarum ſudorem pellentium haec aqua optimum praebet vehiculum.

Aqua ſclopetaria Thedenii.

℞. Acet. Vin.
Spir. Vin. R. āā ℔iij.
Sach. alb. ℔j.
Spir. Vitriol. ℥x.
M. d.

Hoc remedium non tantum eſt antiphlogiſticum, ſed ſimul etiam antiſepticum, hincque in ulceribus ſcorbuticis, inflammationibusque putridis optimi eſt

uſus. Inventor hujus remedii illi majores adhuc adſcribit virtutes, quodſi ei extracta martialia atque herbarum vulnerariarum ac ſal ammoniacum admiſcentur, quod poſterius autem per acidum vitriolicum decomponitur.

Arſenicum.

Hoc remedium diu e materia medica fuit relegatum, quamvis non deſint optimae obſervationes de laudabilibus ejusdem virtutibus.

A quo tempore ſalia mercurialia cauſtica absque metú adhibentur, arſenicum non eſſet reprobandum, quoniam illud eſt corroſivum. In quibusdam malis cancroſis manifeſtam mihi praeſtitit utilitatem, atque in morbo tam pertinaci omnino ad remedia extraordinaria confugere licet. Formula Lafeburica, quam ſecutus fui, ita ſe habet.

℞. Arſenic. alb. grij.
Sach. alb. ℥j.
Miſc. exactiſſime et ſolve in
Aqu. deſtill. ℔ij.
M. d.

Ex hac mixtura jubetur aeger primum per octiduum omni mane jejunus uno cochleari ordinario cum lacte adſumere, atque haec doſis ſenſim ſenſimque quotidie bis terve exhiberi poteſt. Externe ſolutio applicatur, ut illa per ſe eſt. Veteres in morbis

a lympha corrupta oriundis ſandarachum minerale ex arſenico cum ſulphure combinato conſtans adhibebant.

Baccae Juniperi.

Baccae Juniperi multum in virtute ſua cum terebinthina habent ſimilitudinis, illae proinde in infuſo ut diureticum in hydropibus, ubi ſimul relaxatio adeſt, adhiberi poſſunt. Vid. *Species purificantes.*

Balnea.

Balnea calida ſunt antiſpasmodica, quoniam ea relaxant et per cutis calefactionem circulationem ſanguinis aequaliorem reddunt. Ea igitur in omnibus ſpasmis, ubi opium nullum praebet effectum, aut non convenit, attamen materiae irritanti non prius eſt accedendum, quam usque ſpasmus remiſit, inſerviunt. Ea igitur in plethora, reſolutione humorum ac debilitate partium ſolidarum nimia nocent.

Balnea frigida proxime in cutem agunt, eamque roborant. Quae igitur tantum gradatim ſunt adhibenda.

Embrocatio tamquam remedium agit percuſſorium.

Balſamus Copaive.

Hic in effectu ſuo a terebinthina in eo differt, quod is uti hic urinae odorem violaceum non communicet. Ubi de bonitate ac puritate terebinthinae

nullam habemus ſecuritatem, hoc balſamo uti poſſumus, qui in gonorrhoeis virulentis, quodſi tenſio inflammatoria eſt ſublata, praeſtantem exſerit virtutem.

Balſamus ſulphuris.

Quodſi ſulphure in forma fluida uti volumus, tunc ille aut in oleo aniſi aut oleo terebinthinae ſolvitur. Balſamus ſulphuris aniſatus inprimis in thoracis ſtaſibus ab acrimonia rheumatica et ſcabioſa, prodeſt, ſicuti balſamus terebinthinatus in abdominis ſtaſibus locum habet. In utroque caſu in connubio cum naphta vitrioli utiliter datur.

Borax.

Borax alias pro remedio fluxum ſanguinis pellente et partum promovente fuit habitum; effectus, quibus hodie vix fides adhibetur. Propterea eam tantum hic adfero, quia ea qualitate cremorem tartari in aqua ſolubilem reddendi gaudet, quod alias difficulter procedit, atque in uſu moleſtias nonnullas efficit. Drachma boracis unciae unae cremoris tartari miſcetur, atque haec mixtura in aqua ferventi ſolvitur. In aphthis quoque ea efficaciter ſe praeſtitit.

Butyrum antimonii.

Hoc eſt ſolutio reguli antimonii in acido ſalis, atque remedium cauſticum acre. Simul autem vires ad-

modum reſolventes et discutientes poſſidet. Cum fructu itaque in maculis corneae et ſtaphylomatibus adhiberi poteſt, quodſi alia remedia non ſufficiant.

Applicatio cum cautione eſt inſtituenda. Finis plumae pennae intingitur, et locus conſtipatus atque obſcuratus cum ea attingitur. Per irritationem inde oriundam lacrymae mox eliciuntur; quae remedium ſatis diluunt atque innoxium reddunt.

Camphora.

Camphora putredini reſiſtit, viribus gaudet reſolventibus, verſus cutem atque in ſudorem efficaciſſime agit, nec tamen calorem auget febrilem. In omnibus itaque febribus, ubi putredo eſt extimeſcenda, attamen ſimul ſtaſes inflammatoriae ſunt reſolvendae, transpiratioque eſt promovenda, maxime ea prodeſt.

In his caſibus optime cum ſacharo praeparata omni bihorio a grano uno usque ad quatuor exhibetur.

Proprium autem illi eſt, ut eam multi ſtomachi ferre nequeant, cujus rei ratio eſt habenda.

Neque ibi ea eſt exhibenda, ubi ſecretionem urinae promovere vis, quia haec eam imminuit.

Ex hac ratione ibi etiam illa eſt utiliſſima, ubi diuretica nimis acria exhibita fuere, aut cantharides mictum pariunt difficilem. Ea tum in emulſionibus exhibetur.

Ubi ea nimis frequenter adhibetur, vires procreandi ſaepe debilitat, quod forſitan inde oritur, quod illa congeſtionibus humorum in has partes tantopere intercedat.

In melancholicis ſaepe ut ſpecificum agit; quodſi in doſibus ſucceſſive augendis quotidie ad unciam dimidiam exhibeatur. Difficile autem eſt decernere, num ea immediate in nervos, an obſtructiones pertinaces tollendo agat.

Cantharides.

Externe remedium diſcutiens et revellens. (Vid. *Emplaſtrum veſicatorium.*) Interne diureticum acre, quae tamen tantum in gonorrhoeis benignis pertinacibus, atque in urinae incontinentia e relaxatione adhibetur. (V. *Tinctura cantharidum.*) Haec vis in urinam tam eſt vehemens, ut ab uno grano facillime ſtranguriae graviſſimae mictusque cruentus conſequi poſſint. Camphora hic verum eſt antidotum, non ſolum effectum jam praeſentem tollens, ſed etiam illum praeoccupans. Hoc remedium quoque ut reſolvens adhiberi poteſt. In tumoribus articulorum oedematoſis utiles mihi ſaepe fuere.

Caſtoreum.

Hoc remedium inter antihyſterica refertur. Solummodo per odorem ſaepe agit. Quodſi ratio ad

alia remedia e. gr. opium atque aſſam foetidam ſufficiens deſit, aut prius forſitan propterea minus adhibenda eſſe videatur, quia illud facile obſtructionem alvi pariat, caſtoreum a granis decem usque ad viginti pro doſi exhiberi poteſt.

Conchae praeparatae.

Conchae praeparatae inter abſorbentia pertinent. Illis uti licet, ubi oculos cancrorum ad manus non habemus, aut extimeſcimus, magneſiam ſalis communis, alias illis praeferendam, non eſſe rite praeparatam.

Per ſe ſolae non facile exhibentur, ſed illae remediis aliis, acido in primis viis praeſente, e. gr. rhabarbaro utiliter adduntur.

Bonum quoque temperans praebent, quodſi illae acido vegetabili ſaturentur. V. *Mixtura refrigerans.*

Conſerva antiſcorbutica.

℞. Hb. rec. Cochlear. Grönland.
— — Naſturt. aquat.
— — Trifol. fibr. āā.
Sacchar. alb. q. ſ.
M. f. conſerva. d.

Hoc praeparatum in acrimonia humorum ſcorbutica inſigni cum utilitate hieme exhiberi poteſt.

Cortex caſcarillae.

Cortex caſcarillae, quoad virtutem ſuam a cortice peruviano in eo diſtinguitur, quod is minus ſit adſtringens, atque aliquanto magis exaeſtuans. E quibus rationibus ego eum in febribus continuis malignis, atque in dyſenteria cortici peruviano praefero, quoniam is excretiones minus turbat, atque in ſudorem ſimul agit. Propter vim ſuam exaeſtuantem quoque in temperatiori doſi eſt exhibendus, quam cortex peruvianus.

Cortex chinae.

Cortex peruvianus duabus inprimis inſtructus eſt virtutibus; putredini reſiſtit, et ſyſtema roborat nervoſum. Is itaque in febribus putridis, malignis atque intermittentibus, in phthiſi pituitoſa atque in omnibus debilitatibus adhibetur.

Cortex chinae ruber vulgari tenuiori et minus colorato longe eſt praeaeſtimandus.

Quodſi in febribus adhibetur putridis, tempore ſemper tantum remiſſionis, et quidem tantum infuſum ejus aquoſum cochleatim quavis hora eſt exhibendum, quia is alias evacuationes criticas ſupprimere, atque eo ipſo metaſtaſibus anſam praebere poteſt.

In febribus nervoſis cum diaphoreticis eſt combinandus. Hoc in caſu infuſum cum mixtura diaphore-

tica ad partes aequales miſceri poteſt. Generatim in febribus continuis ibi tantum exhibetur, ubi cauſae ad credendum adſunt, fore ut ſyſtema nervoſum ſuccumbere poſſit.

Inprimis in corticis uſu in febribus ſemper illuc eſt reſpiciendum, num is cutem et linguam ſiccas, reſpirationemque difficilem reddat. Hoc in caſu aut ab ejus uſu eſt abſtinendum, aut is cum diaphoreticis eſt connectendus. Ubi in debilitate ſudores adſunt ſymptomatici, nec ſitis eſt inſignis, optimum effectum exſerere ſolet.

In febribus intermittentibus poſt purgationem praegreſſam tempore intercalari, et quidem in ſubſtantia exhibetur. In febribus quartanis, ubi adhuc obſtructiones ſunt extimeſcendae, primum in connubio cum ſale ammoniaco exhibendus eſt. Omni bihorio ſcrupulus unus corticis peruviani cum decem granis ſalis ammoniaci permixtus ordinari poteſt. Quodſi is neque obſtructionem, neque diarrhoeam parit, ſal ammoniacum omitti, et doſis ſenſim ſenſimque augeri poteſt. In febribus intermittentibus malignis ſubito in primis temporibus intermediis quavis hora ad drachmam unam exhibendus eſt. Notum eſt, febres intermittentes ſaepe e levibus cauſis facile recrudeſcere. Hi reditus in febribus tertianis tam ſimplicibus, quam complicatis inprimis poſt ſeptem dies, atque in febribus quotidianis et quartanis poſt dies quatuordecim

eveniunt. His recidivis ſecundum obſervationes practicas ſequenti pacto occurri poteſt. Exhibetur nimirum die ſeptimo poſt febris tertianae emanſionem, et die decimo quarto poſt febres quartanas et quotidianas ſublatas cortex peruvianus de integro, atque in utroque caſu jubetur aeger ejus uſum adhuc per octo dies continuare.

In phthiſi pituitoſa originis catarrhalis pariter praeclariſſimas exſerit vires, dummodo is, ut in omnibus febribus, tempore remiſſionis praebeatur, atque initium cum infuſo fiat.

Inſignis aeque eſt efficaciae in omnibus debilitatibus ſyſtematis nervoſi chronicis, licet hic ſemper alia remedia ſimul in auxilium ſint adhibenda.

Nonnumquam is facile vomitum excitat, quum tunc eum pro re nata cum cinnamomo aut opio conjungere poſſumus.

In ulceribus externis, ubi vires, atque adeo pus bonum deficit, egregium praeſtat uſum, uti etiam in gangraena, quotidie ad aliquot uncias in ſubſtantia exhibetur.

In his caſibus quoque externe utiliter applicari, atque in gangraena cum ſale ammoniaco miſceri, ex eo cum aceto vini cataplasma tenue fieri et locis gangraenoſis ſuperimponi poteſt.

Num ceterum radix caryophyllatae (geum urbanum) vices corticis peruviani ſupplere queat, ut obſervationes

ſervationes recentiores praedicant, e propria experientia conſtituere nequeo.

Cortex Cinnamomi.

Aquae cum eo deſtillatae in uſu ſunt. (V. *Aqua cinnamomi.*) Oleum nimirum calefacit, et quum illud in aquis adſit, his contenti eſſe poſſumus.

Cortex Mezerei.

Cortex mezerei externe ut veſicatorium, ad ulcera artificialia excitanda, applicatur. Nimium vero irritat, nec in eadem ratione multum producit ſuppurationis, quod tamen poſterius in ulceribus artificialibus intenditur. Majori cum utilitate adhibetur interne in morbis venereis, ubi partes ſolidae, praecipue oſſa, ſunt invaſa, et propter conditionem humorum malam non libenter mercurialia exhibemus. Jubetur unciam dimidiam hujus corticis cum parte radicis glycyrrhizae aequali in duabus libris aquae ad unam libram colaturae coquere, et primo cum libra hujus decocti dimidia initium fieri. In morbis ſcrophuloſis Angli hoc cortice in connubio cum cicuta utuntur.

Cortex Simarubae.

Hic cortex cum caſcarilla multum habet ſimilitudinis, atque inſigni cum utilitate in diarrhoeis enervantibus ac in dyſenteria adhibetur. Alvum adſtrin-

git, atque in tranſpirationem agit. Neque tantopere calefacit, ut caſcarilla, ita ut is exhiberi poſſit, ubi illa nimium exaeſtuans eſſe videtur. Commodiſſime in decocto aut infuſo praebetur, e. gr. uncia dimidia ad colaturam unciarum octo, atque ex hoc quavis hora cochleare ordinarium.

Cremor tartari.

Cremor tartari valde egregium eſt laxans, in ſaburra putrida bilioſa. Optime pro potu ordinario adhibetur. Uncias duas cum tribus aquae libris in vaſe terreo fortiter coqui, clarificari, atque aliquantum mellis aut ſacchari addi jubemus.

Quodſi cremor tartari per operationem chemicam a ſale alcalino ipſi adhaerenti liberatur, ex hoc acido ſalis tartari puro cum melle, aut, quod adhuc praeſtantius eſt, cum manna ſyrupum uſui ſervandum parare licet, qui eſt laxans antiphlogiſticum excellentiſſimum.

Crocus.

Crocus inter anodyna atque analeptica refertur, quare in morbis nervoſis, rationem ſuam in debilitate ac enervatione agnoſcentibus, adhiberi poteſt. (Vid. *Laudanum liquidum Sydenhami*, et *Pilulae antihyſtericae.*) Haemorrhoides et fluxum menſtruum quoque pellit. Vid. *Pilulae balſamicae.*

Crocus metallorum.

℞. Antimon. crud. pulv.
Nitri dep. pulveriſ. āā.

M. detonentur in crucibulo ignito et edulcorentur.

Hac operatione ſulphur antimonii deſtruitur, et pars quaedam reguli calcinatur. Hinc in lixivio ab edulcoratione remanente obtinetur nitrum antimoniatum. Maſſa edulcorata, quae nunc crocus metallorum audit, e partibus regulinis conſiſtit, quarum nonnullae calcinatae, aliae per portionem aliquam ſulphuris nexae, atque aliae paucae ſunt prorſus liberae. Duae poſteriores ſunt illae, quae vino vim impertiunt emeticam. Vid. *Aqua benedicta Rulandi.*

Electricitas.

Aër atmoſphaericus ſemper majori aut minori copia materiae electricae eſt repletus, quae corporibus animalibus partim per cutem, partim per reſpirationem communicatur, atque effectum certum et proportionatum in illis producit.

Corpus ipſum humanum ſemper majorem aut minorem materiae electricae quantitatem poſſidet, quam illud non ex aëre attrahit, ſed vi partium conſtituentium alimentorumque adſumptorum habet.

Corpus illud, quod praeter propriam electricitatem adhuc incrementum ejusdem extrinſecus obtinet, dicitur *poſitiva* gaudere *electricitate.* Corpus illud,

quod electricitatem ſuam corpori alieno communicat, atque adeo ab eadem privatur, eſt in *electricitate negativa.*

Quodſi proinde electricitatem ut remedium adhibere vis, neceſſe eſt, ut corpus materia electrica nimium abundans, negativa, illud e contrario, cui electricitas deeſt, poſitiva impartiare electricitate.

Effectus electricitatis poſitivae, ſeu abundantiae ejusdem in corpore humano ſunt ſequentes:

1) Circulationem ſanguinis ad partem quintam aut ſextam auget.

2) Secretiones facilius et citius procedunt.

3) Omnes corporis humores attenuat.

4) Omnia noſtra organa generatim irritabiliora et ſenſibiliora reddit.

Ubi itaque fibrae ſunt laxae, circulatio ſanguinis eſt tardior, ſecretiones non ſufficienter procedunt, humoresque facile ſtagnant, electricitas deeſſe videtur, per cujus compenſationem vitiis recenſitis occurrere licet.

Electricitas proinde poſitiva reſolutioni glandularum induratarum, promotioni haemorrhagiarum, curationique paralyſium atque rheumatismorum inveteratorum inſervire poteſt.

Ubi e contrario nimia adeſt irritabilitas, atque ex hac plane ratione facile ſpasmi et dolores oriuntur, electricitas negativa proficua eſſe poteſt.

Quodſi itaque generatim corpus materia electrica implere, aut illud abundanti ſua electricitate privare velis, in priori caſu ſufficit, illud ab aliis corporibus ſeparare, atque ita electriſare.

Quodſi vero ſeorſim inprimis in partes ſingulares, e. g. in indurationes, membra paralytica et ſ. p. agere velimus, nitimur materiam per has plane partes impertiri, aut eam educere, ut concuſſio inde oriunda proxime in partem adfectam agere poſſit.

Experientia docuit, numquam fere eſſe conſultum, fortes ictus praebere, ſed optimum effectum ſequi, ſi materia electrica ſenſim ſenſimque per corpus ligneum aut metallicum acuminatum educatur, ita ut aeger numquam ſenſationes moleſtas inde experiatur, quo in caſu autem ſufficienter magna machina eſſe debet.

Elixirium antiſcorbuticum.

℞. Extr. trifol. fibr.
— Centaur. min.
— Fumar.
— Graminis āā ℥ß. } Aquoſ.
Solv. in
Aqu. flor. chamomill. ℔iv.
adm.
Spirit. Cochlear. ℥ij.
Ol. Vitriol. ʒij.
M. d.

Optimum hoc eſt remedium, ubi obſtructiones et debilitas in abdominis viſceribus in conditione humorum ſcorbutica, adſunt. Ex eo ante et poſt meridiem cochleare adſumendum ordinari poteſt.

Simplicius.

℞. Extr. Abſinth. ℥ij.
Solv. in
Aqu. font. ℔iv.
adm.
Spirit. Cochlear. ℥ij.
Ol. Vitriol. ʒij.
M. d.

Elixirium reſolvens.

℞. Sal. Tartar. dep. ℥j.
Satur. c.
Acet. Squillit.
adm.
Extract. Fumar.
—— Millefol.
—— Trifol. fibr.
—— Card. bened. aa ℥ß. } Aquoſ.
Aquae Chamom. ſ. v. ℔iv.
Tinct. Antim. Jacobi.
— Mart. aperitiv. aa ℥j.
M. d.

Haec mixtura in morbis cachecticis et praecipue in hydropibus, ubi obſtructiones viſcerum abdominis juxta cum relaxatione adſunt, magno cum fructu omni bihorio ad cochlearis ordinarii dimidium adhiberi poteſt.

Simplicius.

℞. Sal. Tartar. ℥iv.
Satur. c.
Acet. Vin.
adm.
Extr. Card. bened.
— Millefol. āā ℥j.
M. d.

Elixirium roborans.

℞. Extr. cort. peruv. } Aquoſ.
— — Caſcarillae
— Gentian. rubr.
— Chamomillae āā ℥ß.
Solv. in
Aqu. Menth. piperit. ſ. v. ℔iv.
adm.
Tinct. mart. adſting. ℥iv.
M. d.

In debilitate ſtomachi atque inteſtinorum poſt febres ardentes ſuperatas, aut poſt alias enervationes

hoc remedium ad aliquot cochlearia quotidie eſt exhibendum.

Simplicius.

℞. Extr. cort. Caſcar.
— Gent. rubr. āā ℥j.
Solv. in
Aqu. font. ℔iv.
adm.
Tinct. Mart adſtr. ℥iv.
M. d.

Emplaſtrum de ammoniaco cum mercurio.

℞. Argenti vivi ℥iij.
Balſ. Sulph. ſimpl. ʒj.
miſc. exactiſſ. et paulatim adm.
Gum. ammoniac. liquefacti ℔ij.
d.

Hoc emplaſtrum excellens eſt reſolvens, inprimis ubi ſtaſes indolis ſunt venereae.

Emplaſtrum de cicuta.

℞. Succ. rec. cicutae ℥xvj.
Pulv. herb. cicut. rec.
Gumm. ammoniac.
Acet. Squillit. āā ℥viij.
Cer. citr.
Ol. olivar. āā ℥iv.
M. f. l. a. emplaſtrum.

Hoc emplaſtrum pariter egregias vires poſſidet reſolventes, inprimis in tumoribus ſcrophuloſis, hinc utiliter in tumoribus articulorum applicatur.

Emplaſtrum reſolvens Schmuckeri.

℞. Gum. ammoniac. ℔iij,

—— Aſſ. foetid. ℔j,

Sap. Venet. ℔ß.

Solv. in

Acet Vin. q. ſ. inſpiſſ. len. ad conſ. Empl. d.

Quodſi ſtaſes et tumores ſimul a ſpasmis pendent, magna cum utilitate hoc emplaſtrum eſt applicandum. Cum fructu illud a me quoque in tumoribus articulorum e cauſis externis natis fuit adhibitum. Ubi nulla proclivitas ad inflammationem adeſt, loco ſaponis mel adhibere licet, quo praeclarum obtinetur remedium reſolvens.

Emplaſtrum veſicatorium.

℞. Cerae flav. ℥x,

Tereb. venet.

Ol. olivar. āā ℥iij.

Pulv. Cantharid. ℥viij.

M. f. l. a. Empl. d.

Ubi multum adeſt irritabilitatis, bono cum ſucceſſu emplaſtrum, antequam illud applicaretur, cum tantillo camphorae malaxatur, quo ſtranguriae alias forte eventurae interceditur.

Emplaſtrum veſicatorium perpetuum.

℞. Pulv. Cantharid. ℥iß.
— Gi. Euphorb. ℥j.
— — Maſtich.
Terebinth. ven. āā ℥iv.
M. f. l. a. Empl. d.

Hoc emplaſtrum tantum per ſe ut rubefaciens adhiberi poteſt, quum illud tum in defluxionibus, inprimis in ophthalmiis inſigniter juvet, praecipue prius camphora malaxatum. Maxime quoque proficuum eſt, ad loca per veſicatoria elevata in ſuppuratione conſervandum.

Eſſentia aloës.

Solutio aloës in ſpiritu vini remediis externis ad vulnera mundificanda, aquis ophthalmicis, atque elixirio reſolventi aut roboranti admiſceri poteſt, dejectione alvina non ſatis prompta. V. *Aloë.*

Eſſentia Angelicae.

Inter alexipharmaca refertur.

Eſſentia Aſſae foetidae.

℞. Gi. Aſſae foet. ℥ij.
Spir. Vin. R. ℔j.
Dig. col. d.

In ſymptomatibus hyſtericis haec eſſentia ad drachmam unam exhiberi poteſt. Vid. *Mixtura antihyſterica* et *Gummi aſſae foetidae.*

Eſſentia corticum aurantiorum.

Ea eſt, ut remedium flatus diſcutiens, proficua.

Eſſentia Caſtorei.

Pariter inter antihyſterica pertinet, atque ad drachmam unam praeberi poteſt. V. *Caſtoreum.*

Eſſentia Pimpinellae albae.

Radix pimpinellae virtute leniter irritante et reſolvente gaudet. Hinc haec eſſentia gargariſmatibus admixta ſtaſibus catarrhalibus in collo reſolvendis inſervit. Vid. *Radix pimpinellae albae.*

Eſſentia Valerianae.

In febribus putridis et malignis mixturis diaphoreticis admiſceri poteſt, ita ut quotidie ad unciam dimidiam exhibeatur. Vid. *Radix Valerianae.*

Extractum abſinthii aquoſum.

Hoc remedium in morbis a vermibus et muci redundantia in primis viis adhibetur. A drachma dimidia usque ad integram quotidie in aqua chamomillae ſolutum exhiberi poteſt.

Extractum Ligni Campechenſis aquoſum.

Hoc remedium eſt adſtringens, et ſimul plus minusve demulcens. Quare in diarrhoeis diuturnis non repente cohibendis quotidie a drachma una usque ad duas utiliter adhibetur. Raro interim hoc extractum praeparatum habere licet, et ſane difficulter quoque ſubſtantia adſtringens ex hoc ligno extrahi poteſt. Id guſtu extracto glycirrhizae ſimili eſt gaudendum. Uſus hujus remedii praecipue locum habet, ubi cortex Simarubae eſt nimis exaeſtuans.

Extractum Caſcarillae aquoſum.

(V. *Cortex caſcarillae.*) Hoc extractum aut cum pulvere quodam temperante permixtum, aut in ſolutione praebetur, ubi ſcopum quidem roborandi, nec tamen adſtringendi habemus. Quovis bihorio cum aliquot granis initium fieri, et pro re nata quotidie ad drachmam dimidiam in plures doſes diviſum praeberi poteſt. Vid. *Elixirium roborans.*

Extractum centaurei minoris aquoſum.

Id e remediis eſt reſolventibus et ſimul leniter roborantibus. Vid. *Elixirium reſolvens* atque *antiſcorbuticum.*

Extractum florum Chamomillae aquoſum.

Quum chamomilla ſpecifica virtute erga ſyſtema nervoſum ſit inſtructa, hoc extractum utiliter prae-

betur, ubi forte cortex chinae exhiberi nequit, aut etiam cum aliis remediis combinatur. Vid. *Elixirium roborans.*

Extractum corticis chinae aquoſum.

Multum in praeparatione hujus extracti in eo ſitum eſt momenti, ne extractio per coctionem ſubitam, ſed infuſionem diuturnam, atque inſpiſſatio pariter non nimium cito, ſed paulatim contingat. Sal eſſentiale ita dictum ſolummodo per frictionem mechanicam praeparatur; methodus, quam nunc quoque in aliorum extractorum praeparatione exhibeo.

Utiliter exhibetur, ubi non ſatis temporis eſt, corticem chinae ipſum in ſubſtantia exhibere, aut ubi illum aegri nolunt, aut non adſumere poſſunt, uti hoc in infantibus uſu venit. Quum uncia corticis chinae vix drachmam extracti praebeat, ad drachmam unam et ſupra quotidie in doſibus diviſis quoque exhiberi poteſt.

Extractum cicutae.

Hoc extractum e conio maculato per ſucci expreſſi lenem inſpiſſationem faciendum eſt, ne partes efficaces per coctionem nimium vehementem pereant. Vid. *Herba cicutae.*

Extractum fumariae aquoſum.

Hoc remedium egregiis gaudet virtutibus reſolventibus, agitque propter partes ſuas eſſentiales ſa-

linas ſimul in urinam. Qua de cauſa id quoque in morbis herpeticis eſt adhibitum.

Extractum gentianae rubrae aquoſum.

Pertinet inter remedia amara roborantia. V. *Elixirium reſolvens et roborans.*

Extractum graminis aquoſum.

Id inter remedia ſanguinem purificantia numeratur. Succum e radicibus recentibus expreſſum et leni igne ad conſiſtentiam mellis inſpiſſatum ſemper adhibere ſoleo, ubi tum illud non tantum efficacius ac reſolventius eſt, ſed etiam propter gratum ſaporem in copia et facile adſumitur. Ex hoc ſucco quotidie ab unciis quinque ad ſex exhibui. V. *Elixirium antiſcorbuticum.*

Extractum Hellebori nigri aquoſum.

Optimum eſt pellens. Minime autem e foliis, ſed e fibrillis radicum teneris per extractionem lentam, atque incoctionem lenem parari debet.

Extractum quaſſiae aquoſum.

Hoc extractum adhiberi poteſt, ubi irritabilitas deeſt, ubi nullas excretiones ſupprimere aut promovere vis, atque ubi ſimul debilitas ſyſtematis nervoſi peculiaris adeſt; ſalutares inprimis vires habere dicitur, ubi proclivitas ad colicas praeſto eſt. In ſolu-

tione quadam ad ſcrupulum unum quotidie praeberi poteſt.

Extractum ſaturni.

Sic ſolutio calcis ſaturni in aceto vini appellatur, quae ab aceto lithargyrii conſueto in eo tantum differt, quod ea concentratior eſt.

Cum aqua pro re nata attenuatur, atque ut remedium antiphlogiſticum et reſolvens et ſimul roborans reſpici poteſt, quod in tumoribus plus minusve inflammatoriis atque in morbis oculorum magno cum fructu adhiberi poteſt.

Extractum Taraxaci.

Taraxacum, ut omnes plantae lacteſcentes, acrimonia leni gaudet, vi cujus illud virtutes habet reſolventes, quae adhuc per partes ſalinas, quas illud in quantitate ſic ſatis larga in ſe vehit, augeri queunt. Optime praeparatur, quodſi ſuccus e radicibus atque herba expreſſus in leni calore ad conſiſtentiam mellis inſpiſſetur.

Extractum trifolii fibrini.

Remedium amarum reſolvens. V. *Elixirium antiſcorbuticum* et *reſolvens.*

Fel tauri inſpiſſatum.

Hoc eſt bonum remedium reſolvens, quod in ictero, et generatim, ubi adfluxus bilis deeſt, quotidie ad drachmam unam exhiberi poteſt.

Folia Belladonnae.

Belladonna extra virtutem ejusdem narcoticam viribus antiſpasmodicis et diaphoreticis gaudet, atque cum utilitate in rabie canina atque in morbis nervoſis eſt adhibitum. In quibusdam paralyſium ſpeciebus effectus egregios ab ejusdem uſu obſervavi. Doſis in adultis eſt a quinque usque ad decem grana in viginti quatuor aut quadraginta octo horis.

Flores ſalis ammoniaci martiales.

Hi flores ſic dicti ſunt ſal ammoniacum particulis martialibus impraegnatum, quod proinde in obſtructionibus, ubi ſimul ſcopus roborandi adeſt, e. g. in febribus quartanis atque in chloroſi maxime conducit. Initium fit cum aliquot granis, et doſis ſenſim ſenſimque usque ad ſcrupulum unum, quin etiam ad drachmam unam augeri poteſt. V. *Pulvis antifebrilis.*

Hi flores interne atque externe adhibiti in doſibus paulatim usque ad aliquot drachmas quotidie auctis in ulceribus cancroſis inſignem exſeruerunt virtutem, cujus rei quidem nulla propria experientia inſtructus ſum, ad eam autem credendam maxime propendeo.

Flores arnicae verae.

Hi flores acrimonia atque amaritudine gaudent, atque ut thea hauſti inſignem habent virtutem reſolventem

ventem, ita ut illi in intemperie mucoſa atque obſtructionibus pulmonum utiliter adhiberi poſſint. In haemoptyſi quoque praedicantur, et viribus ſanguinem extravaſatum reſolvendi inſtructi eſſe dicuntur. In morbis nervoſis atque in febribus intermittentibus diuturnis quoque magnae utilitatis eſſe feruntur.

Quum vero illi acerimi ſint, atque in doſi magna vomitum excitare queant, cum infuſo tenui, e. gr. cum drachma una ad aquae libras duas initium fieri, et tum doſis pro re nata augeri poteſt. Vid. *Species pectorales reſolventes.*

Flores Chamomillae vulgaris.

Flores chamomillae viribus antiſpasmodicis et carminativis ſunt inſtructae, optimum proinde decoctum pro thea atque enematibus in caſibus memoratis miniſtrant. In febribus quoque intermittentibus optimi effectus florum chamomillae pulveriſatorum ab uno usque ad ſcrupulos duos ſunt obſervati. In malis hypochondriacis quoque cum fructu adhibentur, inprimis ubi ad obſtructiones ſimul eſt reſpiciendum. Quod enim hae viribus gaudeant reſolventibus, ex eo patet, ut infuſum nonnumquam vomitum excitet. Vid. *Pulvis ecphracticus.*

Flores Sambuci.

Flores ſambuci viribus emollientibus et reſolventibus pollent, propter partes balſamicas ſibi admix-

tas quoque ſudorem pellunt. Vid. *Aqua florum ſambuci.*

Flores Sulphuris.

Sulphur depuratum ita vocatur. Uſus ejus praecipuus eſt in ſcabie, ubi illud ſe ſemper ut ſpecificum praeſtat. (Vid. *Hepar ſulphuris.*) Cum cremore tartari permixtum in malis haemorrhoidalibus quoque laudatur. Bonum eſt ceterum remedium in obſtructionibus hepatis et ſyſtematis venae portarum. A granis decem usque ad triginta aliquoties per diem eſt doſis.

Flores Zinci.

Hoc remedium primum ſub nomine lunae fixatae Ludemanni innotuit, magnamque ſibi in morbis convulſivis peperit famam, quam tamen illud maxima ex parte amiſit. Ubi interim omnes indicationes deſunt, et plura ſpecifica in vanum adhibita fuere, omnino in uſum vocari poteſt. Cum grano dimidio aut integro fit initium, et doſis pro re nata augetur. Optimas vires exſerere compertum eſt, quodſi illud cum acidis non efferveſcit.

Gargariſma adſtringens.

℞. Aquae fontan. ℥x.
Eſſent. Pimpin. alb. ℥ß.
Alum. crud. ʒij.
M. d.

In caſibus, ubi uvula propter relaxationem ſuam admodum eſt prolapſa, optimum hoc eſt gargariſma.

Gargariſma reſolvens.

℞. Oxym. ſimpl. ℥ij.
Nitr. depur. ℥ß.
Eſſ. Pimpin. alb. ʒij.
Aqu. flor. Sambuc. ℥x.
M. d.

Globuli martiales.

Mars in acido tartari ſolvitur, atque haec ſolutio tandem inſpiſſatur. E maſſa viſcida deinde globuli unciam dimidiam aut integram ponderantes formantur. Ad balnea frigida partibus martialibus impraegnanda adhibentur. Hunc in finem prius aliquot ſemunciae horum globulorum in aqua calida ſolvuntur, atque haec ſolutio aquae admiſcetur.

Gummi ammoniacum.

Hoc eſt remedium reſolvens praeſtantiſſimum, in pulmonum morbis expectorationem promovet, et tunc id eſt adhibendum, quodſi ſtatus inflammatorius eſt ablatus. (V. *Pilulae reſolventes* et *Syr. pectorales reſolventes.*) Per ſe quotidie ad drachmas duas ordinari poteſt. Semper autem ſatius eſt, illud in forma exhibere ſoluta. Ubi ſalia locum habent, ſal ammonia-

cum ad reſolutionem promovendam in menſtruis aquoſis eſt valde proficuum. Praeterea illud in oxymelle, in ovorum flavedine, atque in gummi arabico ſolvitur.

Gummi arabicum.

Hoc gummi eſt mucilago lenis inſpiſſata, quae proinde in nimia inteſtinorum irritabilitate, e. gr. in diarrhoeis diuturnis interne atque in clyſteribus adhibita inſignem praeſtat utilitatem. Id quoque menſtruum mercurii eſt. V. *Mercurii ſolutio Plenckiana.*

Gummi Aſſae foetidae.

Praeclarum remedium reſolvens et ſimul antiſpasmodicum, quod in malis hypochondriacis atque hyſtericis, ubi ſimul obſtructiones viſcerum abdominis adſunt, utiliſſime adhiberi poteſt. (V. *Pilulae antihyſtericae.*) Id pariter quoque in aqua eſt ſolubile. Quotidie ad drachmas duas exhiberi poteſt. Nec non externe applicatum efficaciſſimum ſe in tumoribus reſolvendis praeſtat. Vid. *Emplaſtrum reſolvens Schmuckeri.*

Gummi Euphorbii.

Remedium acre irritans, quod tantum externe, ut epiſpaſticum adhibetur. Vid. *Emplaſtrum veſicatorium perpetuum.*

Gummi Galbani.

In effectu ſuo cum gummi ammoniaco maxime convenit, praeterquam, quod propter oleum eſſentiale illi proprium, quo gummi ammoniacum deſtituitur, ſimul aliquantum magis exaeſtuat, atque antiſpasmodicum eſt, atque hinc in malis hypochondriacis atque hyſtericis praecipuum. Vid. *Pilulae antihyſtericae.*

Gummi Guajaci nativum.

Hoc e partibus reſinoſis et gummoſis conſtat, acrimonia quadam gaudet, atque in malis rheumaticis optimum eſt reſolvens. Excretiones ſimul urget, atque in doſi aliquanto majori alvum movet. Ad drachmam unam quotidie pro re nata exhiberi poteſt. In aqua ope ſalis ammoniaci, aut, ubi hoc eſt nimis irritans, cum gummi arabico promptiſſime ſolvitur. Alias quoque in pilulis praeberi poteſt. (Vid. *Pilulae reſolventes.*) In conſtitutionibus ſiccis nimiumque irritabilibus ſatius eſt, extractum ejus aquoſum adhibere. Vid. *Lignum Guajaci.*

Gummi Guttae.

Gummi guttae inter draſtica acria defertur, atque hinc tantum in hydropibus et taeniis uſurpatur. Secundum obſervationes recentiores, acrimoniam ejusdem per connubium cum manna imminui poſſe di-

citur. In hydropibus illud libenter in connubio cum aliis remediis exhibemus. (V. *Pilulae antihydropicae.*) In taeniis ad grana triginta in doſibus trifariam diviſis per diem exhiberi poteſt. V. *Caput de taenia.*

Gummi Myrrhae.

Crebro alias hoc remedium in ſuppurationibus internis fuit adhibitum. Uſus talium pharmacorum balſamicorum autem ſummam requirit cautionem. Ubi minima proclivitas ad inflammationem adeſt, illa his occaſionem praebere poſſunt. Atque in phthiſi pituitoſa plerumque alia remedia ſufficiunt, etiamſi illud hic cortici peruviano quotidie a granis decem ad triginta addi poſſit. Externe ſe ut remedium purificans atque antiſepticum praeſtat. V. *Liquamen myrrhae.*

Hepar Sulphuris.

Hoc eſt ſulphuris ſolutio, quae via ſicca in ſale lixivioſo fixo conficitur. Sulphur per hanc ſolutionem majorem nanciſcitur volatilitatem atque penetrantiam, et ſub hac forma quam efficaciſſimum in ſcabie inveterata eſſe deprehenditur. Drachma hujus hepatis ſulphuris in aqua ſolvitur, atque jubetur aeger omni hora cochleare ordinarium adſumere. Cum doſi ad unciam unam quotidie paulatim adſcendere licet, quodſi illud vomitum non excitat. Uncia ſulphuris una balneo quoque admiſceri, atque hoc pacto balneum

artificiale ſulphureum confici poteſt. Semper autem eſt curandum, ut hoc remedium ſemper recenter praeparetur, quoniam ſulphur vi ſuae indolis ſumme volatilis facile evolat, et tum tantum ſal remanet lixivioſum, in acrimonia ſanguinis ſcabioſa magis noxium, quam proficuum.

Optimum pariter hoc hepar ſulphuris eſt remedium, quodſi venena corroſiva, e. gr. arſenicum et mercurius ſublimatus adſumpta fuerint, quoniam illud cum his corporibus coaleſcit, eaque mitia reddit. Arſenicum, ut notum eſt, amittit per combinationem cum ſulphure proprietatem ſuam corroſivam, et mercurius ſublimatus per ſal lixivioſum decomponitur. Operae quoque pretium eſſet experiri, num illud in ſtrumis incipientibus profuturum eſſet. Teſtis ovorum combuſtis, quae hic ſe tam ſaepe utiles praeſtitiſſe dicuntur, tantum reſpectu hepatis ſulphuris, quod ſcilicet per odorem ſufficienter ſe prodit, hanc virtutem adſcribere poſſum.

Herba ariſtolochiae rotundae.

Folia recentia in ulceribus externis atque exanthematibus externe adhibentur. Emolliunt atque exſiccant.

Herba boni Henrici.

Herba recens magna cum utilitate in exanthematibus exhibetur, ubi illa bonam efficit ſuppurationem.

Herba centaurei minoris.

Haec planta pertinet inter plantas amaras, viribus reſolventibus et roborantibus inſtructas. Extractum adhibetur, quod e ſummitatibus florentibus praeparatur. V. *Extractum centaurei minoris.*

Herba cicutae.

Sub hoc nomine non intelligitur cicuta viroſa propria, ſed conium maculatum Linnaei, ad quod attendendum. Cicutam in cancro atque indurationibus ſtaſibusque ſcrophuloſis praedicarunt, nec ullum eſt dubium, quin illa nonnumquam egregie juvet, etiamſi adhuc multo ſaepius nullas exſerat vires. Lucrum pro arte ſalutari eſſet, quodſi caſus, in quibus illa efficax eſt, conſtitui poſſent. Optime in pilulis exhibetur, quae e partibus aequalibus herbae recentis pulveriſatae atque extracti parantur, cum quibus a grano uno ad duo initium fieri, et paulatim doſis augeri poteſt. Illam hoc pacto usque ad grana centum quotidie exhibui, et ut dictum eſt, numquam egregias ejus virtutes vidi. Attamen ſyſtema nervoſum invadere videtur, et ſaepe parit vertigines pertinaces, quas per uſum acidorum vegetabilium largum tollere enitendum eſt. Nonnumquam etiam puſtulas eryſipelaceas in facie, partibusque tumidis atque adfectis producit, de quibus cum certitudine conſtituere nequeo, utrum

illae pro exanthemate per cicutam producto acrimoniae ſcrophuloſae in corpore deliteſcentis, an pro mero producto cicutae ſint habendae, an minus. Levamen ſaltem proportionatum poſt illa mihi obſervare non licuit.

Herba cochleariae.

Cochlearia eſt omnium plantarum antiſcorbuticarum princeps. Cochlearia groenlandica, quae ſingularis eſt ſpecies, atque in hortis noſtris copioſe educatur, vulgari eſt praeferenda, attamen recens illa eſt adhibenda. V. *Conſerva antiſcorbutica.*

Herba malvae.

Eximia herba emolliens, quae utiliter in infuſis theiformibus pectoralibus, atque externe pro fotu in obſtructionibus chronicis inflammatoriis uſurpari poteſt.

Herba meliloti.

Pariter inter herbas emollientes et reſolventes refertur. V. *Species pro cataplasmate.*

Herba menthae.

Mentha criſpa optimis inſtructa eſt viribus antiſpasmodicis et carminativis. In debilitate ventriculi mentha piperitis vulgari eſt praeferenda. Vid. *Aqua menthae.*

Herba milleſolii.

Millefolium, ut thea hauſtum, ſalutares ſaepe in malis haemorrhoidalibus exſeruit vires, viribus quoque antiſpasmodicis gaudere videtur, quae illas chamomillarum adhuc ſuperant.

Herba Nicotianae.

Uſus herbae nicotianae tantum in clyſteribus tam in forma decocti, quam etiam fumi, locum habet. Ubi maxime irritare volumus, ſub forma fumi eſt adhibendum. Decoctum ſaepe eſt efficax, ubi remedia conſueta ad alvum ducendam minime ſufficiunt.

Herba ſabinae.

Haec herba inter pellentia fortia pertinet, quae adhiberi poteſt, ubi alia remedia nullas exſerunt vires. In doſi cautio eſt ſervanda, ſemperque cum aliquot granis initium eſt faciendum. Externe quoque in condylomatibus venereis eſt laudata, ubi vero mercurius nitroſus utiliorem ſe praeſtat.

Herba trifolii fibrini.

Planta amara reſolvens. Vid. *Extractum trifolii fibrini.*

Herba uvae urſi.

Herba uvae urſi quotidie ad drachmam dimidiam exhibita in doloribus calculoſis efficax eſt inventa.

Adeſt procul dubio in calculo qualitas urinae organorumque ejusdem ſecretoriorum praeternaturalis, quae per omnia remedia in doloribus calculóſis proficua reperta, corrigitur, nec tamen calculus ipſe reſolutus fuerit.

Kermes mineralis.

Quodſi antimonium in ſale lixivioſo fixo coquitur, haec coctio calida colatur, et tum refrigerari ſinitur, pulvis ruber ad fundum praecipitatur, e ſulphure, ſale lixivioſo et regulo antimonii conſiſtens, atque adeo hepar eſt ſulphuris, quod partes regulinas reſolvit. Hic pulvis edulcoratus atque exſiccatus exhibet *kermes minerale*, quod, ſi omnes partes ſalis lixivioſi ſunt elutae, minimum ab hepate ſulphuris differt. Quodſi e contrario pulvis non edulcoratur, ſed tantum a lixivio ſuo liberatur, remedium omnino obtinetur, quod in certis caſibus, immo fere in omnibus ſulphuri antimonii longe anteferendum eſt. In morbis, ex acrimonia ſcabioſa, herpetica et ſcrophuloſa, inveteratis, inſignibus pollet, in doſi paulatim augenda, viribus. Quum illud propter ſal lixivioſum vegetabile facile humorem adtrahat, ſatius eſt cum ſale ſodae praeparare. Ceterum kermes minerale quoad virtutem emeticum debilius eſt quam prima praecipitatio ſulphuris antimonii, et fortius, quam tertia.

Lapides cancrorum.

Lapides cancrorum bonum eſt abſorbens; adhiberi poteſt loco teſtae concharum, et magneſiae ſalis communis, quamvis poſtremum palmam omnibus praeripiat, quia illud cum omnibus acidis ſal maxime ſolubile ſiſtit.

Laudanum liquidum Sydenhami.

℞. Opii Thebaic. ℥ij.
Croc. orient. ℥j.
Pulv. Cinnam.
— Caryoph. āā ʒj.
Vin. Hiſpan. ℔j.
Dig. col. d.

Etiamſi ſatius ſit, opium in ſubſtantia adhibere, quia tum ſemper tutiſſime doſis determinari poteſt, haec tamen compoſitio tam eſt conſueta, ut cuivis neceſſe ſit, eam ſibi cognitam reddere. Secundum formulam hic adpoſitam ſex guttae unum circiter granum opii continent, quod in uſu pro norma inſervire poteſt. Haec compoſitio praecipue adhibetur, ubi ſimul enervatio adeſt.

Lichen caninus.

Hoc remedium ſummopere a *Mead* adverſus morſum canis rabidi eſt laudatum. Angli duabus ejus partibus

piper addunt, et pulverem vocant antilyſſum. A priori nullas vires in hoc lichene deprehendere licet, et piper facile maximam effectus pulveris boni partem prae ſe ferre poſſet. In morbo autem tam atroci, uti hydrophobia eſt, nihil temere a priori decidendum eſt.

Lichen islandicus.

Hic lichen mucum maxime nutrientem continet, et praeterea ſic ſatis multum amari. Hae duae proprietates in uno remedio jam a priori aliquid promittunt, atque experientia huic ſuſpicioni reſpondet. In febribus tabidis, ubi generatim vires et fibrarum robur deſunt, uti etiam in dyſenteria, ubi mucum inteſtinorum reſtituere, et ſimul fibras eorum roborare volumus, uſus hujus remedii eſt omnino commendandus, et quidem ita, ut in febribus tabidis unciam ejusdem in libra lactis coqui atque illud colari atque ita paulatim per diem adſumi jubeamus. In dyſenteria vero tantum in aqua eſt coquendus.

Lignum Campechenſe.

Secundum obſervationes recentiores hoc lignum viribus adſtringentibus et demulcentibus gaudet, atque a remediis ſibi ſimilibus in eo diſtinguitur, quod illud neque irritet, neque calefaciat.

Lignum Juniperi.

Remedium ſanguinem purificans et diureticum. V. *Species purificantes.*

Lignum Guajaci.

Lignum ſanctum quoque appellatur. Ligna duo in hiſtoria naturali quidem diſtinguuntur, ſed medico haec differentia negligi poteſt, et negligenda eſt, quoniam is fidei pharmacopoei ſe committere debet. Lignum Guajaci proprie ſic dictum gravius et magis reſinoſum eſſe dicitur, quam lignum ſanctum.

Optimis pollet viribus reſolventibus, atque in India ad luem veneream curandam adhibetur. Apud nos utiliter in decocto adhibetur, ubi miasmà venereum nimis altas jam egit radices, inprimis in doloribus artuum venereis. Quum potus ptiſanarum largus ventriculum debilitet, optimum eſt, ſi quatuor unciae hujus ligni in quatuor aquae libris ad colaturam duarum librarum coqui jubeas, atque ex ea mane et veſperi aliquot unciae calidae propinantur, ad perſpirationem per hoc ſimul promovendam, quoniam in regionibus calidis propterea illud tam proficuum eſſe videtur, quia illic per calorem verſus cutem determinatur. Conſtat etiam, facile illud in alvum agere, quodſi diaphoreſis negligitur, atque haec operatio veroſimiliter non tam ſalutaris eſt, quam iſta perſpirationis. Quum ceterum hoc lignum maxime ſit irri-

tans, cum ejusdem uſu in corporibus ſiccis atque irritabilibus cautio eſt ſervanda.

Lignum Quaſſiae.

Quaſſia ut antiſepticum, ut reſolvens, ut roborans agit. Felici proinde ſucceſſu in febribus putridis, et morbis arthriticis fuit adhibita, quum ea ſimul etiam ſit reſolvens, ſyſtema nervoſum roboret, nec ullas impediat excretiones, et non calefacit, quoniam nullum oleum aethereum in mixtione ſua habet. Commodiſſime in infuſo exhibetur. Aliquot drachmas in una aquae libra coqui jubemus, atque ex ea omni hora cochleare, quin etiam ad unciam dimidiam praebemus.

Limatura martis.

In partium ſolidarum debilitate et proclivitate in primis viis in acredinem optimum roborans eſt mars. Quotidie a granis decem ad drachmam unam exhibetur.

Linimentum antiſpaſticum.

℞. Unguent. d. Alth. ℥ij.
Camph.
Laud. liquid. Syd. āā ʒj.
M. d.

Hoc linimentum in omnibus motibus inteſtinorum ſpaſticis praeſtantis eſt uſus, cujus ope ſaepe inflam-

mationi eorum praecaveri poteſt. Quotidie aliquoties quasdam ejusdem drachmas abdomini illini pannoque laneo calefacto deligari jubemus.

Liquamen Myrrhae.

℞. Gum. Myrrhae ʒj.
c. Vitell. ovor. q. ſ. Solv. in
Aqu. flor. Sambuc. ℥vj.
d.

In formula quadam antiqua myrrha in albumen ovi coctum injicienda, atque in cella ſuſpendenda praeſcribitur. Haec formula inſipida eſt cauſa, cur numquam ſciatur, quid in pharmacopoeis ſub hoc nomine vendatur.

In ulceribus, ubi partes ſolidae nimium ſunt relaxatae, atque in oculorum morbis hoc remedium egregie juvat.

Liquor anodynus.

Quodſi ſpiritus vini rectificatiſſimus cum vitriolo albo commiſcetur, remedium habetur, quod *Hallerus* in ſymptomatibus ſpaſticis ſummis ornavit laudibus, et ſecundum illum *acidum Halleri* vocatur. Quotidie aliquoties a guttis decem ad viginti in poculo aquae dilutum exhibetur. Plurimi vero mortalium illud ferre nequeunt, atque evomere coguntur, aut in illis dolores ventriculi excitantur.

Quodſi

Quodſi haec mixtura deſtillatur, oleum aethereum *naphtha vitrioli* ſeu *oleum vini* dictum obtinetur, atque ad guttam unam ſacharo inſtillatum exhibetur.

Quodſi haec naphtha rurſus cum aliquot partibus ſpiritus vini diluitur, *liquor anodynus* habetur, qui a guttis decem ad quindecim ut remedium antiſpasmodicum exhiberi poteſt.

Quodſi denique hunc liquorem anodynum partibus impraegnaveris martialibus, liquorem anodynum habes martiatum, qui ſua virtute celebratae tincturae Beſtucheffianae non cedit, atque in ſpasmis e debilitate ventriculi oriundis a guttis octo ad decem maxime conducit. Sequenti modo paratur: mars purus in acido ſalis rectificato ad ſaturationem perfectam ſolvitur, haec ſolutio usque ad ſiccitatem abſtrahitur, ac deinde ignis augetur, dum maxima pars ſalis ſublimata eſt. Hoc ſublimatum deliqueſcere ſinitur, pars ejusdem cum duabus naphthae vitrioli partibus miscetur, quae tum conquaſſantur, quo facto naphtha martem in ſe recipit, atque acidum ſalis in fundo manet, a quo naphtha ſumitur, atque ad uſum conſervatur. Haec naphtha partibus martialibus impraegnata colore gaudet aureo, quem vero radiis ſolaribus expoſita, amittit, a quibus penitus albeſcit, in umbra vero colorem aureum rurſus recuperat.

In ſpasmis e debilitate primarum viarum naſcentibus hoc remedium a guttis octo ad decem eſt om-

nino proficuum. Multum tamen abeſt, quantum quidem mihi obſervare licuit, ut illud ea praeſtet, quae primi ejus inventores ab eo ſibi pollicebantur.

Liquor cornu cervi ſuccinatus.

Hoc eſt ſal medium, quod e ſale volatili urinoſo c. c. atque e ſale acido ſuccini ſaturando paratur, atque in ſpasmis e cauſa arthritica natis a guttis octo ad decem haud eſt inutile. Quumque illud vehementer in ſudorem agat, uſus ejus quoque in febribus malignis locum habet.

Liquor terrae foliatae tartari.

Hic e ſale lixivioſo vegetabili fixo atque aceto paratur. Quodſi mixtio ſaturata inſpiſſatur, quamplurimae in ea remanent partes empyreumaticae, quae facile multum caloris excitant. Quodſi ſal ab his partibus oleoſis liberare vis, nimium acidi amittes, ita ut ſal lixivioſum non ſit perfecte ſaturatum. Satius igitur eſt, ſingulis vicibus tantum ſalis lixivioſi, quantum requiritur, cum aceto ſaturare, illudque pro re nata aliis remediis admiſcere, certiores tum ſumus, ſal medium habere perfectum, ut et medicamentum ſimul minus pretioſum eſt.

Optimum eſt reſolvens, quod inprimis in infantibus in obſtructionibus glandularum meſentericarum

magno cum fructu adhiberi poteſt. Formula ſequens ſemper mihi utilem praeſtitit operam:

℞. Sal. Tart. dep. ʒj.
Satur. c.
Acet. Vini
adm:
Tinct. rhabarb. aqu. ℥j.
Aqu. bened. Rul. ʒj.
M. d.

In infantibus aliquot annorum cum guttis viginti quotidie ter initium fit, et cum doſi ſenſim ſenſimque adſcenditur. In adultis quoque, ubi alia medicamenta aut nimis irritantia, aut nimis exaeſtuantia ſunt, in doſi pro illis juſta, ac ſi uſus ejus diu ſatis continuatur, maxime conducit.

Quodſi ſal lixivioſum acido citri ſaturatur, hoc in febribus bilioſis non ſolum bonum remedium refrigerans praebet, ſed quoque bili ſolvendae turgeſcentiaeque ejus promovendae inſervit. In caſu poſteriori exhibere ſoleo ſecundum formulam ſequentem:

℞. Sal. Tart. ʒiij.
Satur. c.
Succ. citr.
adm.
Syrup. acetoſit. citr. ℥j.
Aqu. bened. Rul. ʒj.
M. d. S. ſumat quavis hora unum cochleare ordinarium.

Magiſterium ſaturni.

Hoc ex extracto ſaturni per praecipitationem cum aqua, edulcorationemque diligentem paratur.

Credendum quidem eſſet, extractum ſaturni eundem plane praeſtare uſum; experientia autem hanc opinionem non confirmat. Procul dubio acidum propriae virtuti ſaturni eſt impedimento. Calx ſaturni edulcorata optimum eſt remedium, externe adhibitum, in herpetibus, atque aliis malis cutaneis; ubi ea aut cum aqua attenuata, aut cum oleo ovorum permixta adhiberi poteſt.

Magneſia ſalis ſedlicenſis.

Brevius, atque ad evitandum, ne hoc remedium cum antiquo ac inerti medicamento, magneſia nitri confundatur, hoc corpus eſſet dicendum *terra muriatica*, aut etiam *magneſia muriatica*, quia illa in nexu cum acido ſalis affatim deprehenditur, et maxima ex parte etiam per praeparationem ſalis communis acquiritur. Eſt ea terra abſorbens, quae vero hoc boni in ſe habet, quod ea maxime ſit ſolubilis, atque in nexu cum acido ſalia media facile ſolubilia efficiat, quod reliquae terrae abſorbentes non faciunt. Tantum non ea per combuſtionem eſt paranda, per calcinationem enim ſolubilitatem amittit. A granis decem ad viginti per ſe exhiberi poteſt. In doſi majori

leniter alvum laxat. Plerumque aliis remediis miſcetur. V. *Mixtura refrigerans* et *Pulvis ecphracticus.*

Manna.

Laxans lene antiphlogiſticum, inprimis in corporibus valde irritabilibus et ſiccis, atque generatim in infantibus magno cum fructu adhibendum. Infantibus ad unam vel plures ſemuncias exhibetur. Pro adultis ſaepe aliquot unciae requiruntur.

Mel.

Mel vi reſolvente gaudet, ſed propter admixtionem multarum particularum oleoſarum eſt etiam calefaciens. Tutiſſime igitur in conſtitutionibus mucoſis adhibetur. Expectorationem et dejectiones alvi promovet. In febribus plerumque aceto miſcetur. (V. *Oxymel.*) Externe utiliſſimum eſt, ad abſceſſus atque ulcera in bonam ſuppurationem vertenda, ad ſanationemque ducenda.

Mercurius currens.

Ut mercurius uſui aptus reddatur, ſolvendus primum eſt. Alias quidem mercurius crudus, non mutatus, in obſtructionibus pertinacibus fuit exhibitus. Succeſſus autem eſt ambiguus, atque inde ſaepe ſequelae noxiae conſequi poſſunt.

Generatim loquendo, mercurius in morbis venereis eſt remedium ſpecificum, quoniam is virus vene-

reum immediate atque inprimis per ſalivationem educit. In ſolutionibus ſalinis optimum ſimul eſt reſolvens atque anthelminticum.

Mercurius dulcis.

Mercurius dulcis eſt mercurius ſublimatus cum mercurio vivo ſaturatus. Quodſi haec ſaturatio per mixtionem iteratam perfectiſſima, et connexio per repetitam ſublimationem quam maxime intima redditur, ea *calomel* ſeu *panacea mercurialis* appellatur. Calomel igitur a mercurio dulci diſtinguitur, quod hic aliquanto acrior et penetrantior ſit, quoniam partes mercurii ſublimati acres non perfectiſſime ſunt ſaturatae atque involutae, calomel e contrario eo ſit lenius, quo illud ſaepius ſublimatur, ita ut illud denique omnes fere vires proprias amittat, et magis diaphoreticum reddatur. In morbis igitur venereis, atque ubi ſcopum reſolvendi habes, mercurius dulcis multo efficacior eſt, quam calomel. In morbis venereis exhibetur, ubi ſimul reſolvendum eſt, atque ubi praeparata acriora propter debilitatem pectoris, aut acrimoniam humorum ſunt inepta.

In hujus pharmaci uſu in morbis venereis ſemper reſpiciendum eſt, ne illud laxationem alvi producat. Alia prorſus eſt res, quodſi illud ſcopo purgandi exhibetur. V. *Pilulae purgantes mercuriales.*

Optime hoc in caſu ſaccharo miſcetur; aut adhuc melius, quodſi cum ſapone hiſpanico ex eo pilulae fiunt. V. *Pil. purg. merc.*

Methodus nuperrime fuit propoſita, mercurium dulcem in internam malarum ſuperficiem infricandi, ad ſalivationem excitandam. Quod ſubinde utile eſſe poteſt, ubi remediis mercurialibus jam adhibitis nulla ſalivatio conſequi vult. Sed curationem totam hac methodo ſuſcipere, quam maxime foret ambiguum, mercurius enim non ſatis temporis habet, ad ſe cum miasmate venereo uniendum; et ſic e corpore egereretur, absque miasmate ſecum adſumpto.

In doloribus articulorum atque obſtructionibus glandularum mercurius dulcis pariter eſt efficax. In his caſibus aliis remediis utiliter admiſcetur. V. *Pilulae reſolventes.*

Quum mercurius tanta vi reſolvente gaudeat, regula eſt, illum in morbis putridis minime exhibendum eſſe; certum etiam eſt, quod is in reſolutione humorum ſcorbutica omnino ſit noxius. Quod vero in putredine humorum febrili non videtur obtinere. Saltem calomel in angina putrida utiliſſime fuit adhibitum; ſemper fere illud profuit, quodſi mox ſalivationem excitavit. Haec methodus mihi quidem e propria experientia eſt incognita, omnem tamen attentionem mereri videtur. Hic mihi quoque infrictio in ore apta eſſe videtur, quoniam hic ſalivatio quampri-

mum eſt excitanda. In febribus quartanis pertinacibus praeſtantiſſimum ejus uſum eſſe, mihi ex experientia repetita innotuit.

Mercurius gummoſus.

Haec ſolutio ab inventore ſuo quoque ſolutio Plenckiana appellatur. Mercurius hic tantum in ſuas partes ſimilares eſt reſolutus, nec in ſua indole mutatus. Ubi propter nimiam irritabilitatem ſalia adhiberi nequeunt, ad uſumque in morbis oculorum venereis externum praeſtantiſſimum hoc eſt medicamentum.

Ex una mercurii parte, et tribus gummi arabici paratur, durante contritione aliquantum ſyrupi de cichor. c. rhabarb., dum omnis mercurius in mucum eſt reſolutus, admiſcetur. Haec ſolutio aut per ſe, aut cum aqua diluta, aut cum mica panis in pilulas redacta, ita exhiberi poteſt, ut mane et veſperi decem grana ex hac mixtura in corpus inferantur, quae doſis pro re nata, ſi ſcopus ſalivationis adeſt, augeri poteſt. Pro gargariſmate et fomentatione oculorum haec ſolutio cum lacte tepido miſcetur.

Mercurius nitroſus.

Solutio mercurii in acido nitri eſt pharmacum maxime cauſticum, ſed ſimul etiam reſolvens, quod interne in morbis venereis inveteratis, inprimis in

morbis oſſium, atque externe in ulceribus venereis impuriſſimis maximo cum fructu adhiberi poteſt.

Hoc medicamentum eſt jam antiquiſſimum. Eſſentiam conſtituit eſſentiae mercurii Charaſii, mercurii liquidi pharmacopoei pariſienſis, aquae gryſeae Gohlii (quae in antiquioribus diſpenſatoriis brandenburgicis reperitur), liquoris Belloſtii, unguenti citrini pariſienſis, atque ſyrupi mercurialis Belleti. Uſus quidem internus ſemper fuit reformidatus. Sed mihi jam hoc remedium ex experientia ſufficienti innotuit, et fere ſemper ſatisfacit, ubi alia medicamenta ſunt irrita. Detrimentum ex eo numquam vidi, et multum illud mercurio ſublimato praefero.

Spiritus nitri penitus cum mercurio eſt ſaturandus, quumque is non ſemper ejusdem ſit efficaciae, ſemper etiam ſcire neceſſe eſt, quantum mercurii in quantitate ſolutionis datae contineatur. Quodſi e. g. in uncia una ſpiritus nitri duae drachmae et duo ſcrupuli mercurii continentur, proportio ſe habet ut unum ad tria, atque adeo in tribus ſolutionis granis unum mercurii granum continetur.

Hoc in caſu cum duabus guttis in ſufficienti aquae quantitate dilutis mane et veſperi initium fieri poteſt. (Aquam deſtillatam et puram eſſe oportet, alias enim ſolutio decomponitur.) Quodſi poſtea vomitus aut laxatio ſequeretur, una duntaxat gutta exhibetur. Pro re nata tum a guttis quatuor ad quinque adſcendi

poteſt. Quodſi vero minime in urinam, ſed in quavis doſi laxando agit, non multum emolumenti ex hoc remedio eſt expectandum, atque ad praeparatum lenius eſt refugiendum.

In ſufficienti aquae copia diluta, optimam haec ſolutio ſimul praebet aquam phagedaenicam.

Cum pinguedine permixta, optimum eſt pomatum ad ſcabiei ſanationem.

Mercurius praecipitatus albus.

Quodſi ſolutioni mercurii in ſpiritu nitri ſpiritus ſalis adfunditur, is cum mercurio connectitur, et cum eo in forma calcis ad fundum praecipitatur. Acidum ſalis leniter tantum hic mercurio adhaeret, hinc etiam non tam ſummum corroſivitatis gradum habet.

Externe tantum in uſum adhibetur, atque illud quidem in omnibus exanthematibus atque ulceribus herpeticis atque in ſcabie, ab acrimonia ſcrophuloſa pendentibus, eſt praeſtans remedium. V. *Unguentum mercuriale album.*

Mercurius praecipitatus ruber.

Quodſi a ſolutione mercurii in acido nitri hoc poſterius iterum abſtrahitur, remanet calx rubra, quae quam maxime improprie appellatur *praecipitatum* ſeu mercurius praecipitatus.

Externe pariter tantum adhibetur, ad ulcera ſcrophuloſa et venerea mundificanda. V. *Unguentum mercuriale rubrum.*

Mercurius ſublimatus.

Mercurius ſublimatus e mercurio atque acido ſalis conſtat.

Solutio mercurii ſublimati in ſpiritu vini debili vocatur ab inventore ſuo *Spiritus Swietenii.*

Mercurius ſublimatus non plus praeſtat, et ſaepe minus quam mercurius nitroſus. Quare ego libentius poſteriori utor.

Mercurius tartariſatus.

In morbis venereis, ubi humores aliquantum ſunt acres et ſcorbutici, plurimum ſaepe hoc remedium juvat. Ex una mercurii parte, et duabus cremoris tartari, accurate inter ſe mixtis paratur, atque a granis quinque ad decem pro doſi exhibetur.

Efficacius hoc eſt remedium, quodſi mercurius per ſe calcinatus in acido ſalis tartari ſolvitur. In connubio cum manna tandem *pilulas Kayſerianas* celebres exhibet.

Millepedes.

Remedium leniter diureticum, quod, ubi non admodum irritare, attamen ſecretionem urinae promovere vis, ad grana decem pro doſi adhiberi poteſt.

Mixtura acida.

℞. Ol. vitriol. alb. ʒj.
Aqu. deſtill. ℥xx.
Oxym. ſimpl. ℥iv.
M. d.

In febribus putridis ex hac mixtura quavis hora ad uncias duas ad hauriendum ordinatur. In ſcabie a doſibus minoribus eſt incipiendum, atque omni tantum bihorio ad unciam unam exhibenda.

Mixtura diaphoretica.

℞. Nitr. antim. per inſpiſſ. parat. ʒij.
Spirit. Mindereri ℥iv.
Aqu. flor. Sambuc. ℥viij.
M. d.

Haec mixtura in omnibus febribus ardentibus, ubi ſcopum habes, diaphoreſin promovendi et ſimul frigefaciendi, ſummae eſt utilitatis. Quavis hora uncia una praebetur. Quodſi ſtaſes inflammatoriae ſimul adſunt, aut ſimul camphora exhibetur, aut ea in ſpiritu vini ſolvitur, ac mixturae additur.

Aut ſimplicius.

℞. Nitr. antim. per inſpiſſ. parat. ʒj.
Solv. in
Aqu. fontan. ℔ij.
adm.
Camph. c. Sacch. q. ſ. ℈j.
M. d.

Mixtura refrigerans.

℞. Conch. ſ. Lap. cancr. ſ. Magneſ. muriat. ℥ß.
Satur. c.
Succ. citr.
Aqu. Menth. ſ. v. ℥vj.
Syrup. acetoſ. citr. ℥j.
M. d.

Quodſi agitationem ſanguinis in conſtitutionibus ſenſibilibus atque ad ſpasmum proclivibus imminuere, nec tamen irritare volumus, ex hac mixtura, conquaſſata, quavis hora unciam unam propinamus. Ubi quaeque irritatio atque etiam minima evacuatio eſt evitanda, lapides cancri inſerviunt; ubi autem ad laxationem alvi leniorem ſimul eſt reſpiciendum, magneſia eſt praeferenda, quoniam ea in connubio cum acidis leniter alvum laxat.

Mixtura reſolvens.

℞. Sal. ammon. dep.
Aqu. ben. Rul. āā ʒij.
Oxym. ſimpl. ℥ij.
Aqu. flor. Chamom. ℥x.
M. d.

In febribus, ubi ſtaſes pertinaces ſunt ſuperandae, ex hac mixtura omni hora uncia una datur.

Aut ſimplicius.

℞. Sal. ammon. dep. ℥ß.
Solv. in
Aqu. font. ℥xvj.
adm.
Aqu. bened. Rul. ℥ß.
M. d.

Mixtura ſolvens.

℞. Sal. mirabil. Gl. ℥j.
Nitr. depur. ʒj.
Aqu. flor. Chamom. ſ. v. ℥vj.
Oxym. ſimpl. ℥j.
Aqu. bened. Rul. ʒj.
M. d.

Haec mixtura, quavis hora ad cochleare unum aut unciam unam èxhibita, inſervit ad colluviem in primis viis mobilem atque ad educendum aptam reddendam.

Vel ſimplicius.

℞. Sal. mir. Glaub.
Nitr. depur. āā ℥j.
Solv. in
Aqu. font. ℥xvj.
adm.
Aqu. bened. Rul. ℥ß.
M. d.

Mixtura temperans.

℞. Nitr. depur.
Oxym. ſimpl. āā ℥j.
Aqu. flor. Chamom. ſ. v. ℥viij.
M. d.

In febribus inflammatoriis ſimplicibus haec mixtura, omni hora ad unciam unam exhibita, ſufficit.

Vel:

℞. Nitr. depur. ℥j.
Solv. in
Aqu. fontan. ℥xij.
M. d. S. Omni hora unum cochleare ordinarium.

Moſchus.

Remedium antiſpasmodicum et nervinum, in morbis e nimia debilitate ſyſtematis nervoſi oriundis, adhibendum. Eſt tamen, ut omnia vaporoſa, exaeſtuans. Ubi proinde multum irritationis ſimul atque agitationis ſanguinis adeſt, is nocere poteſt, irritando, atque adeo calorem augendo. Nec diſſimulandum eſt, illum mihi in febribus nervoſis ea non praeſtitiſſe, quae multi medicorum de eo praedicant. Optime tamen convenire videtur in debilitatibus hyſtericis, niſi alias aegri ſingulariter averſentur. Cum granis aliquot incipimus, atque ad grana decem pro doſi adſcendere licet.

Nitrum antimoniatum.

In pharmacopoliis vulgo hoc ſal, lixivium ab edulcoratione antimonii diaphoretici remanens evaporando et cryſtalliſando, paratur. Hoc pacto nitrum in lixivio contentum et tartarus vitriolatus cryſtallos formant, atque utraque nihil de partibus antimonialibus habent, quia illae in lixivio non cryſtalliſabili remanent.

Quodſi vero totum lixivium inſpiſſatur, materia ſic dicta perlata in eo permanet, quae hic tanto efficacior eſt, quum ea a ſale alcalino ſoluta retineatur.

Quodſi itaque nitrum antimoniatum a me commendatur, loquor tantum de eo, quod per totius lixivii inſpiſſationem paratur.

Hoc nitrum antimoniatum per inſpiſſationem paratum, in febribus inflammatoriis tanto majori cum fructu eſt adhibendum, quia illud multo efficacius reſolvit, quam nitrum vulgare, tranſpirationem quoque ſimul promovet. V. *Mixtura diaphoretica.*

Propter partes antimoniales facile in ventriculis ſenſibilibus vomitum excitare poteſt. Cum parva igitur doſi incipiendum eſt, et ſenſim ſenſimque cum ea adſcendendum. Duae drachmae in unciis aquae a ſex ad octo ſolvi poſſunt, atque ex ea quavis hora cochleare unum praeberi poteſt.

Ubi

Ubi hoc nitrum antimoniatum non eſt praeſto, antimonium diaphoreticum non edulcoratum illi ſubſtituere licet, quod ab illo tantum in eo differt, quod hoc plus calcis antimonii continet, atque adeo tanto minori in doſi exhibendum.

Nec unquam illud in connubio cum acidis vegetabilibus praebendum eſt, quia illud cum illis decomponitur.

Nitrum depuratum.

Quum nitrum crudum ſemper fere ſal commune in ſinu ſuo ferat, ad uſum internum ab hoc eſt liberandum. Haec ſeparatio per ſolam ſolutionem atque cryſtalliſationem fieri poteſt. In hac cryſtalliſatione primae cryſtalli ſemper ſunt puriſſimae, quoniam ſal commune in lixivio remanet, et nonniſi poſtremo in cryſtallos concreſcit.

Quodſi proinde nitrum puriſſimum habere vis, primae cryſtalli ſunt adhibendae, quia, quodſi lixivium, e quo jam maxima nitri pars in cryſtallos abiit, rurſus coquitur ad cryſtalliſandumque reponitur, facile ſimul cryſtalli ſalis communis concreſcunt.

Nitrum depuratum durante ejus ſolutione in aqua parit frigus. Quodſi illud proinde non ſolutum adſumitur, in ventriculo frigus producit, atque eatenus nomen remedii refrigerantis abſolute meretur. Quum

vero tales refrigerationes partiales in vaſis minutis ſtaſes, atque in ventriculis ſenſibilibus facile nauſeam et vomitum pariant, non eſt conſultum, illud hoc pacto exhibere, ſed prius ſemper eſt reſolvendum. V. *Mixtura temperans.*

Praeter hanc proprietatem illud etiam virtute maxime reſolvente et longe penetrantiſſima gaudet, inprimis ſi ſatius igitur eſt, illud in potu conſueto propinari. Quum vero in febribus inflammatoriis calor ſemper fere ſequela ſit irritationis, ſtagnationumque inde oriundarum, nitrum hic calorem imminuere, tollendo obſtructiones, excretionemque materiarum irritantium praecipue per ſudorem atque urinam promovendo, atque adeo eatenus etiam temperans appellari poteſt.

Ex hac ratione hoc pacto adhibitum quoque in rheumatismis acutis egregiam praeſtat utilitatem.

Ubi debilitatibus praeſentibus agitationes ſanguinis adſunt, e. gr. in haemorrhagiis diuturnis atque enervantibus, maximo cum fructu in ſpiritu vini aut aqua quadam aromatica ſolutum, adhibetur.

In ventriculis ſenſibilibus infra ſpatium duodecim horarum ad drachmam unam, quae tamen doſis pro re nata quoque ad unciam unam augeri poteſt; inprimis ubi ſtatus ſumme inflammatorius adeſt.

Oleum animale Dippelii.

Quodſi oleum cornu cervi foetidum per ſe leniter deſtillatur, primum aliquantum ſpiritus cornu cervi obtinetur, tum ſequitur oleum album, volatiliſſimum et penetrantiſſimum, in morbisque nervoſis ſaepe utiliſſimum. Initium cum guttis aliquot facimus, et doſis ſenſim ſenſimque a guttis triginta ad quadraginta augeri poteſt.

Oleum Aniſi.

Quodſi in inteſtinis admodum irritabilibus purgantia ſunt exhibenda, libenter illi hoc oleum addimus, quoniam illud antiſpasmodicum eſt, ſequelisque irritationis nimiae intercedit, nec tamen effectum purgantis impedit. Praeterea quoque ſudorem pellit. E quibus duabus rationibus in venenis acribus adſumptis pro ſpecifico habetur. Doſis eſt a gutta una ad triginta ad ſemel.

Oleum Caryophyllorum.

In dolore dentium nonnumquam hoc oleum goſſypio inſtillatum, dentique cavo impoſitum prodeſt.

Oleum Chamomillae deſtillatum.

Elaeoſaccharum chamomillae egregium eſt antiſpasmodicum et carminativum. Aliquot nimirum

guttae ſaccharo inſtillantur, atque exactiſſime miſcentur, quod deinde plerumque aliis remediis admiſcetur.

Oleum foeniculi.

Saccharo detritum bonum eſt carminativum. Vid. *Pulvis ecphracticus.*

Oleum baccarum Juniperi.

Externe inſervit pro antiparalytico. (V. *Unguentum nervinum.*) In hydropibus reliquis remediis diureticis utiliter addi poteſt.

Oleum lauri baccarum deſtillatum.

Baccae lauri hucusque in ſcabie efficaces ſe praeſtiterunt. Hoc oleum itaque unguentis ad ſcabiem admiſceri poteſt. V. *Unguentum ad ſcabiem.*

Oleum lini.

Oleum lini longe recens optimum eſt emolliens, quo ad clyſteres inſtar omnium oleorum pharmaceuticorum uti licet.

Oleum menthae deſtillatum.

Externe adhibitum bonum eſt hoc oleum remedium roborans. V. *Unguentum nervinum.*

Oleum millefolii.

Hoc oleo ad nonnullas guttas in malis haemorrhoidalibus cum maximo utor progreſſu. In fluxu

haemorrhoidali nimio acidum tartari eſſentiale cum elaeoſaccharo millefolii mixtum eſt aeque amoenum ac utile remedium.

Oleum Petrae.

Oleum petrae in uſum externum in membris frigore aduſtis eſt quam maxime proficuum.

Oleum Ricini.

Hoc oleum in Anglia quoque *Caſtor-oil* appellatur. Sub nomine olei de palma Chriſti quoque notum eſt, atque a ſeminibus Ricini communis exprimitur. In colica ſaturnina atque in aſthmate ex exhalationibus ſaturninis magnam vim hoc oleum exſerit a drachmis aliquot ad uncias nonnullas exhibitum, alvum ſolvendo, nec tamen nimia irritatione novos excitando ſpasmos. Sed neceſſe eſt, ſemper certos eſſe, oleum hoc, non ex aliis ſeminibus acrioribus, e. gr. ex granis Tigliae expreſſum eſſe, quo in caſu jam aliquot guttae ſic ſatis fortiter purgant, et doſis major periculoſas poſt ſe trahere poſſet ſequelas. Tutiſſime adhibetur oleum in America expreſſum, quod etiam habitu externo ab illis, quae hic parantur, diſtinguitur. Semper ſaltem certos nos eſſe oportet, ſemina, e quibus oleum expreſſum eſt, a corticibus acribus liberata fuiſſe.

Oleum terebinthinae.

Oleum terebinthinae eſt forte diureticum, quod in rheumatismis chronicis et nonnumquam etiam in hydrope utiliſſimum ſe praeſtitit. Incipiendum eſt cum aliquot guttis in ſufficienti cujusdam fluidi quantitate attenuatis, et doſis pro re nata augetur. In connubio cum oleo vini in paralyſibus nonnumquam eſt utilitatis.

Opium.

Opium eſt antiſpasmodicum fortiſſimum, in omnibusque ſpasmis utiliſſime adhibendum, qui aut e irritabilitate ſyſtematis nervoſi peculiari oriuntur, atque hoc reſpectu illud ſpecificum eſt antiſepticum; aut ubi materiae irritanti non prius accedere licet, quam ſpasmi aliquantum remiſerint, atque eatenus illi vires reſolventes atque antiphlogiſticae adſcribi poſſunt, quoniam illud per irritabilitatis imminutionem ſimul proclivitatem ad inflammationem imminuit, circulationemque humorum ſuppreſſam rurſus reſtituit. Simul vero quoque vi exaeſtuante gaudet, atque eatenus roborans appellari poteſt. Specifice illud in miasma agere venereum, ut nuperrime e quibusdam obſervationibus fuit concluſum, non eſt veroſimile. In ſtaſibus ſcrophuloſis et morbis, qui ſequelae miasmatis gonorrhoeae ſunt, utile eſſe poteſt,

relaxando vaſa, atque eo ipſo diſcuſſioni acrimoniae anſam praebendo, aut eam faciliorem reddendo.

Cautelae in opii uſu obſervandae inprimis ſunt ſequentes:

1) Non eſt illud nimis frequenter, minimisque occaſionibus oblatis praebendum, quia illud tantum palliative agit, debilitatemque ſemper quandam poſt ſe relinquit, naturaque illi adſueſcit. In noſtro noſocomio quaedam eſt mulier, ſymptomatibus ſpasmodicis obnoxia, cui uncia una et dimidia ad duas laudani uncias quotidie ad neceſſariam ejusdem conſervationem pertinent.

2) Ubi ſcopum roborandi atque calefaciendi non habemus, opium merum adhibendum eſt, et quidem in majori potius, quam in minori doſi, e. g. in ſpasmis e congeſtionibus inflammatoriis.

3) Ubi proclivitas ad inflammationem adeſt, methodus antiphlogiſtica in omni ſuo ambitu eſt adhibenda, alvusque ſimul ſoluta eſt ſervanda.

4) Doſis inſtituitur pro conſtitutionum differentia, et prout aeger opio eſt adſuetus. In febribus acutis quarta grani pars pro doſi quotidie aliquoties exhiberi poteſt; in morbis vero chronicis nervoſis ſenſim ſenſimque a granis decem ad duodecim. Optime in forma pulveris exhibetur, ubi pro ratione circumſtantiarum aut nitrum aut ſaccharum pro baſi adſumi poteſt.

Oo 4

5) In ſpasmis vehementibus ſemper ſtatim ab initio acceſſionis in doſi juſta exhibendum eſt, quia virtus antiſpasmodica tum demum comparet, poſtquam illud prius vim ſuam calefacientem atque irritantem exſeruiſſet.

6) Generatim non eſt ibi praebendum, ubi morbus criſin per bonas vires naturae producendam requirit, quoniam illud has ſupprimit, debilitatem poſt ſe relinquendo. In ſymptomatibus febrium acutarum ſpasmodicis, ubi ſaepe omnia ab ejectione verſus cutem pendent, non facile proinde eſt exhibendum.

Oxymel ſimplex.

Hoc eſt ſolutio mellis in aceto vini. Quae mixtura vi reſolvente atque antiſeptica gaudet, ſecretiones ſudoris atque urinae pellit, atque hinc in febribus inflammatoriis, putridis et bilioſis locum praecipue habet. Hoc remedium quotidie ab unciis duabus ad quatuor in potu dilutum exhiberi poteſt.

Quodſi hic circumſtantiis praeſentibus obſtructio alvi ſimul adeſt, tum etiam ab unciis tribus ad quatuor in clyſteribus in corpus inferri poteſt.

Oxymel ſquilliticum.

Solutio mellis in aceto ſquillitico remedium reſolvens, diureticum. Quum illud facile vomitum excitet, in doſi hujus rei ratio eſt habenda. Uncia di-

midia in adultis vomitum producere poteſt. V. *Syrupus pectoralis reſolvens.*

Pilulae antihyſtericae.

℞. Gum. Galban.
— Aſſ. foetid.
Extr. Angel. āā ℥ß.
Caſtor.
Croci āā ʒj.
Opii Thebaic. ʒß.
M. f. P. c. Eſſ. Caſtor. pond. gr. ij.
conſp. pulv. liquir. d.

In ſex harum pilularum quarta unius grani opii pars continetur. In ſpasmis hyſtericis proinde mane et poſt meridiem pilulae n^ro^ a quinque ad ſex exhiberi poſſunt.

Pilulae balſamicae.

℞. Extract. rad. helleb. nigr.
Aloës dep.
Flor. Sal. ammoniac. mart. āā ℥ß.
Croc. orient. ʒij.
Opii Thebaic. ℈j.
M. f. pilul. c. Eſſ. rhabarb. pond. gr. ij.
conſp. pulv. liquir. d.

Doſis harum pilularum eſt ab octo ad duodecim. Ibi vero tantum adhiberi poſſunt, ubi haemorrhoides

et menſes ſine periculo pelli queunt. Ubi illae non ſufficiunt, aër fixus in auxilium vocari poteſt.

Pilulae hydragogae Janini.

℞. Fol. Senn. ℥vj.
Crem. Tart. ℥j.
Coq. in aqu. pluv. Mij.
ad reman. dimid. quant.
Col. bullient. adm.
Agaric.
Scammon.
Rad. Mechoac.
— Rhabarb.
— Bryon.
— Hermodact. āā ℥iij.
— Turpeth.
Gum. Gutt.
Troch. Alhand.
Merc. dulc.
Tart. emet. āā ℥j.
Croc. mart. aperit.
Nitr. depurat. āā ℥iv.
Aethiop. miner. ℥ij.
Aloës
Rad. Jalapp. āā ℥vj.
Evap. ad conſ. maſſ. pil.

Hae pilulae in hydrope pectoris ſaepe mihi inſigniter profuerunt, atque eas adhuc quotidie cum utilitate exhibeo. Hac in tam rara atque improportionata mixtione quidquam mutare non audeo.

Pilulae purgantes.

℞. Reſin. Jalapp.
Merc. dulc. praep.
Sap. hiſpan. āā ℥ß.
M. f. pil. c. Eſſ. rhab. pond. gr. ij.
conſp. pulv. liqu. d.

Doſis harum pilularum ſunt nro 9. In omnibus morbis chronicis, ubi purgandum eſt, utiliter adhibentur.

Pilulae purgantes anthelminticae.

℞. Aloës hep.
Reſin. Jalapp.
Merc. dulc. praep. āā ℥ß.
M. f. pil. cum Eſſ. rhabarb. p. gr. ij.
Conſp. pulv. liqu. d.

In aſcaridibus et lumbricis hae pilulae optime juvant, quodſi prius per aliquod tempus pulvis anthelminticus fuerit adhibitus. Doſis eſt nro 8.

Pilulae reſolventes.

℞. Gum. Guajac. nativ. ℥j.
Sap. hiſpan. ℥ß.
Merc. dulc. praep.
Sulph. antim. tert. praec.
Pulv. rad. Senegae
Camphor. āā ʒj.
M. f. pilul. c. acet. ſquill. pond. gr. ij.
Conſp. pulv. liqu. d.

Numero ſeptem ad octo ex his pilulis unum mercurii granum continent, ad quod in doſi reſpiciendum. In artuum doloribus inveteratis et glandularum obſtructionibus optime opitulantur; inprimis quodſi ſimul mane et veſperi decoctum ligni guajaci concentratum ad bibendum imperatur.

Potio alexipharmaca prima.

℞. Rad. Angelic.
— Valerian. opt. āā ʒij.
Coqu. in vaſe clauſo cum
Aqu. flor. Sambuc. ℥viij.
Col. adm.
Mixt. diaphoret. ℥iv.
d.

Ex hac potione in febribus, ubi ſudor atque exanthemata ſunt promovenda, atque ad ſtaſes inflamma-

torias ac ad ſyſtema nervoſum adfectum ſimul reſpiciendum eſt, omni hora unciam unam calide propinamus.

Potio alexipharmaca ſecunda.

℞. Eſſ. Angelic.
— Valerian.
Spirit. Vin. Camph.
Liqu. c. c. ſuccinat. āā ʒj.
Vin. gallic. opt. ℥vj.
M. d.

In febribus nervoſis, ubi vires deficiunt, contagiumque malignum in ſyſtema nervoſum agere videtur, haec potio omni hora ad cochleare unum exhibita inſervit, praeterea ad ſudorem pellendum et vires refocillandas inſervit.

Loco eſſentiatum quoque acetum bezoardicum ſumi poteſt, et quidem ſequenti modo:

℞. Sal. Tart. dep. ʒij.
Satur. c.
Acet. Bezoard.
adm.
Vin. Gallic. opt. ℥vj.
d.

Potio alexipharmaca communis.

℞. Rad. Angelic.
— Valerian.
Cort. peruv. rubr. āā ℥ß.
Coqu. c.
Aqu. fontan. ℥xij.
Colat. ad.
Camph. c. Sacch. alb. q. ſ. gr. xij.
d.

Potio antilyſſa.

℞. Scarab. maj. n^ro viij.
Theriac. Andr. ℥ß.
Sal. volatil. c. c. ʒij.
Camph. ʒj.
Spir. Mind. ℥viij.
M. d.

Haec mixtio in quadam hydrophobia mihi quam maximum praeſtitit uſum. Ea generatim id temporis utor, ubi evacuatio effera per ſudorem atque urinam eſt indicata.

Potio laxans.

℞. Pulp. tamarind. ℥iij.
Mann. Calabr. ℥j.
Solv. in
Aqu. flor. Chamomill. ℥ix.
Col. d.

Vel ſimplicius.

℞. Crem. Tartar. ℥iv.
Mann. calabr. ℥ij.
Coqu. c.
Aqu. fontan. ℥xviij.
Col. d.

Pulpa tamarindorum.

Praeclarum laxans antiphlogiſticum. (Vid. *Potio laxans.*) Non abs re fuerit hic notaſſe, eam in connubio cum ſalibus mediis acidum vegetabile in ſinu ſuo foventibus minime eſſe praebendam, quia illa hoc ipſo decomponuntur. Ita e. gr. tartarus tartariſatus per pulpam tamarindorum decomponitur. Quodſi enim ambae hae res ſimul coquantur, dein clarificentur et filtrentur, poſt elapſum tamen alicujus temporis ſedimentum reperitur ſpiſſum, quod nihil aliud eſt, quam cremor tartari regeneratus. Circumſtantia, quae, ſi illa ignoratur, erroribus ſaltem cum pharmacopoeo anſam praebere poteſt.

Pulvis anthelminticus.

℞. Sem. Santom. ℥ij.
Extr. cort. peruv. aquoſ.
Vitriol. mart. pur. āā ʒj.
M. f. pulv. d.

Doſis in adultis eſt ab uno ſcrupulo ad duos quotidie aliquoties exhibendo. Infantibus electuarium cum melle fieri poteſt. Quodſi pulvis per aliquod tempus ſumptus fuit, purgans e pilulis purgantibus anthelminticis propinatur, quae pro infantibus in ſucco quodam ſolvi, aut etiam in uvis paſſis et prunis exhiberi poteſt.

Pulvis antifebrilis.

℞. Pulv. cort. peruv. ℈j.
Flor. Sal. ammoniac. martial. gr. ij.
M. f. pulv.

Quodſi in febribus intermittentibus quotidianis et quartanis pertinacibus per aliquod tempus ſulphur antimonii fuit adhibitum, ubi adhuc obſtructiones extimeſcere licet, atque irritabilitate praeſente, ſimul adeſt relaxatio, hic pulvis quotidie quater aut quinquies exhiberi poteſt.

Pulvis ecphracticus.

℞. Magneſ. muriat.
Crem. Tartari
Flor. Sulphur.
Pulv. rhabarb.
— Flor. chamom. vulg.
Elaeoſacchar. foenic. āā ʒß.
M. f. pulv. d.

In

In obſtructionibus et debilitate viſcerum abdominis, ubi inprimis plethora abdominalis adeſt, optimum hic pulvis quotidie aliquoties cochleari minimo exhibitus, habet effectum. Fluxum haemorrhoidalem ſaepe utiliſſimum promovet, atque hinc ibi tantum eſt adhibendus, ubi emolumentum ex hac haemorrhagia expectari poteſt.

Pulvis pectoralis.

℞. Pulv. flor. Arnic.
Nitr. antimon. per inſpiſſ. par. āā ℥j.
Opii Thebaic. gr. iv.
Camphor. gr. x.
M. f. pulv. d.

Magno cum fructu hic pulvis in phthiſi incipienti adhiberi poteſt, ubi proclivitas ad ſtaſes inflammatorias in pectore obſervatur. Doſis eſt cochleare minimum quotidie aliquoties. Ut referam, quodſi vomitum excitaret, radix glycirrhizae ei addi poteſt.

Radix Altheae.

Haec radix mucilaginem continet, quae externe adhibita efficax ſe praeſtat emolliens. V. *Species pro cataplasmate*, atque *Unguentum de althea.*

Radix Angelicae.

Haec radix, quae in Lapponia pro cibo adhibetur, inter alexipharmaca pertinet, eſtque praeſtan-

tiſſimum remediorum hujus generis. (V. *Potio alexi-pharmaca.*) Quodſi quis eam in ſubſtantia uſurpare velit, quotidie a granis decem ad viginti aliquoties praeberi poteſt.

Radix Apii.

Apium eſt planta, quam Creator ne deſertiſſimis quidem locis denegavit, quum illa fere unica fuerit herba, quae in deſerta et ſteriliſſima regione *Feuer-land* germanice ſic dicta eſt reperta. Ut cibus adhibita optimum eſt remedium antiſcorbuticum, atque in urinam quoque ſimul agit.

Radix Armoraciae.

Praeclarum antiſcorbuticum, quod ut cibus in conditione humorum cachectica et ſcorbutica praebetur.

Radix Belladonnae.

(V. *Folia Belladonnae.*) Radix efficacior eſt quam herba, et proinde in minori doſi, ita tamen, ut ſudor ſequatur, eſt adhibenda.

Radix Columbo.

Excellens amarum et forſitan excellentiſſimum. Amarities ejus magis fere eſt aromatica, quam ligni quaſſiae, nec magis calefacit, quam hoc. Cum decocto ex uncia dimidia in unciis aquae decem ad un-

cias colaturae ſex initium fieri, et quavis hora cochleare ordinarium ex eo in debilitate ventriculi atque inteſtinorum univerſali hauriri poteſt, ubi illud certo juvabit, niſi haec debilitas ab obſtructionibus viſcerum inſanabilibus originem ducat. In dyſenteriis tamen ea aliquantum juſto magis irritans eſſe mihi videtur.

Radix Conſolidae majoris.

Radix recens mucilagine gaudet, quae ſaepius in exulcerationibus externis ſalutarem ſe praeſtitit.

Radix Gentianae rubrae.

Remedium amarum roborans. Vid. *Extractum Gentianae rubrae.*

Radix Graminis.

Haec radix non multum ſarſaparillae quoad efficaciam ſuam cedit, et praerogativa gaudet, quod ea non ſit chara. Decoctum atque extractum optima ſunt remedia ſanguinem purificantia.

Radix Hellebori nigri.

Ubi haemorrhagiae ſunt promovendae, optimas haec radix exſerit virtutes. Maximam ea partem *pilularum Bacchinianarum contra hydropem* conſtituit. (Vid. *Extractum Hellebori nigri*, et *Pilulae balſami-*

cae.) In connubio cum opio fere ita, ut pulvis *Doveri*, agit.

Radix Jalappae.

Purgans vulgatiſſimum, quo plerumque fere in morbis abdominis chronicis utimur. Optimum autem ſimul quoque eſt anthelminticum, atque in febribus, ubi ſaburra verſus inferiora turgeſcit, atque indolis eſt viſcidae, quoque adhiberi poteſt. Doſis eſt a ſcrupulo uno ad duo.

Radix Ipecacuanhae.

Ut omnia emetica in doſibus refractis vi reſolvente gaudent, hoc etiam de ipecacuanha valet. Ea praeterea proprietate ſpasmos mitigante pollet, et proinde in aſthmate convulſivo atque aliis morbis ſpaſticis, ubi ſimul obſtructiones adſunt, adhiberi poteſt. Primum illa ut ſpecificum anti-dyſentericum innotuit, hic autem magis ut emeticum agit, ad reſolvendum in dyſenteria non ſatis temporis ſupereſt.

In morbis nervoſis, ubi ſcopum vomitum excitandi habemus, hunc finem ſaepe neque ipecacuanha, neque tartaro emetico, neque aqua benedicta Rulandi conſequi poſſumus. Hoc in caſu mixtio tartari emetici cum ipecacuanha plus, quam quodvis horum remediorum per ſe, efficere videtur.

Quodſi ipecacuanha cum pari opii quantitate et ſale quodam medio miſcetur, eſt hic celebris in An-

glia pulvis *Doveri*, qui virtute leniter diaphoretica gaudet, atque in diarrhoeis pertinacibus utiliter adhiberi poteſt. Formula eſt:

℞. Nitr. dep.
Tart. vitriol. āā p. iv.
Opii
Radic. Ipecacuanh.
—— Liquirit. āā p. j.
M. d.

Radix Liquiritiae.

Optimum eſt demulcens. V. *Species pectorales.*

Radix Pimpinellae albae.

Vid. *Eſſentia Pimpinellae albae.*

Radix raphani nigri.

Raphanus eſt antiſcorbuticum et diureticum, quare in conſtitutionibus cachecticis pro uſu cibario exhiberi poteſt.

Radix rhabarbari.

Hac praeclara radice inprimis in morbis abdominis utimur. Ubi congeſtiones verſus pectus contigerunt, atque ubi evacuationes per pulmones ſunt promovendae, aut ſaltem non ſupprimendae, non ea eſt adhibenda. Alias etiam frequenter in dyſenteria fuit adhibita, in magnis doſibus autem ea eſt nimium ca-

leſaciens, atque in parvis facile alvum adſtringit; hinc etiam in dyſenteriae fine, ubi ſordes adhuc tantum a laxitate naſcuntur, majori cum fructu eſt adhibenda. Ceterum ea viribus gaudet reſolventibus, quoniam ea in urinam agit. V. *Pulvis ecphracticus.*

Radix rubiae tinctorum.

Haec radix ea gaudet virtute, ut oſſa ab ea comeſta rubro colore tingantur; ſimul quoque ut roborans oſſium ſe praeſtat. Atque ex hac ratione poſteriori ea in morbo anglico commendata, et ſaepe cum fructu adhibita fuit. Optime in decocto exhibetur, e. g.

℞. Rad. rub. tinct. ℥j.
Aqu. flor. Chamomil. ℔ij.
Colat. ℥xviij. adm.
Mell. deſpum. ℥j.
D. Sign. Omni hora ſumat dimidium cochlearis ordinarii.

Vim quoque fluxum menſtruum ſuppreſſum reſtituendi ea habere dicitur. In quatuor vel quinque caſibus, ubi ego eam hunc in finem adhibui, atque quotidie ad unciam dimidiam in ſubſtantia exhibui, nullum mihi auxilium tulit.

Radix ſaſſaparillae.

Decoctum hujus radicis inter optima medicamenta ſanguinem purificantia pertinet. In morbis ve-

nereis illa eſt optimum humores corporis attenuantium remedium.

Radix Senegae.

Haec radix ut reſolvens magno cum fructu adhiberi poteſt, quum illa excretiones urinae et ſudoris ſimul pellat, atque hoc in ulteriori reſpectu praerogativa pro Serpentaria gaudet. In morbis pectoris atque hydropibus inprimis uſus ejus locum habet. Aut in decocto, ita ut ab uncia dimidia cum unciis aquae octo ad colaturam quinque unciarum coqui, atque ex eo quavis hora cochleare ordinarium haurire jubeamus, aut etiam in ſubſtantia a granis decem ad quindecim quovis bihorio aut trihorio exhibetur.

Radix Squillae.

Squilla eſt remedium acre, reſolvens, diureticum, atque emeticum. Idonea inprimis eſt ad morbos mucoſos atque hydropes. Peculiariter in pectus agit, et propterea in intemperie illius mucoſa eſt ea efficaciſſima. Generatim non tam in mucum primarum viarum, quam potius in glandulas et viſcera mucoſa agit. Sed non agit, ut Senega, in ſudorem, hinc raro ibi conducit, ubi proclivitas ad ſudores adeſt, quoniam vis illius in vias urinarias per ſudorem ſupprimitur.

Grana ſex ad ſeptem hujus radicis facile vomitum excitare poſſunt, ſed raro hoc ſcopo adhibetur, quo-

niam hic ejus effectus tamen eſt admodum incertus. Cum ea ut reſolvente et diuretico a granis aliquot incipimus, doſisque pro re nata augetur.

Radix Taraxaci.

Optimum remedium reſolvens et ſanguinem purificans. V. *Species purificantes* atque *Extractum Taraxaci.*

Radix Valerianae.

Excellentiſſimum alexipharmacum, inprimis ſi veras radices anglicas habere poſſumus. In febribus putridis et malignis, nec non in malo rheumatico pertinaci atque in epilepſia exhibetur; illic in decocto atque in eſſentia, (V. *Potio alexipharmaca*) atque hic in ſubſtantia, ubi cum granis decem incipere, et quotidie paulatim ad aliquot drachmas adſcendere licet. Radix anglica e varietate cum foliis anguſtis ſumitur.

Reſina Jalappae.

Praeſtantiſſimum purgans, quod commode in infantibus ad aliquot grana cum amygdalis permixtum exhiberi poteſt. In adultis V. *Pilulae purgantes.*

Roob Juniperi.

Roob Juniperi aliquantum urinam pellit, hinc ut aptum vehiculum medicamentorum in hydropibus atque intemperie mucoſa inſervire poteſt.

Roob Sambuci.

Vehiculum electuariorum contra febres conveniens, inprimis ubi perſpirationis conſervandae ratio eſt habenda.

Roob Sorborum.

Roob ſorborum ſaepe adhuc urinam potentius pellit, quam roob Juniperi, atque illud adhiberi poteſt, ubi roob Juniperi nimium calefacit, quia hoc magis eſt refrigerans.

Sal ammoniacum.

Praeclarum remedium reſolvens, quod reliquis ſalibus palmam praeripit, quod illud in alvum non agit, ſed potius eam coërcet, atque adeo in febribus, ubi ſimul diarrhoeae ſymptomaticae adſunt, inſigni cum fructu adhiberi poteſt. Utiliſſimum pariter illud eſt ad ſudores ſymptomaticos temperandos.

Doſis eſt a granis quinque ad decem omni bihorio. In febribus quartanis paulatim ad ſcrupulum unum pro doſi adſcendere licet. V. *Sulphur antimonii.*

In obſtructionibus viſcerum abdominis efficaciſſimum eſt, atque adeo in febribus quartanis magna cum utilitate adhibendum. V. *Pulvis antifebrilis.*

Sal cornu cervi.

Hoc eſt ſal volatile lixivioſum, quod nonnumquam in febribus malignis in uſum vocatur. Quoniam

vero illud facile nimis calefacit, ſatius eſt, cum acido pariter volatili ſaturare, quo illud temperatur. Vid. *Liquor c. c. ſuccinatus*, et *Potio alexipharmaca ſecunda.*

Sal mirabile Glauberi.

Sal medium, quod in ſolutione atque evacuatione ſaburrae in primis viis egregiam navat operam. Per ſe quotidie ad unciam dimidiam, aut etiam in mixtura exhiberi poteſt. V. *Mixtura ſolvens.*

Sal Sodae et Sal Tartari.

Salia lixivioſa per ſe libenter non adhibemus, quoniam illa humores nimium reſolvunt; quodſi vero illa cum oleis in ſaponem formantur, aut cum acidis vegetabilibus in ſalia media ſunt ſaturata, ut reſolventia maxime conducunt. (V. *Liquor terrae foliatae Tartari*, atque *Elixirium reſolvens.*) In uſu aëris fixi interno hoc ſal tartari, aut ſal ſodae purificatum optime adhibetur. V. *Aër fixus.*

Sal ſodae eſt alcali minerale, quod in nexu cum acido vitriolico ſal mirabile conficit, atque hoc reſpectu ſali tartari praeferendum eſt, hoc enim cum acido vitrioli tartarum ſiſtit multo minus efficacem vitriolatum.

Sapo hiſpanicus.

Ad uſum internum hic ſaponi veneto eſt praeferendus, quia ille purior atque acrior eſt. Optimum

eſt reſolvens, etiamſi viribus calculos in viis urinariis reſolvendi non gaudeat. Raro illa per ſe tantum exhibetur, utplurimum aliis remediis miſcetur. V. *Pilulae purgantes* et *reſolventes.*

Scarabaei majales.

Scarabaei majales inter remedia pertinent diuretica, et quoad hanc proprietatem cantharidibus proxime accedunt. Ab his tamen diſtinguuntur, quoniam illi ſaepe etiam ſimul ſudorem pellunt. His potiſſimum proprietatibus vires innituntur, quas illi in morſu canis rabidi exſerunt. Mihi non eſt veriſimile, praeterea ſpecifici quidquam efficere, et fortaſſe antidotum ſputi venenoſi eſſe. In aliis morbis quoque, ubi ſtaſes pertinaces ſunt reſolvendae atque excretiones ſyſtematis lymphatici forte pellendae, illi mihi uſum praeſtiterunt magnum. Efficaciter ſcarabaeorum majalium in ſucco melle ſimili praecipue eſt ſita, qui in quibusdam veſiculis, quae in abdomine inveniuntur, contentus eſt, illumque facile ejicere ſinunt. Qua de cauſa illi caute, minime cum manubus, ſed in chatula quadem capere, et tum in melle transferri debent. Doſis eſt ſcarabaeus dimidius quotidie conſumptus. V. *Potio antilyſſa.*

Semen Cynae ſeu Santonicum.

Hoc eſt anthelminticum praeclarum, quod infantibus in lacte coctum exhiberi poteſt. Pro baſi alio-

rum remediorum anthelminticorum inſervire poteſt. (V. *Pulvis anthelminticus.*) Recentiſſime tantopere depraedicatum Helminthochorton tantum abeſt, ut huic remedio praeferendum eſſet, ut potius ego illud penitus iners deprehenderim.

Semen Foeniculi.

Vid. *Aqua* atque *Oleum foeniculi.*

Semen Foenugraeci.

Semen foenugraeci quamplurimis partibus mucilagineis atque balſamicis eſt inſtructum, quare externe adhibitum bonum eſt emolliens et reſolvens. V. *Species pro cataplasmate.*

Semen lini.

Iisdem viribus, tantum in gradu minori pollet ſemen lini.

Semen Sabadileos.

Summa utilitas hujus ſeminis eſt, quod illud pediculos occidat.

Uſus eius internus in taeniis fuit commendatus. Nullum mihi peculiare tulit auxilium, tanto majores e contrario effecit moleſtias.

Semen Sinapi.

Hoc eſt ex antiſcorbuticis. Ut medicamen non admodum eſt in uſu. Externe autem applicatum bonum eſt epiſpaſticum.

Sinapiſmus.

℞. Ferment. pan. acid. ℥iij.
Raſur. rad. armorac. rec.
Sem. Sinap. contuſ. atque in aceto macer. āā ℥iſs.
Salis ammoniac. ℥ſs.
M. c. acet. vin. ad conſiſtent. catapl.

Quodſi ſcopum excitandi habes, nec nimium irritare vis, damnumque e reſorptione cantharidum extimeſcendum eſt, utiliter ſinapiſmi adhibentur. Raro aut proprie numquam ut reſolventia in uſum vocantur, ſed potiſſimum ut excitantia atque derivantia.

Species pro cataplasmate.

℞. Herb. Malvae.
—— Alth. āā ℥iij.
Flor. Chamom. vulg.
— Melilot.
— Sambuc. āā ℥ij.
Rad. Alth. ℥iv.
Sem. Foenugraec. ℥x.
— Lini ℔j.
M. f. pulv. d.

Hic pulvis in lacte in pultem coctus optimum praebet cataplasma, tam ad inflammationes incipien-

tes diſcutiendas, quam etiam ad abſceſſuum maturationem.

Species pectorales demulcentes.

℞. Herb. Malv.
—— Tuſſilag.
Rad. Altheae.
— Liquirit. āā ℥iv.
Sem. aniſi ſtellat. ℥ß.
M. f. Spec. pro thea.

Pro phthiſicis, qui nullam irritationem prorſus ferre poſſunt, et tamen mane potionem theae haurire volunt.

Quodſi vero ſimul ſtaſes praeſentes reſpiciamus, inprimis in conſtitutionibus mucoſis, tunc thea ſequens inſervit.

Species pectorales reſolventes.

℞. Flor. Chamomil. vulg. ℥iv.
— Arnic. ver.
Herb. Millefol.
Rad. Liquirit. āā ℥ij.
Sem. aniſ. ſtellat. ℥j.
M. f. Spec. pro thea.

Species purificantes.

℞. Ligni Juniperi
Rad. Graminis
— Tarax.
— Cichor. āā ℥iv.
— Senegae
Sem. Foenic.
— Petroſelin.
Bacc. Junip. āā ℥ß.
M. f. Spec. pro Ptiſana.

Ex hac mixtura uncia una ad duas aquae libras ſumitur, atque haec potio ſanguinem purificans ubique eſt adhibenda, ubi lignum guajaci nimium irritat, et ſaſſaparilla eſt nimium chara.

Vel:

℞. Raſ. L. Guajac.
Rad. Liquir.
Bacc. Junip. āā ℔j.
Rad. Gramin. ℔iij.
M. d.

Spiritus Cornu Cervi.

Praeſtantiſſimum remedium diaphoreticum. Per ſe a guttis decem ad viginti exhibetur. V. *Mixtura diaphoretica.*

Spiritus Mindereri.

Per ſaturationem ſpiritus ſalis ammoniaci cum ſale alcali parati cum aceto paratur. Attendendum eſt, ut ſaturatio ſufficienter contingat, nec ſpiritus ſit nimium antiquus, alias enim ſal alcali volatile utplurimum evolat. Optimum is eſt diaphoreticum. Doſis difficulter conſtitui poteſt, quia hic multum a fortitudine ſalis volatilis lixivioſi atque aceti pendet .Plerumque aliis remediis admiſcetur. Vid. *Mixtura diaphoretica.*

Spiritus ſalis ammoniaci.

Hic ſpiritus eſt ſal lixivioſum volatile, e ſale ammoniaco evolutum atque in aqua ſolutum, quare ſenſu quam maxime improprio ſpiritus vocatur.

Quum is interne per ſe non adhibeatur, ſed acidis ſaturetur, numquam eſt adjectione calcis, ſed per ſal lixivioſum parandus, quoniam is in priori caſu non efferveſcit, et proinde difficilius eſt, punctum ſaturationis tangere. Per calcem paratus ad uſum internum quoque eſt nimium cauſticus. Sed ex hac plane ratione externe in aqua ſubmerſis, ſtrangulatis, et frigore enectis, ut optimum irritans eſt adhibendum. Parvula nimirum volumina papyri aut lintei humectantur, atque in nares introducuntur. Neque eſt inutile, fauces cum illis allinere.

Spiritus

Spiritus ſulphuris.

Quodſi per combuſtionem ſulphuris acidum vitrioli ex eo evolvitur, hoc acidum partem phlogiſti in ſe retinet, et per hoc quam maxime volatile redditur. In ſcabie et febribus putridis, ubi vires et transpiratio deficiunt, nec pectus laborat, hoc acidum prae vulgari cum fructu adhiberi poteſt. Vid. *Acidum vitrioli.*

Spiritus vini camphoratus.

℞. Spir. Vin. rectificatiſſ. ℥viij.
Camph. ʒj.
Solv. d.

Interne diaphoreticis admiſcetur. V. *Mixtura diaphoretica*, et *Potio alexipharmaca ſecunda.*

Spiritus Vitrioli.

Hoc eſt oleum vitrioli aqua debilitatum. V. *Acidum vitrioli.*

Spongia marina.

Spongia marina in ſtruma efficaciſſima eſſe dicitur. Praebetur a granis decem ad viginti.

Succus Citri.

Ubi acetum nimium exaeſtuat, ſuccus citri adhibetur. V. *Acetum vini.*

Succus Liquiritiae.

Sic extractum liquiritiae aquoſum appellatur, quod in morbis pectoris excellens eſt demulcens. V. *Syrupus pectoralis.*

Sulphur antimonii.

Sulphur antimonii a ſulphure communi diſtinguitur, quod in eo partes adhuc regulinae ſolutae contineantur, quarum ope illud virtute ſumme reſolvente gaudet.

Tam in obſtructionibus viſcerum abdominis, quam in adfectione pectoris mucoſa excellentiſſimum eſt remedium, atque hinc in febribus intermittentibus atque hydropibus pertinacibus maximo fructu adhibendum. Cum granis aliquot incipitur, et ſenſim ſenſimque cum doſi ad drachmam unam quotidie adſcenditur.

Quodſi ſimul intemperies mucoſa adeſt, cum ſale ammoniaco a granis octo ad decem praebetur. Quodſi vero magis relaxatio atque irritabilitas adeſt, rhabarbarum pro baſi ſumitur. Ipſum per ſe eſt jam diureticum, quodſi vero adhuc magis verſus vias urinarias deſtinare velimus, cum decem granis radicis Senegae quoque miſceri poteſt. Quodſi non tam excretionum, quam diaphoreſeos ratio habetur, Pilulae reſolventes inſerviunt.

Plerumque tertia praecipitatio adhibetur, quoniam prima partibus regulinis nimium ſcatet, atque hinc facile vomitum ciet. Quod vero tam ambiguum eſt, ut ſemper praeſtaret, omnes praecipitationes accurate miſcere, et tum illarum vires explorare, ubi ſi nimis facile vomitus excitaretur, tantum ſulphuris communis adjici poſſet, quantum placeret. Quo pacto hoc remedium ſimul minori veniret pretio.

Syrupus acetoſitatis citri.

Mixturis additur refrigerantibus, aut etiam in potu ordinario praebetur.

Syrupus de Althea.

℞. Radic. recent. alth. ℔j.
coqu. c.
Aqu. pluvial. q. ſ.
Col. adde
Sacch. alb. ℔iv.
Coque ad conſiſt. Syrup.

Hic eſt ſuccus admodum demulcens, qui in malis pectoris atque in immodica inteſtinorum irritabilitate adhiberi poteſt.

Syrupus pectoralis demulcens.

℞. Succ. Liquir. ℥j.
Solv. in
Aqu. flor. Chamom. ſ. v. ℔ij.
adm.
Syr. de Alth. ℥viij.
d.

In nimia partium colli ſenſibilitate in phthiſibus, hic ſuccus ad partes lubricas ſervandas inſervit; per quod ſimul expectoratio promovetur.

Syrupus pectoralis reſolvens.

℞. Gumm. ammon. dep.
Sal. ammon. dep. āā ʒij.
Solv. in
Oxym. Squillit. ℥j.
Aqu. bened. Rul. ʒij.
adm.
Syrup. pector. demulc. ℥viij.
d.

In phthiſibus, ubi expectoratio difficulter procedit; ubi pus in ſanguinem reſorbetur, febris adeo eſt vehemens, atque alvus nimium ſoluta, magno cum fructu hic ſyrupus quavis hora cochleari ligneo praebetur.

Tartarus emeticus.

Partes antimonii regulinae in acido tartari hic ſunt ſolutae, quare hoc praeparatum in eſſentialibus ab aqua benedicta Rulandi non differt. Quoniam vero hoc acidum tartari partibus regulinis impraegnatum, iterum cryſtalliſatur, facile evenit, ut quaedam cryſtalli minus partium regulinarum in ſe contineant, quam aliae, quo uſus hujus remedii aliquantum redditur incertus, niſi pharmacopoeus omnem maſſam cryſtalliſatam accurate inter ſe miſceat. Quum porro ſolutio tartari in aqua difficulter ſemper procedat, facileque iterum ab eadem ſeparetur, nec unquam certo ſciamus, utrum tartarus emeticus e vitro antimonii, an ex hepate antimonii fuerit paratus, hoc vero in efficacitate tartari emetici differentiam faciat, per hoc etiam incertitudini occaſio praeberi poteſt, ita, ut aqua benedicta Rulandi, ſeu vinum particulis regulinis impraegnatum optimum, certiſſimum et tutiſſimum maneat remedium, ſeu illud ut emeticum, ſeu ut reſolvens adhibeatur.

Tartarus tartariſatus.

Optimum reſolvens, quod in ſubjectis admodum ſenſibilibus adhiberi poteſt. Facile alias locus illius per ſal Glauberi atque aquam benedictam Rulandi attenuatam ſuppleri poteſt. Ubi ſaltem haec remedia

nihil efficiunt, difficulter ab illo quidquam expectandum fuerit.

Terebinthina veneta.

Remedium balſamicum et diureticum. Urinae odorem impertit violaceum. Propter proprietatem ejus calefacientem autem, diſpoſitione inflammatoria, aut inflammatione ipſa vera praeſenti, adhiberi nequit. In gonorrhoea per albumen ovi in aqua ſoluta exhiberi ſolet. Sed cautio in doſi eſt ſervanda, per irritationem enim vehementem, ab hoc remedio in viis urinariis productam, teſticuli venerei naſcuntur. Cum uno ſcrupulo incipere, et quotidie ad unam drachmam adſcendere licet. E. gr.

℞. Terebinth. venet. ʒß.
Solv. c. vit. ov. q. ſ. in
Aqu. flor. Chamomil. ℥vj.
d. Sign. ſumat quavis hora cochleare ordinarium.

Alias terebinthina mercurio ſolvendo inſervit. (V. *Unguentum neapolitanum.*) Quodſi terebinthina in aqua coquitur, indureſcit et frangitur, quoniam oleum tenuius per coctionem evolat, et tum non tantopere calefacit, ſecuriusque exhiberi poteſt.

Tinctura antimonii Jacobi.

Lixivium forte e ſcoriis reguli antimonii ſimplicis recentibus conficitur, atque illud cum oleo quodam expreſſo recenti in ſaponem coquitur, quo facto in hoc ſapone ſulphur antimonii jam ſolutum, remedium duplici reſpectu efficax habetur. Quum vero hic ſapo tamen facile corrumpatur, utile eſt; illum in ſpiritu vini reſolvere. Quem in finem neceſſe eſt, ſpiritum vini eſſe cauſticum, atque adeo tinctura antimonii acris vulgaris, nullis partibus antimonii regulinis impraegnata, ſed tantum aliquantum ſalis cauſtici in ſe vehens, huic ſcopo eſt aptiſſima, atque haec ſolutio ſaponis proxime memorati in tinctura antimonii acri eſt ea, quae a quibusdam etiam *ſulphur antimonii liquidum* appellatur. A tinctura *Thedenii* ea differt in eo, ut haec loco ſaponis terram foliatam tartari in ſe contineat.

Haec tinctura praeſtantiſſimum plane eſt reſolvens, et diureticum. Doſis accurate conſtitui nequit, quia omnia a diverſitate praeparationis pendent, quam accurate conſtituere impoſſibile eſt. Cum aliquot guttis incipitur, et cum doſi ſenſim ſenſimque adſcenditur, prouti hoc circumſtantiae atque effectus ejusdem requirunt. In gonorrhoeis diuturnis ac in obſtructionibus viſcerum abdominis praeſtantiſſimi eſt uſus.

Tinctura cantharidum.

℞. Pulv. catharid. ℈ij.
Spir. vin. r. ℔j.
Dig. col. d.

Externe in verrucis et condylomatibus venereis adhibitum, bonum eſt hoc remedium nonnumquam repertum. Solutio mercurii autem in acido nitri facta atque attenuata, et ligatura omnia alia remedia reddunt ſuperflua. Interne haec tinctura in gonorrhoeis benignis atque hydrope ut diureticum et tonicum cum fructu exhiberi poteſt. Initium fit cum aliquot guttis, quae cum aqua dilui, paulatimque adſumi jubemus. Externe etiam in paralyſibus non ſine uſu adhibetur. V. *Unguentum nervinum.*

Tinctura Guajaci volatilis.

℞. Gum. Guajac. nat. ℥iv.
Spirit. Sal. ammon. vinoſ. ℔iß.
Digere ſine calore in vaſe clauſo. Col. d.

In arthritide, atque in rheumatismis chronicis utiliſſimum eſt hoc remedium. Paulatim quotidie drachmas duas ordinari et pro re nata doſis augeri poteſt.

Tinctura martis adſtringens Ludovici.

℞. Vitriol. mart. pur.

Crem. tartar. āā ℔ß.

Aqu. pluv. ℔vj.

Coque atque inſpiſſ. ad conſiſt. mellis.

Huic affunde

Spirit. vin. rect. ℔vj.

Dig. filtr. d.

Ex hac tinctura a guttis quinquaginta ad octoginta in debilitate univerſali et conditione humorum cachectica praebetur.

Tinctura martis aperitiva.

℞. Flor. Sal. ammon. mart. ℥iv.

Spirit. vin. rect. ℔j.

Dig. filtr. d.

Quodſi in circumſtantiis proxime memoratis obſtructionum viſcerum abdominis ſimul ratio ſit habenda, optimas haec tinctura exſerit vires a guttis triginta ad quadraginta quotidie aliquoties exhibita.

Tinctura rhabarbari aquoſa.

Hoc eſt tantum decoctum aquoſum. Uncia una rhabarbari ad unam aquae libram ſumitur. Plerumque etiam aliquantum ſalis lixivioſi adjicitur.

In malo ventriculi atque inteſtinorum mucoſo cum fructu hoc praeparatum adhibetur.

Unguentum de Althea.

℞. Rad. Alth. rec. ℔j.
Sem. foenugraec.
— Lini āā ℥vj.
Rad. Curcum. ℥ß.
Butyr. maj. rec. non ſalit. ℔x.
Coque leni igne ad conſumpt. humid.
Col. d.

Praeclarum remedium emolliens. V. *Linimentum antiſpaſticum.*

Unguentum mercuriale rubrum.

℞. Merc. praecip. rubr. ʒj.
Axung. porc. ℥j.
M. f. Ungt. d.

Hoc unguentum in ulceribus venereis impuris adhiberi poteſt.

Unguentum neapolitanum.

℞. Mercur. curr. ℥iv.
Tereb. venet. ℥ij.
Miſc. exact. adm.
Ax. porc. ℥x.
M. f. Ungt. d.

Hoc unguentum ut reſolvens in tumoribus vene-
ı eis adhibetur, atque generatim, ubi mercurium per
infrictionem externam in corpus introducere conamur.

Unguentum nervinum.

℞. Ungt. de Alth. ℥viij.
Liqu. c. c. ſuccin.
Tinct. Cantharid. āā ℥j.
Ol. deſtil. Chamom.
— —— Menthae
— —— Bacc. Laur.
— —— — Junip. āā ʒj.
M. f. Ungt.

Ad membra paralytica hoc unguentum magno cum
fructu adhibetur.

Vel ſimplicius.

℞. Unguent. nervin. offic. ℥iv.
Tinct. Canthar. ℥ß.
Camph. ʒß.
M. d.

Unguentum ophthalmicum.

℞. Mercur. praecip. rubr. ʒijß.
Tut. ſubtiliſſ. praep. ʒj.
Camph. gr. xv.
Ol. ovor. ʒß.
Butyr. maj. rec. ſine ſale ℥iij.
M. f. Ungt.

In maculis corneae et ſtaphylomatibus hoc unguentum veſperi quantitate lentis in canthum oculi illatum ſaepe conducit.

Unguentum ad ſcabiem.

℞. Merc. praecip. alb.
Sulph. antim. prim. praec. āā ʒß.
Axung. porc. ℥viij.
Ol. deſtill. Bacc. Laur. ʒij.
M. f. Ungt.

Quodſi ſcabies uſui medicamentorum interno cedere non vult, hoc unguentum adhiberi poteſt. Rite vero illud eſt infricandum, cutis rurſus purificanda, nec transpiratio impedienda. Nonnumquam ſufficit, in volam manus infricare.

Vel ſimplicius.

℞. Mercur. praecip. alb.
Flor. Sulph. āā ʒj.
Ax. porc. ℥viij.
M. d.

Vinum.

Vinum inter remedia heroica pertinet, nec in ullo pharmacopolio deeſſe deberet. In uſus medicos quam antiquiſſimum ac defaecatiſſimum illud eſſe oportet,

atque ita in febribus putridis ac malignis atque in quibusdam ſpasmorum ſpeciebus egregie juvat. Eſt etiam optimum menſtruum reguli antimonii. In uſum medicum antiquiſſimum vinum gallicum omnibus reliquis praetulerim. V. *Aqua benedicta Rulandi* et *Tartarus emeticus.*

Vitriolum album.

Vitriolum album eſt zincus in acido vitrioli ſolutus et bonum ophthalmicum. V. *Aqua ophthalmica.*

Vitriolum martis.

Vitriolum martis inter remedia roborantia atque anthelminthica pertinet. V. *Pulvis anthelminthicus* et *Tinctura martis adſtringens.*

Vitriolum veneris.

Vitriolum veneris in malis epilepticis utiliter nonnumquam adhibitum fuit; inprimis ſi ad ſolutionem cupri ſal alcali volatile adhibetur, quo in caſu vero pharmacum non vitriolum, ſed ſal ammoniacale veneris appellandum eſt. Ubi nullae adſunt rationes ad remedia alia, aut alia opitulari nolunt, vitriolum veneris, et ſal ammoniacale veneris adhiberi poteſt. In uſum internum poſterius ego praetulerim. Cum aliquot guttis ſolutionis incipitur, et doſis pro re nata augetur. Solutio ſequenti ratione inſtituitur:

℞. Limat. Cupri ℈j.
Spir. Sal. ammon. c. Sal. alc. par. ℥ij.
Dig. filtr. d.

In Anglia hoc remedium quoque ad curationem morbi *Sibbens* dicti, qui morbus magnam cum lue venerea habet ſimilitudinem, adhibetur, in hoc tamen ab eo differt, quod is per contagium non propagetur, nec mercurius ullas in eum exſerat vires.